Est. 25. Tab. 1ª Num

13.

DVPLEX
ANTIDOTUS

CONTRA

Duplex Venenum, quod ex fonte Theophilino ebibit

LEODEGARIUS QUINTINUS
HÆDUUS,

PROPVGNATORE

D. DIDACO SANCHEZ
DEL AQUILA,
Magistro Theologo.



HISPALI,
Sumptibus JOHANNIS DE RIBERA,

cIↃ IↃC LVII.

33/

ANTIDOTVS PRIMA,

Adverſus venenum quod ex Theophilino fonte hauſit

LEODEGARIUS QUINTINUS HEDUUS:

Et effudit circa controverſiam de Communione pro mortuis,

IN APOLOGIA,

Cui Titulus:

THOMAS HURTADO,

Clericus Minor, vulgo Piloſo, vulſus, ac depilatus.

Propugnatore pro veritate

D. DIDACO SANCHEZ del AQUILA, Magiſtro Theologo.

Perillustri, & Magnifico Viro

D. MICHAELI BATKIN,

Olim in Civitate Antverpiensi Digniſſimo & Prudentiſſimo Directori Jurato.

S. F. S.

Balſamum ex odore, & arborem ex fructu cognoſci, paucos credo ignorare : hoc mihi contigit, perilluſtris Domine, ex odore & fructu notiſſimus es, quamvis in Perſona ignotus : *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, & fructus tui honoris, & honeſtatis*; es enim *Chriſti bonus odor in omni loco. Occultari ſe non patitur fœtura ſublimis, & decus clari ſanguinis, non tenetur abſcondita vox mundæ originis, licet in receſſibus, ſemper auditur.* Igitur per odorem, per fructum, per vocem tui mundi ſanguinis, te feliciter agnovi. Nunquid Fœtura ſublimis, duo Filii Tui D. MICHAEL, & D. JOANNES CAROLVS BATKIN? non *vox tua?*

non fructus *honoris* & *honeſtatis*? Utique ſunt; quia Te Patrem manifeſtant, & mihi ita agnitum fecere, ut ab effectu nobiliſſimo cauſam ſui nobiliſſimam cognoſcerem: ut enim *bona arbor bonos fructus facit*, ita bonus fructus non niſi à bona arbore producitur: Quare vox mundæ tuæ originis in his receſſibus auditur tuba intonante filiorum, quorum virtus, fides, modeſtia, veracitas, & devotio, micantes ſunt ſtellæ, voces tonitrui magni, quibus ſimiles in Patre, ut in ſuo firmamento intonant. Unde tam Patris, quam Filiorum, hæc Catholica attributa in eis fulgentia, me impulere ad hanc Antidotalem donationem; quare ipſis in Te, & Tibi in ipſis hanc Opellulam Apologeticam, & Antidotum pro veritate contra venenum novæ doctrinæ, dico ac conſecro; munus parvum in ſe, fateor, at in affectu magnum, ipſum placide ſuſcipiat D. V. meque ſuum agnoſcat. Hiſpali. 10. Novemb. 1656.

D. V.

Servus ex affectu

THOMAS HURTADO.

El

El Doctor Don Diego De Castrillo, Provisor y Vicario General de Sevilla, y su Arçobispado: por el Illustrissimo y Reverendissimo Señor D. Fray Pedro de Iapia, mi Señor, Arçobispo de Sevilla, del Consejo de su Magestad, &c. Por la presente cometto a los Padres Maestros del Collegio de Sancto Thomas, de la Horden de Sancto Domingo desta Ciudad, que vean el libro, a escrito y compuesto el Padre Maestro Thomas Hurtado, de los Clerigos Menores, cujo Titulo es; Antidotus duplex contra duplex venenum Leodegarii Quintini Hædui, &c. *Y Vistò, daran sus Paternidades, sucensura, y parecer. fecho en Sevilla, en tres de Noviembre, mill y seiscientos, y cinquenta y seis años.*

El Doctor D. Diego de Castrillo.

BAR^ME. FRAN^CO. DE BUST.

El Doctor Don Diego De Castrillo, Proviſor y Vicario General de Sevilla, y ſu Arçobiſpado; por el Illuſtriſſimo y Reverendiſſimo Señor D. Fray Pedro de Iapia, mi Señor, Arçobiſpo de Sevilla, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c. Por la preſente Doy licencia, por lo que toca a eſte Tribunal; para que ſe pueda imprimir, e imprima el libro, que a compueſto, y eſcrito el Padre Maeſtro Thomas Hurtado, de los Clerigos Menores, cujo Titulo es; Antidotus duplex contra duplex venenum Leodegarii Quintini Hædui, &c. Por quanto, en virtud de Nueſtra Comiſſion, lo an viſto, y aprobado los Padres Maeſtros del Collegio de Sancto Thomas de la Horden

de

de Sancto Domingo, desta Ciudad de Sevilla. Laqual impresion per lo que toca a este Tribunal, se pueda haçer sin incurrir en pena alguna; y precediendo las de mas diligencias, que sobra esta materia sean necessarias dada. En Sevilla, en los Palacios Arçobispalos de ella. En once las de Noviembre, de mill y seiscientos y cinquenta y seis años.

El Doctor D. Diego de Castrillo.

Por mandado del Señor Provisor.

BAR^ME. FRAN^CO. DE BUST.

Nott° M^r.

CENSURA

Collegii Majoris, & Universitatis

D. THOMÆ AQVINATIS,

Hispalensis.

Ex commissione D. Didaci de Castrillo hujus Archiepiscopatus Hispalensis Provisoris, & Vicarii generalis, perlegimus hunc librum, cujus titulus est, *Duplex Antidotus contra Duplex venenum, &c.* Authore R. P. Thoma Hurtado C. R. Minorum, &c. Et pensiculatius ejus veritatis pondera expendentes, minime à sanæ doctrinæ tramite devium reperimus. Nec abs re sanè liber iste Antidotus nuncupatur, tot utpotè medicatis solidæ eruditionis granulis in salutifera Romanæ Ecclesiæ officina confectus, quo non solum lubricæ fideliuim pietati panchrestum præscribit, verum etiam virulentam impietatis bilem ab eorum cordibus radicitus expellit. Ejus Author procedit in scribendo, tanquam dexter nauclerus in navigando, qui turbidi maris undis ingurgitatus, non palantia sydera, non ignitas impressio-

preſſiones obſervat; ſed fixa & ſtabilia aſtra ſpeculatur, ne inter incautas pelagi ſyrtes naufragus turpiter periclitetur. Sic enim Author, ne in ſcopulos errorum impingat, mentis aciem in fixa Eccleſiaſtici firmamenti ſydera convertit. Nam juxta Danielem: *Qui ad juſtitiam erudiunt plurimos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Stellæ igitur ſunt Sancti Doctores, qui quanto viciniores fuerunt calore charitatis ſoli juſtitiæ Chriſto, tantò ſolidioris doctrinæ lucem ab eo mutuarunt. E contra verò ſcriptores vani meritò apparentia portenta, & cometæ dicuntur, quorum ſubſtantia debilis vapor aëre vanitatis concretus, & ut conflatur ex aëre, in aëra tandem evaneſcit. De quibus Judas Apoſt. * *Sydera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.* O quanta animi contentione Author invigilat, & ſtudet à vero lumine Eccleſiæ Catholicæ nuſquam lumina deflectere, pertæſus ſemper comatas præſtigiarum exhalationes, & ſydera errantia tenebrarum! Unde adſtipulatur Ruperto dicenti: *Doctores ſacri mente, ac vigilantibus oculis retinendi ſunt, qui tanquam arcturi nunquam occidentes, lucida ſydera ſtabili fide ſemper fixi ſteterunt, ac lucem fidei fundentes occaſum neſciverunt.* O bene! Doctrina enim Catholica non eſt inventum humanum, ſed revelatio divina, neque dogmata ſacra ſunt humanis laboribus comparata; ſed à Spiritu Sancto ſacris Doctoribus infuſa, idemque ſpiritus ſuggeſſit primis ſcriptoribus

* Vide gloſſam.

bus narrantibus, & primævis Ecclesiæ Doctoribus exponentibus. Ideo Author in hoc libro hujusmodi navigationis leges æmulatur, non quidem inani philautiæ ardore ductus, nec propriæ æstimationis turbine agitatus, summopere insudans tum sanctorum Patrum veritatem propagando, tum Orthodoxæ Ecclesiæ dogmata defendendo, tum Christianæ pietatis studia concitando. Et dum alii veritatis lucem tumida dicacitatis congerie obstruere moliuntur; ipse innato eloquii sui candore veritatis radios detegit. Dum alii venerandas dogmatum Catholicorum leges infringere conantur; ipse valido doctrinæ Patrum clypeo audaciæ tela retundit. Insuper dum alii Christianæ pietatis flammas extinguere penitus aggrediuntur; ipse charitatis suæ ardore eas sufflare profitetur. Prodeat ergo in lucem liber iste, ut suæ lucis splendore caliginosa commenta dissipet. Sic censemus in hoc nostro Collegio D. Thomæ sexto idus Novembris anni Domini 1656.

FR. PETRVS CHACON, Mr.

FR. ALBERTVS ARISPE, Mr.

FR. JOANNES à CRVCE, Mr.

Auctor

Auctor ad Lectorem.

Breviter te moneo, Lector optime, me arripuisse occasionem hoc antidotum tibi propinandi, quod mihi adhibendum dedit R. Pater Mag. Thomas Hurtado, qui inter diversa Apodigmata quæ elaborata habet in celebri Apologetico, *pro honore Antiquæ, venerandæ doctrinæ, contra ignominiam, & dedecus novitatis*; ego enim meo Marte typis do, ne contagium venenosæ qualitatis *opellæ* Raynaudi & *Apologiæ* Leodegarii serperet, & animos tam vivorum quam mortuorum inficeret. ego autem aliquos satis bene piperatos, & scommata, quibus improperia, & strophas Leodegarias corrigerem, & fœtor premeretur, ne exhalaret, adjeci; ut experiatur Raynaudus animositatem Hispanam ad illi *redactivandum*. Quare curavi, ut quanto citius prœlo sudet nomine meo, ita ut Auctori principali pro veritate & doctrina sana pugnanti, victoria tribuatur & honor. Vale, & fruere.

ANTI-

ANTICIUM I.

Titulus Libelli Leodegarii pro defensione Raynaudi discussus.

Libello Leodegarii pro suo Raynaudo hic titulus affixus est: *Thomas Hurtado clericus Regularis minor, vulgo Piloso. In Resolutione controversiæ de communione pro mortuis vulsus, ac depilatus à Leodegario Quintino Heduo, sacræ Theologiæ Doctore.*

Quamvis de his, quæ in titulo effutiit Leodegarius *Raynaudi*, minus curem, quam *de Ranis palustribus*; nihilominus aperienda est fallacia tituli: bene ad rem Plinius Junior *epist. 29. Montano suo. lib. 7. Maxime hic titulus me admonuit*, (loquitur de titulo sepulchrali, sive epitaphio in Palantis sepulchro posito) *quam essent inimica, & inepta, quæ interdum in hoc cœnum, in has sordes adjicientur, quæ denique ille furcifer, & recipere ausus est, & recusare, atque etiam ut moderationis exemplum posteris prodere. Sed quid indignor? videre satius est, ne se magnum aliquod adeptos esse putent, qui huc fœlicitate pervenerunt, ut videantur.* Hæc Plinius. Quis, inquam, Mimicum non judicabit titulum hunc, quem misellus hic D. suæ opellæ apposuit? bene Ausonius:

Misselle Doctor & tibi sit obscœno,
Tuumque nomen Theta sutilis signet.

Cum gravissimæ controversiæ titulum mimicum quasi comœdiæ apponis, ineptamque epigraphen appin-

appingis materiæ dogmaticæ, tua fœlicitate fallaci, magnum quod adeptus es nomen; ad id perveniſti, ut titulo ridiculo appoſito ridearis, & irridearis.

Hoc artificii genus in officina Raynaudi conflatum eſt, cum vix ſit aliquis liber ab eo typis datus, ceu Mimicum titulum non apponat, non ſecus ac Hiſtriones, ſuis comœdiis, ut novitate tituli allecti homines, lucra augeant. *tomo de Incarnatione. Deus Homo.* lib. de laudibus Virginis. *Dipthyſæ Marianæ.* libro de ſuffragiis mortuorum. *Iuſta & inferiæ piis Manibus.* libro de vitis Trium Fundatorum Religionum. *Trinitas Patriarcharum.* Libro. Ubi de calumniis omnium fere ſanctorum. *Hoplotheca calumniæ. lib. de bono & malo Latrone Metamorphoſis.* libro de communio. pro mortuis. *error popularis*, dicitque quod hic eſt *guſtus operis, cui titulus eſt heteroclita ſpiritualia, & anomala pietatis* (quod opus ad manus meas non pervenit, eſt enim prohibitum in totum à Sacra Congregatione de Indice) ecce tot libri novi de ſolo titulo, aut tituli ſolum novi. quamvis, quia res nova, in aliquibus proſcripti ſunt & relegati. hanc titulorum novitatem imitatus eſt Leodegarius. bene de utroque Horatius *in ſermonibus*:

Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.

Utrumque in utroque vituperandum æque. ſed hic non omittendum, quod Raynaudus uni ſuorum operum hunc titulum appinxit. *Triplici nodo triplex cuneus*, qui novus non eſt, fateor, quia

Jacobus

Jacobus, Rex Angliæ eo uſus eſt, ut ſuam hæreſim tueretur adverſus *duplex diploma Paulinum, & Epiſtolam Eminentiſſ. Card. Roberti Bellarmini*, quo triplici nodo Catholico, Catholici illius Regni adſtringebantur Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, & ipſe Rex hæreticus triplicem cuneum *hæreticum*, appoſuit, & ſuo libello hunc titulum, *triplici nodo triplex cuneus*; quare fateor quod hujus tituli non fuit primus fabricator Raynaudus, quia ab hæretico illum ſurripuit, & ſic *in eo ſtat lapide*, in quo hæreticus Præco prædicat, quamvis diverſam doctrinam: cave, ne à frigore lapidis frigeſcas.

Piloſum me dicit, & omnes meæ Sanctæ Religionis alumnos ſolemni profeſſione adſtrictos vocitat. tale cognomen nobis hucuſque non eſt impoſitum, niſi ab aliqua maledica lingua. bene de te Plautus. *Menæchme* 3. *ſcen.* 1. *verſ.* 30.

Adoleſcens, quæro quid tibi mecum eſt rei?
Qui mihi maledicas homini hic ignoto inſciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari
Poſtea? ———

Si inſciens eras de noſtræ Religionis inſtituto, quæ choro & orationi continuæ addicta, actioni & contemplationi vacat, cur inſuetum & inauditum nomen, quod nec fideles, nec Bullæ Apoſtolicæ tribuunt, applicas mendax & maledicus Mimus? ut rem graviſſimam mimicam faceres, & comœdiam; epigraphen apponeres, & ſic moderationis tuæ in conſcribendo exemplum poſteris dares,

dares, & me coëgeris ad juſtam defenſionem, malam rem pro maledictis dando. *heus tu? illa minime facias, utpote eadem mox paſſurus*, dixit *Hyæna Æſopica.*

Certe dum video Leodegarium *Theophili* ita voce plena noſtrum Generalem laudare, & mox manus ſuas non tornatiles aſſumere contra Religioſos ſubditos, eos *piloſos* nuncupando, occurrit epiſtola Petri Cellenſis 13. *lib. 6. ad Theobaldum Abbatem Moliſmenſem*, cui ipſum collaudanti ſic fatur. *Vox quidem veſtra, vox Iacobi eſt, & utinam manus non eſſent manus Eſau! verba veſtra venti ſunt, litteræ cymbalum tinniens, ſermo ſine voce, flores ſine fructu, ignis ſine calore, aqua ſine humore, corpus ſine anima, anima ſine vita.* nonne vox eſt Jacob Patris Laudatio, & manus Eſau piloſæ, filios in quibus bene ſibi complacet P. ipſe laudatus, vituperio afficere, & pilos, quos nunquam habuere, affigere, ut piloſos nuncupet? *nonne verba* Leodegarii *venti, cimbalum tinniens, ſermo ſine voce, & ſine fructu flores, ſine calore ignis urens, ſine humore aqua, dum extollit Patrem, ut filios deprimat?* Leodegarius hic verbis Patrem honorat; *cor autem ejus longe ab eo eſt*, dum alumnos inhonorat. quare Laus in ore malevoli vileſcit, cum, ut Juvenalis:

Plus aloes quam mellis habet.

Quare dum laudat, garrit, non loquitur, blatero & linguax exiſtit, de quo ſcite Eupolis Poëta antiquus:

Adgarriendumpræcipuus & optimus,

* *

Verum

Verum ad loquendum, nemo minus idoneus.

Neque enim Reverendiſſimum P. N. Generalem tuis *vulpinis* laudationibus poteris commovere, vel in tuam opinationem attrahere, eſt ut vere, vel in tuam opinationem attrahere, eſt ut tu dicis, & vere, *quem Romana cortyna ad graviſſimas quaſque de fide & doctrina ſana diſquiſitiones conſultum vult, eſt namque in loco in quo aurum conflatur, & habet argentum venarum ſuarum principia Sedem Petri, & Curiam Romanam, quæ claves cœli principaliter tenet, & clauſura conſiliorum Dei reſerata, diſpenſante Deo, unguentum gratiæ à capite uſque ad oram veſtimenti habet compluere. Hæc Sedes Petri fragroſa, quæque hæreticorum conciliabula elidit, & allidit, profanas vocum novitates reſecat, & reſcindit, ſuperflua confodit, & jugulat hiantia, & ecliptica complet, & illuſtrat.* Verba ſunt omnia Petri Cellenſis. *lib. 6. epiſt. 23. ad Nicolaum Monachum S. Albani.* & ſubdit. *Sole, ideſt Apoſtolico, ac luna, id eſt curia Romana præeunte, tam ſecure quam expedite in lumina vultus eorum greſſus meos poſenerem, & diſponerem, videns vitare lubricum, & ſequi ſolidum & ſecurum.* Si hoc ita eſt, quid laudas quem *piloſum* una cum ſuis filiis vocitas? quid intendis neſcio, an palpari laudibus non ex animo datis; an vituperio ſuæ familiæ ex corde effutito, viſceribus tuis *piloſis* nato ex ore maledico prolato offendere? quare laus iſta tua vilipenditur, non enim illa indiget, qui ab omnibus laudatur, *nam laudari à laudato viro rara eſt mirces ingenii,* dixit Symmachus *epiſt. 6. Auctorarii ad libros epiſtolarum,*

larum, & tu in *hac opella* laudatus à tuis, damnatus es ab omnibus cum Romana curia, quæ profanas tuarum vocum novitates, tum in veros Christi fidei martyres, tum in sanctas Purgatorii animas resecavit, rescidit superflua tua, confodit, & jugulavit.

Ecce ne *Avulsus* sum & *depilatus* à tuo Leodegario Quintino Hæduo, de cujus existentia an fuerit aliquando, quisque prudens judicabit (ut manifeste eliciet ex dicendis infra præludio 1. Par. 2. ubi Epistolam Raynaudi fatentis esse opus suum inveniet) nisi resurrexerit Quintinus ille Hæduus, Antesignanus hæresis Libertinorum in Gallia, quem è sepulchro fœtentem eduxisti multis abhinc annis mortuum, ut mortuos sanctos iterum enecares. ambo truces & atroces estis trucidatores, ambo avulsores, & depilatores. quid Catholice amice, quid depilas? quid avellis à me? an sanam doctrinam Romæ vindicatam à Congregatione Eminentissimorum Cardinal. de Indice? an Doctoris Angelici veram intelligentiam? an praxim Catholicorum piam in animas Sanctas Purgatorii? an quod istis dixerim utilem valde esse orationem ut præcise impetratoriam? si hæc avellis, & depilas, certe nedum à me dumtaxat, sed à mortuorum animabus pia opera illis suffragantia depilas, *radis usque ad cutem*, non solum me, sed Catholicos omnes viventes, imo & Ecclesiam radis, & tanquam *novacula acuta omnibus dolum* & fraudem *facis Attico aspectu*,

& dicendi inani confidentia, sed veluti *Pyrausta audax* exitium habes stultum.

Risi (*nam ridere de hoste, risus est suavissimus*, dixit Pallas ad Ulyssem) quando legebam in fine argumenti præfixi depilationi meæ ea verba tua. *Exhibuit se Hurtado tota hac sua lucubratione adeo Pilosum, ut si Petri Blesensis vocem adhibere liceat, Esauina prorsus sit ejus oratio. Vnde Esau, Seir sive Pilosus denominari merito possit.* Attende, quod etsi Esau pilos haberet in manibus, at habebat vestes valde bonas, quibus si non vestiretur Jacob, benedictionem non surriperet, ad vestes odoriferas & cibos bene paratos attendit sanctus senex Isaac, spretis manuum pilis, quos etsi cognoverit, depilare non curaverit, nec amplius de *Seir* mentio facta (ad mysterium attendebat pilos contemnens) sed de sapore ciborum & vini, quo sacra communio & Eucharistia significabatur, ut est Patrum communis intelligentia. Quare dum communionem defunctis applico, non *Pilosum* me exhibeo, sed Religionem & erga defunctos pium pro pilis lanam præbeo, at tu ut depilare possis pilos, pro lana ovium; vellus rore madefactum occultas, & quo refigerentur animæ, sustollis, & pilos supponis, ut dum depilas suffragium & consolationem defunctis, tollas sine misericordia, quibus *melleam* suffocationem præbes, dum vis ne illas adjuvent applicatione communionis lethale mulsum propinas, & gypsum Lacte mixtum, quo radis viscere pietatis. Quam bene ad aliud propositum

ſitum Cellenſis *Epiſt.* 23. *cit.* & *antiquorum non ambulavit ſemitam noſtram? credo & vere fateor, ſi in hoc erraſſent, & hoc eis Deus revelaſſet.* At nulli revelatum quod non applicent communionem Laicam animabus Purgatorii, imo oppoſitum eſt omnino revelatum multis ſanctis; quare dum depilas non pilos Eſau, ſed veſtes ejus odoriferas furaris, ſed non ſicut Jacob benedictionem accipies, ſed maledictionem, exilium, & relegationem ab Eccleſia. Etenim Sophiſtam profecto etiam ſcribens agis, atque vocabulorum elegantiam fingis, cum ſis utilitatis fructu omnino vacuus.

Non cujuſvis eſt (heus tu? dicit Peluſiota. *Domicio* ſcribens *epiſtolam* 214. *lib.* 1.) *dogmatiſtem agere, quandoquidem nec omnium purpuram geſtare. abſtineas velim ab Eccleſiæ minime congruentibus diſputationibus, quæ nullam Auditoribus utilitatem afferunt, verum Religionem noſtram in contumeliam trahunt, infenſoſque, atque infectos nobis hæreticos, non adverſum te, neque ad te accuſandum, & inſectandum flectunt, verum ad pietatem convitiis & maledictis inceſſandam extimulant, non enim inſciam tuam perſpiciunt, verum piæ doctrinæ imbecillitatem riſui ac ludibrio habent.*

ANTICIUM. II.

Responsio pro Epistola dedicatoria, quam mittit Leodegarius N. Patri Generali P. Raphaëli Aversa.

Quis non stupeat Leodegarii petulantiam & infrunitam audaciam, dum Gallus cum sit, Ὀψοφαγιξεῖ acerbam & immaturam uvam à *siculo furatur*, eaque oblata N. P. Generali *Suffeni officium vile* exercet, sibi inaniter placens cæcus ad sua, & Aquila à longe prospiciens minutulos defectus alienos, & eos inutiliter propalans, dicax & mordax benignior *pellace vulpe* quæ ut sic maledicentiam effundat, benevolentiam & reverentiam simulat P. N. scribens ut odium in me, & mea scripta ostendat, & cur hoc? nisi quia Epiphillides & meras nugas suas mundo ostendere, provocat ad superiorem supremum nostræ Religionis, illi offert *munus levidense* villo cassо, caloreque malo contextas, conqueror cum Juvenali de Leodegario *Raynaudi*,

Et male percusus textoris pectine Galli.

Quisunquam tale adulationis genus agnovit? benevolentiam captare honoribus relatis, quos mittit in manu onusta convitiis, quam vix centum remiges valeant commovere in filium & subditum, & Religionem ipsam quam gubernat ille, quem callide laudat, & præconizat veras laudes, sed dolo & *vulpe* utitur, *Mercenario præconio* caput nostrum

ſtrum ornat & coronat, ut membrum in quod influit, debilitet, & inutile reddat; at bene Chius ille Democritus:

Ipſe ſibi mala cudit, quiſquis alii mala cudens.

N. R. Averſa ſic loquitur. *Ab extrema Iberia per tot maris terræque tractus judicium de libro ſuffragatione cenſorum probato perfertur ad Generalem Moderatorem: quid mirum tot curis diſtentam mentem, edendi facultatem in ſide ſuffragatorum conceſſiſſe? Breviculum aberrationum, falſiloquiorum, petulitatum in opere non redolente tuam in ſcribendo gravitatem, in diſcutiendo ſubtilitatem & ingenium, in confutando modeſtiam, in ſtabiliendis tuis placitis firmitatem, ac ſoliditatem, repræſentatum venio.* Hæc verſipellis Epiſtola. Certe quidem, ut ait Cellenſis. *lib. 2. epiſt. 13. primum vinum ponis, deinde acetum ſupponis. ad ultimum mixturam myrrhæ & aloes apponis.* admitto Laudes P. Generalis, quia ſibi ex multis titulis debitas, aſt meas aberrationes, falſiloquia, & petulcitates prorſus repello & extinguo hoc antidoto, ut Catholico legenti conſtabit, cum Leodegarius aberraverit à ſana doctrina, *falſiloquiis, & petulantiis* plena ſit ejus tractatio, & ut dici ſolet *Papæ Myxus* eſt fingens ſe mea mirari, ne admirentur ſua, caute loquacior exiſtit reſonans verborum fragrore ſine ſoliditate, quare Lux (Leodegarii) extinguetur, & ſplendor flammæ ignis ejus folia librorum ejus areſcent, quia ſine radice ſanæ doctrinæ. Etenim (ut quidam ſapienter ait) *quantumcumque emineat*

arbor, hæcque floruerit, ac fructus quoque tulerit uberes si verbosis in radice lateat (ut in tua) non potest non exarescere, aut amarorem per ramos, per fructus, perque ipsa fructuum semina non diffundere, ut diffundit Leodegarius *Raynaudi* in omni fere sui libelli folio & semine: quare satius esset Raynaudo consilium sequi Aristophanis in Ranis:

Catulum leonis ne alas in Republica,
Ac maxime ipsum ne leonem alas ibi.

Os enim leonis fœtet semper, & ferocitatem suam exercet: *sed fælix anima* (ait Cellensis *lib.* 6. *epist.* 4. *ad Nicolaum Monachum*) *quæ veris assueta præludiis fallaces & feroces tempestive procedit, malignorum accusationes vindictam judicialem exigens, ut ventilabrum non inveniens, quod vexando excutiat, sola grana æternis Apothecis reponat.*

ANTICIUM III.

Ratio Procrastinatæ Antidoti Catholicæ.

Fateor verissimum vulgare dictum, *quod nova & insolita morborum genera nova indigent medicina*, novum & insolitum venenum novo antidoto & alexipharmaco, quod hausto illo statim propinandum:

Pharmaca nascenti sunt adhibenda malo.

Et ut Persius. *Satyra* 3.

Elleborum frustra cum jam cutis ægra tumescit.

Nam quid prodest remedium, quando jam possedit venefica vis? *Sero jam medicina paratur*, quare statim

ſtatim ac mea intentata, ſed caſſa depilatio & avulſio fuit in publicum edita, apologetico ſcripto Leodegarii veneni referto, quo virus Raynaudinum tuetur, deberem ego antidotum conficere, & alexipharmacum componere, ne veneficum contagium etiam mortuos attingeret; quia:

Sermo iniquus quia per ſe ſit morbidus,
Medicamenta exquiſita depoſcit ſibi.

Unde ſummo ſtudio, feſtinatione ſumma medicamentum huic malo deberet adhiberi & calamo, *calcaria ponere, velis, equiſque properare*, ne invaleſceret ægritudo, & velut cancer creſceret in Eccleſia, & non poſt trium decurſum *lampada tradere veritatis* cũ *jam nemo queat geſtare facem*, quod non curant exercere, & ſic inertia mea culpanda videtur, nec temporis intervallum obligationem reſpondendi vitiat, fateor me obligationi teneri, tum ob bonum publicum, tum ob propriam famam, quæ mea non eſt, ſed Religionis, imo & Hiſpanæ Nationis & Thomiſticæ Doctrinæ, quam ſemper defendo, tutamen.

At procraſtinatæ reſponſionis & compoſitionis antidoti ratio fuit, quia venenum ad manus meas non pervenit niſi hoc *anno* 1656. *menſe Aprilis*, facta exquiſita diligentia, mari, terraque, & cum ignoraretur titulus opellæ *Andabatarum more* ambulabamus, multi amici ex hoc Hiſpalenſi Emporio ad Lugdunum miſere per Epiſtolas enixe poſtulantes reſcriptum hoc, ex *Mantua Carpentana* pariter idem periclum ſubiere plures

& graviſſimi viri, nec aſſecuti ſunt. Putabam ego quod Raynaudus ſciens animoſitatem meam, impedivit ne ad Hiſpanas oras liber adventaret in publicum, tum ne interciperetur à S. Officio, tum ne reſponſum haberet condignum, & ſic gloriari, quod non *redactivarim* ſibi, ſicut gloriatur de aliis.

Sed diſponente Deo, tandem Pater Hieronymus de Salcedo noſtræ Religionis ſacerdos valde eruditus & doctus invenit dragmam, quam deſiderabam toto animo invenire, qua accepta non poſui in ſudario & in occulto, ſed convocatis amicis & vicinis, ut congratularentur mihi de dragma inventa, eam impoſui mihi ad uſuram ſtatim ſine mora: faxit Deus quod ita citoſudet prælo antidragma ſana & non adulterina moneta, contra falſam, cum ſit obſignata ſummi Pontificis ſigno & Catholicæ veritatis caractere & ſigillo, quæ:

Mox ut jam pedibus talaria ſubdidit aurea,
Pulchramque Ambroſiam ſpirantia quæ ſimul illum
Aëre per liquidum ſimul ampla per æquora vaſtæ
Telluris venti flatu dominante, ferebant.

Et ſic ſpero quod Antidotum hoc ita per accidens moroſum quod pulchram ſpirat *Ambroſiam*, deferendum per æquora, vaſtamque tellurem, ut proſit vivis atque defunctis *Ambroſia Euchariſtica*, laica *communio*.

ANTI-

ANTICIUM IV.

Oratio ad Ieſum.

HAnc fecit Caſſianus. *libro 7. de Incarnatione Domini cap.* 1. diſputans contra Novatores quam ego profero contra novitatum nundinatores, expoſcens contra eos auxilia gratiæ *prævenientis, comitantis, & ſubſequentis.* Sic:

Te Domine Ieſu precamur, ut des nobis verbum in apertione oris ad deſtructionem munitionum, cogitationes deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus Dei ſcientiam, ut captivemus intellectum in obedientia tua, quia verè liber ille fit, qui cœperit tibi eſſe captivus. Adeſto ergo tuo officio, tuo operi, tuis pro te ſupra menſuram virium connitentibus. Da hiantia novi ſerpentis ora & tumentia lethalibus venenis colla conterere, qui facis ſupra ſerpentes & ſcorpiones illæſos credentium pedes ingredi, ac ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulare, & conculcare leonem & draconem. Tribuiſque per intrepidam Innocentiæ conſtantis audaciam, ut delectetur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis, & in cavernam Reguli, qui ablactatus fuerit manum ſuam mittat. Da ergo & nobis in cavernas hujus immaniſſimi Reguli innocuas manus mittere, & ſi in foraminibus quibus jam, ideſt in ſenſu humano latebras aut cubile habuit, aut ova poſuit, aut ſquamoſi tractus ſemitam dereliquit, auſer ab univerſis perniciosiſſimi hujus ſordidum & ferale contagium. Extrahe illatas immundicias & obſcœnas redo-

lenti

lenti cœno animas, ventilabro ſacræ expurgationis emunda, & ſpelunca adulterantium veritatem domus ſint orationis. Et in quibus nunc ſcriptum eſt diverſoriis Ericii, & onocentauri, & piloſi, & diverſorum prodigiorum monſtra, verſantur in his Sancti Spiritus tui dona, id eſt fidei, charitatis, miſericordiæ & Religionis reſplendeant. Fiat, fiat.

ANTICIUM V.

Antidoti Catholicæ Proœmium.

Graviſſima damna Novitates perniciosæ in Eccleſiam invexerunt magniſque incommodis Reimpublicam implicarunt. Nec mirum, peſtis enim in modum graſſantur, ſerpuntque velut cancer, ac niſi naſcenti malo tempeſtive occurratur, multo profecto difficillima curatio fit, plurima extant noſtra & avorum ætate calamitatum, quas Reipub. Chriſtianæ novitates hujuſmodi, initio neglectæ nec convulſæ radicitus importarunt. Nocent quidem plurimum multoſque inficiunt peſtilentiori afflatu, & per dulces ac compoſitos ſermones, & verborum ſuavitate ſeducunt, & in laqueum erroris inducunt plures. *Eſt enim novitas iſthæc monſtruoſa hydra, quæ non niſi ignibus applicatis inuritur, & novo & inaudito miraculo numeroſior capitum numerus per ſua damna creſceret, cum multiplicato mortibus ſuis monſtro, quidquid ferrum ſecantis abſcinderet totum id fecunditas prodigioſa germinaret.* Ita (ait Caſſianus lib. 1. de Incarnat.

carnat. Chriſti cap. 1.) Novitates perverſæ in Eccleſia illius quam poëtarum commenta finxerunt, hydriæ ſimilitudinem gerunt, iſtæ adverſus nos linguis feralibus ſibilant, & iſtæ virus lethale jaciunt, iſtæ ſectis capitibus naſcuntur. Sed quia reſurgente morbo non debet ceſſare medicina, & quanto major fuerit ægritudo, tanto inſtantior debet eſſe curatio ad hujus novam novitatis nativitatem, quam renovavit Raynaudus *in Leodegario* explodendā, plura accumulanda iis quæ alibi ſcripſi, putavi, non neceſſitate probationis, ſed pro facultate rerum & copia, ut quidquid non conduceret defenſioni veritatis eſſet illis ornatus. Sic enim depoſitum mihi cuſtodiendum, ſervo, & devito profanas vocum novitates, quod debet obſervare quilibet ſcriptor Catholicus, non novare, ſed renovare antiqua, non ſubſtantiam mutare, ſed modum in dicendo adjicere.

Egregie Vincentius ille Sirenenſ. *in ſuo libello contra prophanas novitates cap.* 27. Hoc expreſſit. *O Timothee, O Sacerdos, O Tractator, O Doctor, ſi te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, eſto Spiritualis Tabernaculi Beſeleel, pretioſa divini dogmatis gemmas inſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem, intelligatur te exponente illuſtrius quod antea obſcurius credebatur, per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea vetuſtas non intellectum venerabatur, eadem tamen quæ didiciſti doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.*

Non

Non ſic faciunt multi hujus temporis ut D. Aelredus *Serm.* 30. *in cap.* 16. *Eſaiæ. Aliquis* (ait) *ſuperbus & arrogans ad vineam ſcripturarum accedens, & inde diverſarum ſententiarum transferens plantas, in agro ſui collocat cordis, & multis meditationibus colens, vineam ſibi creat inflatilis cujuſdam ſcientiæ, ex qua vinum ſibi exprimens, quærit cui proferat ſpiritum ſuum & oſtendat ſapientiam ſuam. Vnde non immerito vinea hæc, vinea dicitur Sabama, ideſt extollens altitudinem. Quidquid enim altum ſapit, qui eſt ejuſmodi, non quieſcit ſpiritus ejus, donec efferatur in publicum, ita ut modo quodam loquendi, & typo, nutibuſque oculorum proclamare videantur. En venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas novas corrumpit.* Vere quidem novitas muſtum eſt in animo expreſſum de botro uvæ vanæ gloriæ, & ambitionis, quod viſcera diſrumpit nova, ideſt pruritu vanitatis tacta, nec ceſſat quouſque foras egrediatur, etſi cum periculo animæ; & fidelium ſcandalum inde emergat.

Ego ſuperioribus annis *Lernææ Hydræ* Theophilinæ centum fere capita habentis duo ſecavi, unum quo venenum veri martyrii caritatis, alterum quo venenum interficiens animas ſanctas Purgatorii effudit; utrumque etiam *ſacro igne* applicato combuſſi, at peſtilentior *Hydra Theophilina* quam *Lernæa*, quia iſta igne combuſta amplius non germinavit, & illa non obſtante, quod ad cinerem redigit in Romana Congregatione de Indice *ignis expurgatorius*, adhuc repullulat no-

va

va & inaudita audacia in Leodegario Quintino Hæduo, in quo *vineam ſibi creat* Theophilus *inflatilis ſcientiæ*. Ex qua non vinum, ſed venenum exprimit, illique communicat ſpiritum ſuum *extollens altitudinem ſuam*, non quieſcens donec obtulit Leodegarius in publicum, *novo modo*, *novo typo*, *nutibuſque oculorum* quos caracteribus impreſſit proclamans. *En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas novas corrumpit*, ut diffuſum ſuis vaporibus etiam ſi fieri poſſet, *mortuos enecet*.

Quare ne contagium ſine remedio & medicina creſcat, & diffundatur iterum, huic *Hydræ* quæ in Leodegario revixit, *ignem* applico *ſacrum* ut evaneſcat in fumum, abeat virus *Lernæum* quod eloquentia tectum animas inficit & animas interficit, unde ipſe perit in eloquentia ſua. *Nam eloquentem* (ait Peluſiota *lib.* 3. *epiſt.* 42. *ad Theodorum ſcholaſticum*) *ego hunc eſſe ſtatuerim, qui id quod animo concepit demonſtrare poteſt, non qui doctiſſimis & ſublimibus verbis, ea etiam quæ clara & dilucida ſunt, obſcurat; ille ſiquidem, quod latet in lucem profert, hic illud etiam quod omnibus perſpicuum eſt, in tenebris occultat, eoque nomine ille, ut qui auditoribus prodeſſe cupiat, ampliſſimis laudibus celebratur. Hic contra, ut qui ſuæ gloriæ cupiditate flagret, honoris ac præmii expers relinquitur.* Quamobrem ego ne præmii in cœlo expers relinquar, non ſublimibus verbis antidotum conficio contra venenum animabus ſanctis pernitioſum; quod ſi aliquando

acrius

acrius loquar contra hujus veneni *Regulos*, veniam promereor, quia jus defunctorum defendo, & miserabilium animarum *non absque mente aut sine numine divum*, qui nuperas opiniones aversantur, & ad eas debellandas vires porrigunt.

§. 1.

§. I.

Præludium I. *Theophilus*, in ſuo Leodegario *caſtigatus, & objurgatus à S. Gregorio Nazianzeno.*

Magnus ille Gregorius Nazianzenus cum *epiſt. 61. alias 55. Euſtochio, Sophiſtæ* ſtagiriſmo addicto, ſalubre & amicum conſilium, etſi per modum accuſationis, dedit. *Accuſationem* (inquit) *accipe Coroplathoſillos tuos* (id eſt pupparum figula & idola) *& Telchinas* (ideſt Cabyros, Corybantes & Idæos Dactilos, qui, novo luſus genere excogitato, clypeolis æneis inter ſe converſantes æris tinnitu occultant veritatem) *minime laudo, quibus artis amulum inſectaris. Quouſque enim* iſta? Nunquam *ne ſophiſticæ huic obtractioni & maledicentiæ finem ſtatuemus? An expectabimus dum modo ab hac improbitate nos abrumpat? juveni enim fortaſſe, honoris cupiditate flagranti, qui hæc modo patefaciat, non nihil venia dari poſſit; lubet enim in gratiam tuam Demoſthenis verbis aliquantulum uti. Hominem autem id ætatis, atque hoc rerum ſtatu publicè alium infamare, viciſſim infamari, intempeſtivum prorſus, & pertinacis contentionis plenum: non ſolum quia hoc animo inhoneſtum & ſordidum eſt, ſed etiam mira eſt hujus rei facilitas, perinde ac fluctus reciprocantes.* &infra. *Quæ igitur hæc ſapientia eſt, cum virtute vincere liceat, vicio, ſuperari aut etiam ſuperare, quod multo pejus eſt? Atqui convenit, ut ſi hæc falſa exiſtimentur, non laudentur: ſi autem vera eſſe creduntur, publicè judicentur; aut etiam hanc rationem adhibere, ut, ſi falſa*

objiciuntur, accuſatores arguantur, ſint vera, ii adverſus quos oratio habetur, non autem permittere, ut nobilium virorum exiſtimatio (res maximi ponderis) tam facile ludibrio adhibeatur. Quare ſi meo conſilio paretis, hujuſmodi ſermones & vituperationes valere ſinite, ſi nihil aliud, canitiei certe reverentia, aut certe rerum turpiſſimarum laſſitudine. Nec, cum vobis ipſis, tum juvenum ſpei inſidias comparate. qui profecto graviſſima injuria afficientur, ſi literarum ſtudia colentes vitium addiſcant, & quidem non ſine mercede; proinde ac vos non virtutis, ſed vitii Magiſtros habeant. hactenus Nazianzenus.

Quæ ægre ferens Euſtochius, pro tam ſalubri conſilio malam gratiam Gregorio rependit; maledictis & convitiis optimum virum inceſſens: quibus non ſe moveri, ait, Theologus illi reſcribens *Epiſt. 62. alias 56. Quale illud eſt quod ignoravi, quam ſtultum & ineptum! virum ſophiſtam caſtigare inſtitui. O ſingularem audaciam! ac nec vulgari quidem proverbio eruditus ſum; ut cum calvus eſſem cum ariete obverſa fronte ne congrederer, nec crabonem laceſſerem & irritarem; hoc eſt, linguam ad maledicendum paratiorem. Quamquam illud quidem non admodum me diſcruciat. Multis enim, ut audio, adjunctus ſum, ac ſi vixeris, multis etiam ante ponar. Hoc vero acerbius me angit, quod tibi minime probavi me hoc animo amico facere, & tamen opto quod tum corpore, tum animo valeas, ac linguam, ſi fieri poſſit, coerceas.*

PARS I.

Capitula literarum Gallicarum Raynaudi.

Pulchra quidem epiſtolarum connexio, quæ præludium præſtat paradigmati Theophilino & Leodegario. Exemplificat enim id quod mihi contigit, ſcripſit Pr. Theophilus Raynaudus *ann.* 1637. Lugduni ſumptibus Gabrielis Boiſat & ſociorum opellulam, cui titulus: *error Popularis de communione pro mortuis*, quam adjunxit alteri tractatui: *de ortu infantium contra naturam per ſectio-*

ſectionem Cæſaream, ſed opella illa (in qua pro fine & principio ponit dictum Inn. 3. *in cap. de homine de celebr. miſſ. falſa ſunt abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora*) ab *ortu ſuo* malũ ſpiravit odorem in Eccleſia, quem ego præſentiens, ne contagium apud pios generaret *anno* 1645. calamum arripui, ut demolirer opellam, & oſtenderem *abortum fuiſſe contra naturam*, quem edidit, & infælicem. Sed *in mea Reſolutione*, quæ *eſt LL. tract. ultimi meorum Moralium*, unum, vel alterum verbum acre, ac mordicans dixi, quo ita eſt animus ejus exacerbatus, ut tum ſpeciali libello ſub nomine Leodegarii (ni fallor *perſonati*) qui mihi anſam præbuit hujus apodigmatis conſtituendi, tum epiſtolis familiaribus ad amicum ejuſdem ſocietatis miſſis, quæ ad manus meas pervenere, ex diligentia Doctiſſimi & Nobiliſſimi Viri D. D. Joannis de Solorrano Pereyra Regii Conſiliarii (jam defuncti non cum parvo rei literariæ detrimento) pro ſua benignitate vinculo amicitiæ mihi juncti. Hic tantus vir remiſit *epiſtolarum capitula*, quæ de me erant, quibus improperiis me lacerans, ſic fans: (ea tranſcribo ut apud prudentes excuſationem habeam, *ſi calamo ſoluto* aliqua acriora ſcribam.)

In prima Epiſtola ſcripta Lugduni. *die* 11. *Decembris ann.* 1652. *Quod attinet ad Thomam Hurtado, nondum illum vidi, ſed nihil quidem ad me pertinet. Ego non ſum hoſpes in hujuſmodi bambilionibus contundendis. Iam ſex multavi, Barreſium, Camerarium, Chieſonium, Dolanum, Launayum, Goldufum, & omnes æque dure. Nemo eorum auſus eſt redactivare. At videro quid notet, apparabo illi moretum ſalitum, & piperatum, niſi agat de Martyrio, circa quod oportet me dextre agere, & tempus præſtolari opportunum, quamquam nec circa hoc abibit prorſus impune, ſi foveam ſuam ibi repererit Ericius.*

In 2. vero Epiſtola è Lugduno etiam miſſa 16. *Novembr.* 1654. ad eundem conſodalem ſic habet. *Revenio ad V. R. quæ me alias peramanter monuit de Thomæ Hurtado in me petulantia. Et ut quidem ſignificavi ſtatim ac*

accepi quid ille moviſſet, curavi ut reciperet mercedem ſuam. Libellus de hoc piloſo, vulſo, depilato, pupugit ſuos Italos, & minantur ab ejuſdem Hurtadi calamo multa & gravia. Promiſi ſtatim, atque reſcivero quid ille præſtiterit, fore, ut intelligat me adhuc vivere. Itaque rogo R. V. ad quam puto jam pridem perveniſſe reſponſum per me vulgatum, ut ſi ille aliquid reponat, monear, illico enim curabo ejus inſcriptionem ad me remitti, ne abeat abſque debita compenſatione.

PARS II.

Reſponſio ad capitula Galli.

Hæc Epiſtolarum capitula accepi *ann.* 1655. *die* 7. *Martii* D. Angelici feſtivitati dicato, & illico, ac legi & vidi tam inſolita verba Religioſi viri contra omnem diſciplinam regularem, reſpondi (fateor aliquantulum ab ea divertens) acriori, & pungentiori calamo, ut agnoſceret non me annumeraturum inter ſex illos, quos gloriatur non ſibi *redactivaſſe*, etſi dure eos multarit, accepit acre reſponſum meum, quo ita amaricatus eſt venter ejus, ut amico ſuo reſponderet in hæc verba. *Epiſtola Thomæ Hurtado eſt acetum cum felle mixtum. Itaque non nihil reponam, ſed ubi accepero quod cudit in Hollandia, ibi haud dubie aliquid pro ſe dicet. Neque ego diu protelabo ſolutionem & in ſpecimen judicii ac modeſtiæ ejus, hanc ipſam Epiſtolam ad me ab eo datam divulgabo.*

Huic *Galli* capitulo ſtatim ac remiſſum mihi eſt è Regia Curia, incunctanter & abſque mora reſponſum dedi his verbis. Lætor quod etſi tantum in ſpecie externæ locutionis, minus ſuperbe & arroganter reſpondeas amico tuo ex cujus fonte aliud capitulum apparenter humiliatum defluxit, ſed adhuc hias & minitaris, cæterum,

Properato propera, more lupino hians,
Fruſtratus his inpoſterum curras diu.

Dicis, & bene, quod mea Epiſtola tibi data, fuit *acetum cum felle mixtum*; ſi ita eſt, fœlici calamo ſcripſi, nam conſe-

conſecutus ſum quod intendebam, ut tibi pungeret *acetum* & venter tuus *felle* amaricaret, & ſic ad meliorem frugem in ſcribendo pennam temperares. accommodans tuam non mediocrem eruditionem ad fidelium & Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ædificationem, & non *ad machinamenta Megarenſia*, ſive *Sphinges*, quæ mollicie ſua, & vocis ſuavi inflexione alliciunt, non veritate pungunt ad ſalutem. Quare ſi *acetum cum felle mixtum eſt*, guſta ſaltem, ſi non vis bibere, ut vel guſtu ipſo mortificeris, & omnes ſciamus *te adhuc vivere ut oportet*, non ut minas effutias, & in omnes tuis ſcriptis inſurgas. nam ſi ſicut in altero Iſmaele filiô Agar (& ſicut in aliis næniis exultes, pro *Iſmaele* dixi *Nemrod*, fateor non occurriſſe *Iſmaelem* quia calamo currente dictavi Amanuenſi, & ſi ibi nominis hebraici ſignificationem aſſumpſerim *Nemrod*, qui idem eſt *ac Rebellis*. Utique veritati, quam præcipue attendebam, non ad referendam Hiſtoriam ſacræ ſcripturæ, quod non ſemel faciunt Patres, congruit. Lege Hieronymum *lib.* 4. *in cap.* 23. *Matth.*) *manus tua* & calamus tuus *eſt contra omnes*, neceſſario inſequitur, quod *omnium manus* & calami *contra te* exſurgant. Gaudeo te me recognoſcere, & advertere animoſitatem qua polleo ut tuis dicteriis reſpondeam, quia æquum non eſt ut glorieris hominem Hiſpanum tibi non reſpondiſſe ſicut gloriaris in priori epiſtola, ita viciſſe aliarum Nationum viros quos obmutuiſſe tuis ſcriptis dicis. Ego vero gloriam tuam vanam iſtam evaneſcere, & in fumum verti, faciam.

Non reſpondi ad Apologiam quam memoratis contra me factam, & à te promulgatam. (Apologon *Galli* cum viro Hiſpano verius dixerim) quia ſumma & exquiſita diligentia facta illam habere nequivi; ſuſpicor quod veſtra negociatione impeditur, ne ad Hiſpanas oras appulerit. Scio jam *inſcriptionem & titulum*, cui ſimilem, ſed ſolidiorem, ac veriorem habeo jam præmeditatum, & ſtatim ac ad manus meas tuus libellus accedet, non protelabo reſponſionem promeritam dare, ſemper tamen attendens ad verſum Sophoclis

Ni esses Pater, te sapere dicerem, haud bene

semper enim veneror religiosum habitum societatis vestræ, in qua plures & eos gravissimos confidentes vestri regiminis meæ agnationis & familiæ habeo, & inter eos avunculum ex matre martyrio non charitatis, sed fidei coronatum in Japonia. P. Melchiorem Hurtado, cujus agonem in *Archivis Romanis* servatum, transcriptum mihi dedit Reverendiss. Pr. Mutius Vitelleschi Generalis vester, heu! quondam valde meus.

Jam, ut spero, Tomus meus cusus Coloniæ Agrippinæ *de vero Martyrio fidei* contra tuam *καινολογίαν de vero martyrio charitatis & misericordiæ* relectus erit ab eruditione tua, ibique spatiosum campum aspicies, in quo delecteris, sed timeo δὶς κεφάλην ἅλλεσθαι ne tædio affectus & odio impugnationes perlegens deficias, nam

Occidit miseros Crambe repetita Magistros

satiare, obsecro, de Crambe recocta igne expurgatorio Inquisitionis sacræ, ut evomas doctrinam, qua inebriatus es, de novitate *martyrii misericordiæ*, quod *vero martyrio fidei* audaciter anteponis.

Dicis confidenter, quod *Epistolam meam ad te datam divulgabis in specimen Iudicii & modestiæ meæ*. O bone Deus! quanta sunt vestra stratagemata! meum scriptum publicum facies mundo, & occultabis literas tuas, quibus superbis verbis & inusitatis locutionibus me laceras & provocas ad pugnam (quas ego in publicum dabo, ut pondus judicii tui innotescat, & modestia tua nota sit omnibus hominibus.) Modo quid dicam de titulo libelli quem contra me scripsisti? *avulsum, & depilatum* facis, *moretum bene salitum, & piperatum* promittis; *Bambalionem me* appellas, & arroganter dicis, quod respondebis, ut sciam *te adhuc vivere*. Utinam & vivas, & quid ad me quod moriaris? Da obsecro communi Lucica, quæ de me scripsisti, & quibus laceraſti & provocasti, ut mundus, & Ecclesia agnoscat tuam arrogantiam & meam animositatem in respondendo: non enim putare debes, quod

Ipse sapis solus, volitant alii velut umbra,

& ut

& ut hoc mundo persuadeas *tragici cothurni strepitus* facis, *statuas & vulcani tripodes fabricaris*, quas ad certamen judicum delatas delitescere faciunt judicamine recto fidei censores Eminentissimi.

Velim quod mihi stateram qua judicium & modestiam ponderasti ostendas, si publica est, & Regia, specimen Regium, & publicum ostendet, manifestabit, declarabit operibus meis antiquitatis pondere trutinatis; nisi hanc stateram transgrediaris novitatibus tuis, si vero statera, qua judicium & modestiam meam libras, est judicium tuum, parum timeo, quia est dolosa & restricta ad libitum tuum, & non communi hominum prudentum æstimatione decreta, sed à te inventa *Punica fide*. sed ne in longum abeam, concludo. Si pacem & honorem cupis cohibe linguam, & calamum modestia tempera, quo medicamento *morbum Herculanum* quem tua eruditio invexit, expelles, & tumorem, quo incrassatus & impinguatus in omnes recalcitras. Quare si tua facundia non protelabit solutionem eorum quę pro me adducam, ut ex hoc *laurus tua insana* non sit & omnibus satisfaciat, simul cum solutione primam meam Epistolam simul cum hac secunda typis da, & divulga, nam si prima sine secunda prælo sudat, non plene satisfacit & sincere, sed dolose & vafre, ut te exaltes & meam deprimas modestiam, & opinionem obscures, & macules specula in quibus claret. Ast frustra niteris, ut spero, vereor tamen ne dum *quaris* de meis libris *obsonium*, *vestem perdas*. Vale in Christo, ora pro me, & ego orabo pro te *Hispali* 22. *Augusti* 1655.

§. II.

Præludium II. Magni Nazianzeni doctrina, Raynaudi, in suo Leodegario exprobrantur maledicentia, & opprobria contra me edita.

Hæc est ad verbum Epistola à me Theophilo remissa, in qua, sicut & in prima, & *in Resolut. illa* 11. (in qua mitius elocutus sum) notavi Theophilinos *Coroplatos*, *Telchinas*,

Telchinas, Corybantes, atque *Idaos Dactilos* quibus, invento de novo modo saltandi & ludendi *clypeolis aneis aerisque sonitu* latores divertit, ne id quod quærunt, veritatem scilicet, inveniant, sed *cæsulas luteas* ex cœno factas, in similitudinem favi confectas ex vana eruditione coagmentatas, ineptas tamen ad mellificium apum Ecclesiæ, sed ad fœtidum odorem, qualis ædificat obstrepitus Bombylio unde proverbium βομβύλιος ἄνθρωπος id est multi strepitus, in verbis nitens à veritatis substantia, in multis vanus, ingens loquacitate, parvus in re, multiplex in favis luteis fabricandis, & sine melle vacuis. Hæc, inquam veritatis zelo & sanæ doctrinæ amore notavi in Theophilo *in opella illa* typis data. dum contra illam agerem præfata *Resolut.* II. in qua contra Raynaudum unum vel alterum verbum acre & minus solitum invenietur, quod ita pupugit ejus animum, ita momordit, ita concitavit, ut Leoni commiserit arma sua, linguam in dicendo omnino liberam, & solutam, ut in me insurgeret, & si posset, dilaceraret; unde tam Theophilo quam Leodegario scripsit Nazianzenus *Epistolas præfatas*, quos acriter reprehendit & rationibus convincit, ut videre licet. Si enim quæ ego Theophilo objeci & de quibus ipsum accusavi *falsa existimantur, non laudentur, si autem vera esse creduntur, publice judicentur, aut si falsa objiciuntur, accusatores arguantur, sin vera, ii vero adversus quos oratio habetur, non autem permittere ut nobilium virorum existimatio, res maximi ponderis, tam facili ludibrio habeatur. Quæ igitur hæc sapientia est cum virtute vincere liceat, vitio superari, aut etiam superare quod multo pejus est? ex hoc enim licentioso & maledico dicendi stylo juvenum spei insidiæ comparantur, qui profecto gravissima injuria afficiuntur si literarum studia colentes, in scholis vitium addiscant, & quidem non sine mercede, proinde vos non virtutis, sed vitii Magistros habeant.*

PARS

PARS I.

Ea qua de me ſugillat Leodegarius, in medium adduco.

Nonne rem graviſſimam & ad dogma pertinentem & Nobilium & Eminentiſſimorum virorum exiſtimationem ludibrio exhibet Theophilus? qui ut exauthoret ſcriptum meum contra ipſum: in illo notat puerilia ut *puparum imaginibus* confectis territet lectores, monſtrum alens ut doctrinam *clavo puriorem* & incontaminatam conturbet, oblitus caniciei reverentia, turpiſſimarum rerum laſſitudine nunquam obtrectationi & maledicentiæ finem imponens, notat. §. 8. *ſuæ Apologiæ in reſolut. citata*, doctrinæ *inconſtantiam, aſyſtaſiam, ruditatis, & imperitiæ ſpecimina*, quod Gerſonem fecerim *Decanum* Pariſienſem, cum alias fuerit *Cancellarius* univerſitatis, quod Paſchymeram *interpretem* feci S. Dionyſii Areopagitæ. *Thaſoniſmos* notat, quia pluries dico argumenta quæ contra ipſum induco eſſe *evidentia & manifeſta*. *Omitto, ait, frontem operis, ubi ſe Doctorem ter maximum hîc & ibi & alibi denominat, ut vix Iuſtinianus Summus titulorum auceps ex longiore formula prætexuerit ſuos titulos. Tametſi fuit qui ſubdubitaret quo fundamento Hurtado, qui in cænobio S. Agnetis in Agone paucis ſuis fratribus aliquam partem ſive Philoſophici, ſive Theologici minuti eloquii, dicat ſe præter cætera Romæ publicum Profeſſorem. ille etiam exiguus licet, tamen ſubpungens ſcrupulus ſolicitabit nonnneminem cum ſtruice titulorum ſuorum quos in eadem libri fronte ſibi appinxit Thomas Hurtado clericus Regularis, indigitatum cum vidit. Proprietarium in univerſitate Hiſpalenſi primariæ cathedræ Theologicæ (pingui pro tanta urbe ſtipendio honeſtate) moderatorem. & ratio dubitandi quæ tantum Magiſtrum non latet, ducitur ex Innocentii 3. decantata apud Canonum Doctores ſententia, quod Religioſum eſſe proprietarium, perinde ſit, ac non eſſe Religioſum: Ita ut ne Pontifex quidem, tametſi*

ſummus Eccleſiæ Rector, diſpenſare poſſit cum Religioſo, ut ſalva Religione ſit proprietarius, nec plus queat Pontifex Religioſo indulgere ut ſit proprietarius, quam ut ſit maritus. Itaque fortaſſis nihil fuiſſe incommodi ſi ſyllabus titulorum Hurtadi prætextus fronti voluminis, hoc minus *bene ſonanti decurtatus, prodiſſet.*

Et §. 9. poſt multa quæ in ſequentibus impugnabo ſic fatur. *Quare non es imitatus Reverendiſſ. Raphaelem Averſa ante hac tuum Generalem Præpoſitum, ſcriptorem omni meo encomio ſuperiorem; doctrinæ ubertate, perſpicua methodo, accuratione ſingularem; temperatione vero tanta, ut nullum unquam tametſi ſibi non probatum ſugillet aſperius, ſed contentus validis rationibus veritatem, pro qua ſtat, ſtabiliſſe, nihil amarum aut horrens addat, omnia vero ejus in charitate fiunt. Aliam tu viam iniviſti. Quare ne inhorreſce ſicut mulus ſcabioſus adverſus ſtrigilem.* Non te lateat vetus, *qui dicit quod non debet, audiat quod non vult.*

Et §. *ultimo*, plura grammaticalia ſugillat, & dicit, quod ego ipſum à latinitate laudavi, *quanti ergo eſſe debet apud Theophilum, quod à latinitate collaudetur per hominem latinitatis ignorantiſſimum, cujuſmodi eſt Thomas Hurtado, qui vix unquam emiſit Periodum qui non ſordeat ſtribligine aliqua grammatica, & indigna colaphizatione Priſciani? Non eſt diu vagandum per molem reliqui voluminis. Hæc ipſa ſola reſolutio Hurtadi ſupinitatum grammaticarum feraciſſima ſatis ſuperque evincit, eum in latinitate non pollere.* Unde notat quod dixerim *n.* 106. *Deus expaveſcit nos*, & *n.* 600. *opus bene executum* & n. 640. *debet populus magis exhortari ad communionem* ubi facio verbum, exhortor, paſſivum, quod dixi, *agendum eſſe de tactis*, cum dicendum eſſet, *de tactibus*. quod Joannem Sanchez *ſelectum* nuncupavi, cum *ſelectorem* deberem dicere.

PARS II.

Flocci penduntur iſtæc ſtrophæ.

Hæc omnia improperia Raynaudi in *ſuo Leodegario alba linea* ſunt in *albo lapide*, de quo bene Sophocles, in *Cidalione:*

Nihil mihi plus indicat ſermo tuus,
Quam lapide in albo ſignat alba linea.

Sed *funiculus meus minio oblinitus* eſt, & rubra linea ſignat Raynaudum *ut §. ſequenti*, adjiciam. Quare non dubito, quod ſi iterum revideret inſtrumentum Apologeticũ, quo me ferire intendit convitiis & maledicentiis, *incudi redderet*, refingeret, mutaret, corrigeret, &, ut ait Horatius:

Et male tornatos incudi reddere verſus.

Quare *male tornatis* verbis reſpondeo in univerſum, cum Nazianzeni doctrina duplici ex oratione deprompta 1. eſt. 1. *de fuga ſua in Pontum. n.* 136. *&* 137. *optimus habetur, non qui Dei metu præditus nec verbum otioſum* emiſerit, ſed qui proximum ſuum plurimis *maledictis, vel aperte*, vel in ænigmate fixerit, ac ſub lingua *laborem & dolorem, aut ut apertius loquar, venenum aſpidum verſauerit.* 2. eſt *oratio de Pace quæ eſt in ordine* 14. poſtquam *n.* 5. *&* 6. hæc aurea pronunciavit verba. *Quid igitur tandem cauſæ eſt, cur, qui charitatem colimus, mutuis odiis flagramus? qui pacem, implacabile & inexpiabile bellum gerimus? qui angularem lapidem, dirimimur, ac diſtrahimur? qui petram, concutimur? qui lucem, caligamus? quo verbo utar neſcio, ut cum cibi & ſomni, & cantus, rerumque obſcænarum ſatietas ſit, omnium non modo moleſtarum, ſed etiam jucundiſſimarum ſaturitas, & faſtidium tandem oboriatur, nobis tamen nec finis nec modus ſit ullus, partim inferendorum, partim accipiendorum vulnerum, non iis duntaxat qui diverſa ſentiunt, atque in fidei doctrina diſſident (minus enim acerbum id eſſet, ac zelus res laudabilis, modo intra fines ſuos conſiſtat, excuſaret,) verum iis quoque qui eandem*

fidem

fidem profitentur, atque adversus eosdem & eisdem confligantur. Hoc est illud omnium improbissimum, ac maxime miserandum, & qua hujus rei causa? dominandi amor fortasse vel opum cupiditas, vel livor, vel odium, vel superbia, vel aliquid eorum. Quodque scitum & lepidum est, ipsa calculorum inversio est. Nam cum deprehendimur pii, atque catholici sumus, falsoque ad veritatem confugimus, tanquam pro fide contendentes, idque unum ut in malis laude dignum imo turpe imprimis factum, quod vitium erubescentes ad speciosius honestiusque nomen, hoc est, ad pietatem transimus. Attonite & versipellis dixerit quispiam, & gravi illius ac vitii architecti figmentum &c.

Quibus verbis satis carpit artificium quo aliqui hujus temporis scriptores utuntur, qui sub specie pietatis & Religionis, ac augmenti rei literariæ ita adhærent suis novitatibus quas introducere curant, dum in illis deprehenduntur, & aliquatenus dure corriguntur falso ad veritatem confugiunt, sub qua, fucato nomine, se tuentur, & sub hoc pallio vestem honoris & æstimationis publicæ dilacerant eorum, qui ipsos compugnant zelo laudabili sanæ doctrinæ, sigillo antiquitatis munitæ, & eo devenit dominandi cupido, livor, odium, & superbia, ut insurgant coadunati in eum vel eos, qui eos carpunt in novitatibus, & adinventionibus suis, & sic *est comœdia hæreticis, & inimicis tragœdia nostra.*

Unde n. 15. subjungit S. D. *Non me vituperatores immutabunt (quemadmodum qui cœno unguentum, aut unguentum cœno admiscent ac per mixtionem qualitates confundunt) ut maledicos sermones tanquam à me ipso mutatus graviter & iniquo animo feram. Homo temere verbis natat. Ac quantum petram spuma, aut pinum, vel aliquam aliam arborem proceram & densam aura, tantum me linguæ circumluunt*, quibus consolationem capio in vituperiis & maledicentiis Raynaudi, non enim illis immutor ut vera & antiqua doctrina nec in apice, quantum intellexerim, diuertar, & sic certa mihi spes subest quod maledicentia Raynaudi extinguenda sit à superiori manu,

hoc

hoc ſolatium verſibus mihi cecinit idem Nazianzenus. *carm. 3. de præceptis ad Virgin.*

Advigila ne te Momus ſceleratáque lingua
A tergo incautum feriat, famamque veneno
Inficiat, laudeſque tuas, carpatque maligne.
Non mage te turbet quamvis aſperrima venti
Æquoreos agitat ſcopulos, undaque minaces
Quas facile infringit Petra firmiſſima moles.

PARS III.

Doctrina Nazianzeni non me comprehendit.

Aſt dicet Leodegardus vel Raynaudus quod hæc eadem doctrina Nazianzeni me ipſum carpit, & reprehendit; ſi quidem ego prior irritavi eos, ut contra me maledicentiæ flumen, & ejus fluenta tam copioſe, profuſeque eructarent, ſiquidem dixi de Raynaudo *in præfata Reſol. n. 576. quod eſt valde eruditus, & pius, & quod miror ita ſtomachari adverſus uſum, qui pius & rationabilis poteſt ſalvari, tum ad excitandam compaſſionem animarum Purgatorii, & ardens deſiderium eas juvandi. Tum etiam non mediocrem devotionem in venerabile Euchariſtiæ ſacramentum, & ſub ſpecie pietatis, & Religionis animabus carceri mancipatis auferendum benevolus quidem trucidator &c.* Et num. 593. *Exiſtimo Raynaudum magis deditum fuiſſe latinitati, in qua fateor pollere, quam in intelligentia Doctorum ſacræ Theologiæ, quos male intellexit.* Et num. 603. *Raynaudus audaciter dicit non eſſe adhibendam fidem revelationibus S. Brigittæ, Gertrudis, ac ſimilium ſanctarum mulierum.* Et num. 619. *Mirum eſt quantum extenuet Raynaudus mortuorum ſubſidia. videtur enim, ut dicebat ille, mortuos flagellare &c.* Et n. 632. *Raynaudus finxit quem feriret quia nemo catholicus id ſomniavit.* Hæc eſt ſumma eorum (quæ adverſus Raynaudum) ſcommatũ, hi ſales Attici quibus ornavi & exornavi impugnationes ejus ſententiæ, quæ ita fidelium animos turbavit & ſcandalum ingenuit. Quare cum ſim in eo-

dem

dem crimine, eadem reprehenſione Nazianzeni comprehendor.

Reſpondeo tamen me doctrina Nazianzeni non carpi, ſiquidem agens de doctrina propugnanda, quæ ſemper fuit in uſu apud fideles tanquam ſana, Catholica, & pia, adverſarium intra terminos modeſtiæ & religioſo zelo vellicavi, & aliquibus pungentibus ſpinis ut ſentiret pupugi, & quem *agnum putabam*, *totondi*, periculum non ſubiturum judicans, ut vellus proficuum faceret. Imitatus in hoc Hieronymum *in Apologiis* contra Ruffinum, qui novitates Origenis tuebatur, quæ plenæ ſunt hujuſmodi ſcommatibus, proverbiis, & ſannis, quibus reducere conabatur S. Martyrem. Imitatus etiam S. Auguſtinum *in libris contra Iulianum*, quem de ingenio & eruditione laudat, ſed quia illa abutebatur, verbis acribus carpit & in ipſum inſurgit dure: quod paſſim & alii ſancti faciunt. Secutus ſum exemplum Melliflui Bernardi, qui ex modeſtia & ſuavitate dicendi nomen Melliflui conſecutus eſt, & tamen ſiquis ſcire cupit, qualiter manſuetudo Bernardi Abaylardum tractet (qui ſuo tempore, multo clarior fuit quocumque alio noſtri ævi, ut conſtat *ex Epitaphio* à Petro Venerali Cluniacenſi ad ejus ſepulchrum poſito, & ex Hiſtoriographis illius ætatis) quam acribus verbis in ipſum inſurgat, & impugnet profanas ejus novitates, legat *epiſt.* 190. *ad Innocentium ſummum Pontif.* Et *epiſt.* 191. *quæ eſt Samſonis Rhemorum Archiepiſcopi ad eundem.* Et *epiſt.* 192. *ad Magiſtrum Guidonem de Caſtillo* Abaylardi diſcipulum, & poſtea fuit Papa Cæleſtinus. *epiſt.* 193. *ad Ybonem Cardinal.* in qua ſic loquitur. *Tranſgreditur Abaylardus terminos quos poſuerunt Patres noſtri, ſingula pro ſua voluntate mutat, auget & minuit in libris & operibus ſuis, oſtendit ſe fabricatorem mendacii & cultorem perverſorum dogmatum, hæreticum exprobrans, non tam in errore quam in pertinacia & defenſione erroris. Damnatus eſt Sueſſone cum opere ſuo coram Legato Romanæ Eccleſiæ, ſed quaſi non ſufficeret ei illa damnatio, iterum facit unde iterum damnetur, & jam noviſſimus error eſt*

pejor

pejor priore. Securus est tamen, quoniam Cardinales & clericos curiæ (hoc non habet opella Raynaudi) *se discipulos habere gloriatur, & eos in defensione præteriti & præsentis erroris adsumit, à quibus judicari temere deberet, & damnari* (ut damnatum est & judicatum opus Raynaudi) *si quis spiritum Dei habet, illius versi. Ps.* 138. *Nonne qui te oderunt Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Liberet Deus per vos, & per cæteros filios suos Ecclesiam suam à labiis iniquis & à lingua dolosa.*

PARS IV.

Leodegarius Berengario Apologistæ pro Abaylardo comparatus.

Ast Leodegarius Quintinus dum pro Raynaudo pugnat & ejus doctrinam jam judicatam & damnatam propugnat, *Labiis iniquis & lingua dolosa, quasi non sufficeret prior damnatio, iterum facit unde iterum damnetur, & sic jam novissimus error fit pejor priore.* Imitatur Berengarium, qui edita Apologia ut Petrum Abaylardum defendat, offendit Bernardum, offendit Legatum Apostolicum, offendit omnes judices, qui Abaylardi opera damnarunt, & nullum lapidem offensionis omittit, quem non jaciat adversum illos. Notat Bernardum, (sicut me Leodegarius) *de eloquii siccitate, quod Petrum Abaylardum posuerit, quasi signum ad sagittam, in quem acerbitatis virus evomeret, quod oculos talpæ haberet in illum, & quia in Concilio Suessonensi Sanctus quidam Episcopus dixit. Petrus semper turbat Ecclesiam. Semper excogitat novitatem,* Exclamat Berengarius ille, *O tempora? O mores? Sic judicat de sole cæcus, sic pingit in ebore mancus, sic urbem appretiatur asinus. Sic animales Episcopi judicant, sic casus ventilant, sic discutiunt rationes, sic pugnant contra eum filii Matris suæ, sic sues erasse adversus silentem.* Quod Bernardus dum super cantica scripsit, *tragœdias potius quam Commentarios texere videtur & Cantica in Elegos, Carmina in Threnos sorte miserabili convertit,*

quod

quod ab Ambrosio verba syllabatim transcribit & de alieno sudore pretium, nomenque venatur, quod S. D. sentit Originem animarum de cœlis esse, & à doctrina salutaris tramite devius in philosophorum scrupulos ruit, & dum dignitatem animæ jactitat Originem ei Sydeream, florem jejuni eloquii nundinatur. Hæc, pluraque alia fætide effutiit in S. Doctorem Ecclesiæ clarissimum Sydus Doctorellus ille Berengarius.

Hunc Apologistam Abaylardi contra Doctorem Sanctum imitatur Leodegarius Quintinus Propugnator Raynaudi, qui me (& si peccatorem, qui ob delicta commissa multo graviores exauthorisationes promereor) multis impropetiis & sannis percutit, & inhonorat, quas supra retuli, & infra diluam specialibus responsionibus: utinam Leodegarius Berengarium imitetur qui *in altera Epistola ad Episcopum Mimatensem* Palinodiam dictis contra Bernardum cantavit his verbis. *Processu temporis meum sapere crevit & in sententiam Abbatis pedibus, ut dicitur, ivi. Nolui esse Patronus Capitulorum objectorum Abaylardo quia etsi sanum saperent non sanum sonabant. Postquam igitur à secundo libro manus torpui, quare primum non rasi? Fecissem hoc inquam nisi cassa esset industria. Remanerent enim viva exemplaria qua jam per totam Franciam & Italiam cucurrerunt. Sic igitur (inquiunt) Apologiam illam jugulare non potes, damna vel vivam. Characterem rei fronti ejus infige, ut omnis qui legerit sciat te ætate non malitia peccasse. Damnabo inquam tali conditione ut si quid in personam Hominis Dei dixi, joco legatur, non serio.* Ita *exoneravit asellum.* Sic fac ut vives Leodegari, ego enim, si quem salem emisi contra tuum Raynaudum, sale legatur & joco, non serio, quia longe à me semper fuit injuriandi intentio.

Advertat obsecro Leodegarius, quod dum *navim onustam* improperiis & verbis *aloesinis plenam* mittit ad hoc mare magnum Ecclesiæ, ea dicit *viro* jam *seni*, qui per quadraginta & plures annos Theologum fecit in publicis Academiis Hispaniæ, quanto applausu, fileam, ipsæ loquantur,

quantur, de meis publicis defensionibus Thomisticæ Doctrinæ, de meis argumentis in congressibus Literariis, & cur non possum acriter impugnare, & carpere Raynaudum, si ipsum agnosco non sane incedere, aut docere? In quo audet Raynaudus, in quo & ego non possim audere? audet in literis, audeo & ego. Audet in fide, audeo & ego, audet in Theologicis, audeo (ut minus sapiens dico) plus ego. Quid ergo peccavi, si fidelis fidelem, si Minor minorem, si Religiosus Religiosum redargui? Momordi, fateor, non confessorem, sed scriptorem, non mentem, sed linguam, non præcordia, sed stylum. Legant eruditi viri Resolutionem quam edidi, &, si Raynaudum juste non argui, licenter me redarguant. In campo enim literario semper licuit, ut alter alterum justis occasionibus reprehendat. Colotes rodit Platonem Principem Philosophiæ, cum divina versans fabellas miscuerit. Augustinus & Hieronymus alternatim se carpunt, sed modeste & intra terminos iræ placabilis, de qua dicitur. *Irascimini, & nolite peccare.* Si igitur Raynaudus aliqua *de martyrio* & de *communione pro mortuis* silenda descripsit, quid peccavit? in ore meo veritas, si acerbe curavi, ut ista non introducerentur, relegarem falsitatem, quæ dum introduci curat, non est suaviter expellenda, sed violenter & acriter, ut constat in omnibus Patribus, dum novitates hæresium expungunt, neque enim ante *faciem gladii* debet timere justitia, neque ante potentem veritas adulationis chlamydem induere, sed circa ea quæ in Raynaudo correctione indigebant. Jam lux effulsit veritatis; quam lucem tueri hominibus Catholicis dulcissimum est. Quare post decretum Romanum non subsistunt, nisi *lupus aquilam fugiat.* Unde si Raynaudus non vult imminens subire periculum, monitum & consilium, quod Petrus Abbas Cluniacensis Abaylardo dedit, exequi curet. *Addidimus* (ait rescribens *Innocentio* 2. de Abaylardo) *hoc monitis nostris, ut si qua Catholicas aures offendentia, aut scripsisset, aut dixisset hortatu bonorum & sapientium & à verbis suis amoveret, & à libris abraderet, & factum est ita.*

PARS V.

Res noſtræ vindicantur?

Hæc in generali pro defenſione mea contra Leodegarium ſufficiant, ſed in ſpeciali ſatisfaciendum eſt iis, quæ fœtide eructavit in me, ut *Moſchus canens Bœoticum*, Loquax ſine modo *funiculum contentioſum* pertinaciter ducit, & *cinerem vitare curans*, *in Carbonariam incidit* ea enim, quæ *in* §. 8. notat, puerilia ſunt & ad riſum moventia. Quid ea conducunt ad negocium, & controverſiam de qua inſtituta eſt Reſolutio? Quid operatur *Zoylus* iſte, dum minutiſſima notat? quid aliud niſi oſtium concepti odii & veſaniæ, qua mea ſcripta perſequitur patefacere? quam ſcite Plautus. *in Menæchm. ſcena* 1. *verſ.* 16.

Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis,
Omnia mala ingerebat quemcumque aſpexerat:
Itaque adeo jure cœpta appellari eſt canis.

Et quidem rabidus exſtitit contra me Leodegarius, qui cum non poſſit doctrinam mordere ad minutatos lapillulos ſe convertit, & lingua verſat, dentibuſque quatit, ut doctrinam exauthorando veneni aſpergine inficiat, ſed *prius locuſta bovem pariet* quam mea doctrina de *Martyrio fidei* & *communione pro mortuis facienda* deficiat; Sancta enim eſt Apoſtolico ex congregatione judicis demanante decreto, ſi hoc ita eſt,

Mala ne acta refrices, Phila ſi capta eſt tibi.

Si opellula Raynaudi cœpta eſt à Generali totius Eccleſiæ Sanctæ Inquiſitionis Romanæ Tribunali, quid garriens, iterum refricas *mala acta?* & quia eam impugnavi, me maledictis, & improperiis laceſſis, & irritas ad vindictam, & juſtam publicam defenſionem; & obligaſti ut, *cum capram portare non potuiſti, bovem imponam?* ſi enim leviſſima verba curſim dicta ferre recuſaſti, & tot blateramina evomiſti preſſus, quod intolerabilius eſt, imponi tibi, poſtulaſti. Accipe, & agnoſce maledicentiam tuam, & virus verborum, quod eructaſti, quam facile alexipharmaco

maco ſanatur, & evacuatur, dum enim tu aures teneras offendis, dum illis aquam detractionis infundis, ego *oleo* veritatis *infuſo* medebor, quo lubricis factis auribus aqua defluat.

PARS. VI.

Vindiciæ minutiarum ſigillatim.

Ad res quas collegiſti ſigillatim penſitandas venio, ut inſcitia tua manifeſtior appareat: quid intereſt quod Gerſonem *Decanũ Pariſienſis univerſitatis* fecerim? nunquid negavi fuiſſe Cancellarium? utique & *Decanus* & *Cancellarius* fuit, *Decanatus* enim non ſolum eſt dignitas Eccleſiaſtica, ut falſo putas, ſed Decanus dicitur antiquior in aliqua univerſitate Doctor alicujus facultatis, & in Collegio Eminentiſſimorum Cardinalium, qui antiquior eſt purpura, *Decanatus* nomine inſignitur, & in hoc cenſu Johannem Gerſonem *Decanum* nominari, quia inſigni doctoratus laurea antiquior, in univerſitate extitit aliquando.

Pachimeram *interpretem* feci S. Dionyſii Areopagitæ. Quid ni? nonne interpres dicitur, qui vel commentaria alicui Doctori adjicit, aut Scholia, quibus eum illuſtrat. Sic dicimus D. Tho. *interpretes*, qui commentaria edidere ejus doctrinæ, ſic Pachimeres & S. Maximus, quos adducit Corderius *in ſua S. Dionyſii impreſſione Græco-Latina* Scholiaſtes extitere S. Antiſtitis Pariſienſis. Et ſic jure optimo illius *interpretes* dicuntur. Quam bene de te & tibi ſimilibus Baſilius Magnus. *lib. de Spiritu Sancto cap. 2. Curioſa iſtorum hominum circa ſyllabas & dictiones obſervatio ſimplex alicui videri poſſit, neque tendens ad malum, ſed profundum atque abjectum habet adverſus pietatem conſilium.*

Quod enim ego *in fronte libri* titulos honorificos meis lectoribus proponam, quibus ſine meis meritis, fateor, ſum in Rep. ubique honoratus, quid malefeci? nonne & ipſi ſocietatis ſcriptores id faciunt? Ita fecit Dicaſtillus *tom. 1. de Sacramentis* qui ſe ſic nominat *Societatis Ieſu*

Doctorem Theologum, & olim Toleti, Murciæ & Viennæ Primarium Theologiæ Scholasticæ Moderatorem & Scripturæ Sacræ Professorem, Imperatricis Concionatorem, nunc Dilinganæ universitatis Cancellarium. Videat in suis Sodalibus Scriptoribus, *an vix Iustinianus summus titulorum auceps ex longiore formula prætexerit suos titulos*, & si contextus tot titulorum arridet in Dicastillo, non irrideat me, quod meos contexerim. Cur me usque ad cutem radit crudelis tonsor, dum suos vellere intacto relinquit? cur me *avulsum & depilatum* vult, & suos nec in pilo tangit, & barba inrasa veneratur, ut eos orbis universus colat? ast *barba, etsi prolixa, & pallium prolongatum philosophum non faciunt*, sed solidæ doctrinæ, nam quæ soliditate carent & argutiis nituntur, sophistam ostendunt non bene meritum.

Eodem telo & cuspide acuminata ferio Gabrielem Henao, qui dum Doctorem & lectorem *ter maximum* in *Ovetensi*, *Salmantino*, & *Vallisoletano* se facit, me carpit quia lectorem & Professorem me facio Theologiæ, Romæ, Salmanticæ & Compluti, & *proprietarium* Cathedræ primariæ Hispalensis Universitatis. Unde dum de vanitate notant, ipsi eadem machæra se infigunt, & sic bene de ipsis paræmia dicitur: *idem Accii quod Titii*, eodem enim pede claudicant, & eadem tinctura & colore affecti. Quare horum notulæ *Thriorum strepitus est*, & *ficulnea folia* quibus nuditatem novitatum contegunt, quæ in ignem missa minacem edunt strepitum, & formidandum iis, quibus antea non est auditus, alioquin inanem & contemnendum prorsus.

PARS VII.

Prosequuntur vindiciæ contra Leodegarium.

Iterum redeo ad Leodegarium, vel si mavis, in ipso incluſum Raynaudum, qui asserit. *Tametsi fuit qui subdubitaret. Quo fundamento Hurtado, qui in cœnobio S. Agnetis in Agone paucis suis fratribus aliquam partem*

sive

ſive Philoſophici, ſive Theologici minuti eloquii prælegit, dicat ſe præter cætera Romæ publicum Profeſſorem. O magna hominis audacia! quis niſi ipſe poteſt in dubium vertere, quod ex continua & publica lectione in noſtro Collegio Romano (ſic enim apud nos nominatur, non cœnobium, niſi nos cœnobitas faciat ſicut & Piloſos manifeſto mendacio nuncupat) per octo annos continuos una cum Reverendiſſimo P. Raphaele Averſa (ambo enim & Conlectores & Coaſſiſtentes generales fuimus) notorium extitit in Romana Curia apud Summos Pontifices, Gregorium XV. Urbanum VIII. & Eminentiſſimorum Cardinalium Collegium? ibi enim Qualificatorem librorum egi, juſſu *Congregationis de Indice.* Quot libros à cenſura liberavi? quot cenſura inuſſi? ad Archivum Congregationis provoco. Quas conſultationes juſſu Gregorii XV. non habui de rebus ad Theologiam attinentibus, & reſponſiones ad fidelium conſcientias pacandas? Quid apertius? & tamen illi (Gallo) *ſurgebant criſtæ* (dixit ſapide Juvenalis) ut in dubium vertat quod *Lippis & tonſoribus* notum, & notiſſimum eſt.

Taxat Leodegarius quod *in fronte libri tractatuum moralium*, dixerim, me eſſe in univerſitate Hiſpalenſi *Cathedræ Primariæ Theologiæ Proprietarium moderatorem. Religioſum* (ait) *eſſe proprietarium, proinde eſt ac non eſſe Religioſum, imo nec Pontifex magis poteſt (ſalva Religione) indulgere ut ſit proprietarius, quam ut ſit maritus.* O pulchra objectio? ô ſale plenus diſcurſus? homo politicus & doctus hæc objiciat miror, *κύκλῳ θεὲλκε.* Putat enim aliquid egiſſe cum re vera nihil agat, inaniter *rotam circum gyrat* ſine fructu. *Proprietarius* enim cathedræ moderator in omni univerſitate & Academia eſt ille, qui Cathedram obtinuit propriis meritis, quam regit & moderatur proprio nomine, nõ pro alio ſubſtituens, & inſerviens; hic enim eſt uſus hujus nominis, *proprietarius Moderator.* Quæ proprietas Paupertati Religioſæ non opponitur: huic enim opponitur dominium habere, etiam unius acus, & Pontifex non magis poteſt, ſalva Religione, in-

dulgere quod Religioſus *ſit proprietarius*, quam *ut ſit maritus*, ſalva, inquam, profeſſione ſolemni, nam cum votis ſimplicibus emiſſis ab Scholaribus Societatis, ex privilegio Apoſtolico bene cum eorum vera religioſitate dominium ſuorum bonorum componitur, ut alibi contra Henao, eſt enucleatum & expoſitum.

PARS VIII.

Admittitur laus Patris noſtri Generalis Raphaelis Averſa.

Pro Encomio quod de N. P. Reverend. Raphaele Averſa hodie Generali ponis, gratias ago, illo enim digniſſimus eſt & omni laude, tum ob inſignem ſapientiam qua pollet, tum ob ingenium placidum, ſuave, gratum omnibus, tum ob regimen Politico-Regulare quo nos gubernat & regit, eſt enim Tertius Cato

Habeat jam Roma ———
Tertius è cœlo cecidit Cato.

Cenſorium & Uticenſem gravitate pariter & integritate vincens. Plura dicerem niſi viveret: at vivat *Neſtoreos annos*. Sed quod ipſum non ſequar in ſtylo, non eſt mihi culpandum. Sunt enim hominum ingenia *hacceitate ſua* diverſa, *unus ſic, alius autem ſic*, fateor ingenium meum acre eſſe & impatiens contra Novitates hujus temporis, quæ acrimonia indigent ut eliminentur. Dum autem in novas opiniones non inſurgo, mitis ſum, ac placidus, ut in meis operibus liceat inſpicere, ſed dum acrimonia utor, non ita acerbe, ſed intra fines & terminos modeſtiæ eam contineo; loquor candide & *ſine vulpe*, niſi compulſus.

PARS IX.

Sugillatio grammaticationum mearum, ſophiſma eſt puerile.

Quid dicam de ſugillationibus grammaticalibus, riſune, an contemptu reſpondebo? & riſu, & contemptu

temptu ſatisfaciam, nec enim *ferularius* Magiſter exſtiti, nec ſub flagello juvenes grammaticam edocui, ut Leodegarius forſan aſſuetus in juvenibus grammaticationes annotare, idem facit in meis ſcriptis, in quibus Theologum ago, non *ferularium* grammaticum, aut ſophiſtam deceptorem. *Si in grammatica, & ſophiſmatibus excedit, nunquid ob hoc corvi luſciniis honoratiores erunt,* quia corvi Latine bene loquuntur (*cras* enim vox corvina eſt,) & luſciniæ ſuavitate cantus demulcent? Multa enim quæ de grammatica notat, manifeſtum eſt, vitio amanuenſium, aut typographi adſcribenda. Alia autem ad inadvertentiam, intenta imaginatione ad majora; hæ enim annotationes puerilia ſunt diverſoria, quibus utuntur hæretici dum carpunt Patres, ut contemptibiles faciant. Sic Bartholomæus Caſſæus *in Clypeo ſuæ fidei. Dialogo* 65. Hieronymum vocat *hominem furioſum, mente alienatum, præcipuum Scripturæ corruptorem, quod ſtolidas, rabidas, inſanas & infelices ſententias ſuas confirmat, hominem inconſtantem & iracundum.* Et *Dialog.* 11. Tertullianum, Cyprianum Damaſcenum, Auguſtinum *Deliros, ſtupidos.* Lutherus de Hiero. quod fuerit *homo nullius diligentiæ aut judicii*, quod *vox Hieronymi impia & Diabolica eſt*, plura alia ſcommata quæ contra Sanctos Patres Hæretici effutiunt, refert Judocus Coccius *tom.* 1. *Theſauri lib.* 8. *art.* 12. *pag.* 1118. Patres enim noſtri ad Veram doctrinam fidelibus tradendam magis attendebant, quam ad nævos minimos vitandos, quibus hærent hæretici & novatores, ut minuant eorum authoritatem, talis eſt parvus ille nævus & ſtipula quam in me aſpexit, trabes ſuas non conſiderans Leodegarius, quod Verbum deponens paſſivum feci, hoc enim minimum quid eſt. Bene Horatius *in ſermonibus*

Criſpinus minimo me provocat, accipe, ſi vis,
Accipe jam tabulas. ——————
--- Videamus uter plus ſcribere poſſit.

Vnus hic grammatiſtes Theologos omnes omnino provocat (ait ſatis ad rem Paulus Manucius.) Videamus ſi contra

ſanam Theologiam, ut tueatur falſam, *accipit tabulas*, in quibus plus ſcribere poſſit, & *nævulos* notare, quantos ego in ipſo. Addo ad dicta, quod miror maxime cum Leodegarius tot annis Lectioni Grammaticæ incubuerit, & hujuſmodi literis vacaverit, ſeque glorietur Priſciani Diſcipulus, obliviſcitur Magiſtrum, ut me feriat bene in perſona illius Magni Grammatiſtæ Laurentii Vallæ, qui nixus grãmaticationibus ſuis omnes etiam Eccleſię Patres minacibus ferulis percutiebat, cecinit de Leodegario Raynaudi. Doctiſſ. Genebrardus lib. 1. De Trinit.

Poſtea quam manes defunctus Valla petivit,
Non audet Pluto Verba Latina loqui.
Iuppiter hunc ſupero dignatus honore fuiſſet:
Cenſorem linguæ, ſed timet, eſſe ſuæ.

Vivus enim Valla multas Theologorum locutiones carpebat & irridebat; nulli quantumvis magno parcebat, omnes mordebat, & contra illos Rho caninum ore volvebat, unde Volaterranus lib. 21. Comment. Urban.

Tandem Valla ſilet, ſolitus qui parcere nulli eſt,
Si quæris quid agat? Nunc quoque mordet humum.

Id facit Vivus Leodegarius Quintinus Heduus, Leodegarii Apologiſtes, grammatiſtes maximus: ſi quæris quid agat? reſpondet; mordeo humum, cum fruſtum veræ ſanæque doctrinæ mordere non poſſit, terram comedit, terraque nutritur, ut fel evomat venenoſum.

Igitur, me mordet? aliquod Verbum in terminatione deponens adduco in ſignificatione paſſiva: ut exequor, at in hoc parum in grammatica eruditus monſtratur. Sequor enim Verbum deponens eſt, & tamen Theologi doctiſſimi illo in paſſiva ſignificatione utuntur: dicunt enim paſſim, *ex hoc ſequitur, ex dictis ſequitur*, & ſimilia. Unde Priſcianus teſte Paſſaratio; *ſequor* eſt Verbum commune ad ſignificationem activam & paſſivam, eo utitur Cicero *lib. 2. definibus.* & *lib. de fato.* Quare omnia Verba compoſita illius etiam Verba communia ſunt, & illis uti poſſumus, nam compoſita ſervant naturam ſui principalis. Grammatice *arripe aures, & vaca literis*!

Quod

Quod etiam Verba deponentia uno vel altero loco in terminatione activa inducam, non est adeo magnum piaculũ, cum omnia Verba deponentia, à Verbis in terminatione activa deriventur, ut *sequor*, à *seco*, *expiscor* ab *expisco*, quid ergo garrit ac fremit & rugit Leodegarius, quod ego aliquando dixerim expiscarunt? quod, etsi non sit in usu, Theologus licentia Theologica, qua intendit veritatem declarare illo utatur, ut enim scite Horatius in sua Arte

Multa renascentur, quæ nunc cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt, in honore vocabula, si volet usus.

In sacra etiam Scriptura, si ad latinitatis usum attendamus, multa sunt impropria, Apocalypsis c. 7. n. 9. & Matth. 21. n. 23. & alibi: quia scriptor Canonicus non tam ad latinitatis usum quam ad veritatem exprimendam attenderat.

PARS X.

Qui me etsi indignum honoribus cumulent?

Claudo præludium responsionis ad vilia Leodegarii improperia, sordidasque sannas, quas contra me evomit, neque ad omnes respondeo, quia esset in longum ire, ebibit enim Apologistes hic, improbitatis & maledicentiæ *fæcem*, qua superavit, & polluit convivium, à quo defunctos excluſit, cum Ecclesia invitet; & me lingua debellat, quia ad convivium convoco, & cum nullum habeat solidum fundamentum ad se tuendum, pro armis lingua sua abutitur, venenum aspidum circumferens, & *dum est in acie, pecudibus in castris ferocem* Leodegarium se ostendit, & garriens contra me

Ventosa lingua pedibusque fugacibus istis
Semper erit ——— ———

Quare ut iracundia hominis Galli fidelibus omnibus conspicua sit; & odium quod contra me conceptum peperit agnoscatur, & quam sine ratione mea opera vilipendat. *Hoc quippe scitum est sepiis: propriam nigricantem succum ab imo vomere pectore, ut tela fugiat hostis in tenebris*

nebris tuis (ait Nazianzenus) *in carm. de vita ſua:* quare etſi ego meas laudes non quæſierim ut enim idem Sanct. Doctor.

Etiam mearum quippe laudum pudet
Licet alter etiam me canat. Mos hic meus.

Cæterum ut ab invidorum jaculis ſe protegat & defendat, mira de ſe ipſo refert, ita ego cogor, quæ de me dicant exteri ſcriptores adferre, & cuique Judicium relinquere, ut juſtitiæ oculo judex ſit incorruptus, & ſyncerus inter me, & Leodegarium.

Homo mihi incognitus Aubertus Miræus Decanus Eccleſiæ Antverpienſis in ſua *Bibliotheca Miræana p. 2. fol. 268. mihi* ſic fatur. *Thomas Hurtado Clericorum Regularium Minorum olim in Collegio Romano, Complutenſi, ac Salmantino & nunc in Hiſpalenſi Publicus Profeſſor edidit opus duobus tomis in folio inſcriptum, Præcurſor Philoſophus, & Theologus, ſane pulchrum, ſublime, elegans, curioſum, ut qui in indaganda S. Thom. ſui Præceptoris Angelici mente tam luculentus, tam felix, ut vix unquam quis felicius eam aſſecutus eſſe videatur. Quippe in hac feraci ſcriptorum ſegete, quos velut arenas maris noſtra abundanter tulit ætas, in explicandis, & veritate in lucem eruenda celebris habetur. Prodiit Antverpiæ ann.* 1641. His omnibus fere relatis addit Gaſpar Eſtrix librorum Cenſor Antverpienſis: *Vt lucem dent, in lucem prodeant R. P. Thomæ Hurtado C. R. M. Elucubrationes &c. quippe in explicandis nodis, & veritate è quarumvis difficultatum nocte in lucem eruenda, tantus hic reperiatur, ut de eo dici poſſit quod Vincentius Lirinenſis. lib. adverſus hæreſes cap.* 27. *dixit: ſcilicet quod intelligatur, te exponente, illuſtrius quod antea obſcurius credebatur, per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea vetuſtas non intellectum venerabatur.* Ita Cenſor librorum homo externus & prorſus ignotus mihi.

Quanto honore me citent eruditiſſimi Viri, Antoninus Diana p. 11. paſſim Mag. Joannes Martines de Prado, Illuſtr. D. D. Petrus de Tagia Archiepiſcopus Hiſpalenſis.

ſi *tom* 2. *ſuæ aureæ catenæ Moralis*, qui jam uſque corporis dimidium prælo ſudavit, videant oculi invidi, & contabeſcant. Hic enim honor à viris tantis mihi valde indigniſſimo exhibitus, pro corona ſufficiat laborum, pro antidoto venenatarum linguarum, quæ ab his incantantur ſapienter, ne pus & venenum ejectum noceat, quod Quintinus Heduus contra me effudit ſumma libertate, imitatus alium *Quintinum Heduum*, quem refert vir ille catholiciſſimus Judocus Coccius *ubi ſupra*, ex Calvino *de libertinis cap.* 9. *Quintinus* (ait) *Libertinorum ſectæ anteſignanus in Gallia, unumquemque Apoſtolorum aliquo ſcommate notavit, Paulum vas fractum, Petrum Chriſti abnegatorem, Ioannem juvenem ſtolidum, Matthæum fœneratorem vocans.* Quod mihi non parvum ſolatium adfert, ſi alius Quintinus Heduus ab alio mutuato nomine, *Leonina indutus pelle* unguibus dilacerare me intendebat, circuit enim quærens minutula quædam, ut me devoret, & authoritatem exſtinguat, quæ ita ab aliis illuſtris & celebris proponitur, ſed *Lippus oculus* radios ſolares non fert veritatis, quam propugno. Quare Quintinus turtur inepte gemuit *ſui Raynaudi* Apoſtolicam cenſuram, quam

Cantabant Coryli & ſpini, turturque gemebat.

§. III.

Theophilus Raynaudus in Leodegario *expolitus*, raſus, & expurgatus *ex Decreto Apoſtolico edito, à ſacra congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium* de Indice *Librorum.*

Leodegarius Quintinus Heduus propugnans *ſuum Raynaudum*, Apologiæ hunc titulum præſcripſit, & *in fronte ſtygmatizavit* hæc verba. *Thomas Hurtado clericus Regularis Minor. Vulgo Piloſo. In Reſolutione controverſiæ de communione pro mortuis, Vulſus ac depilatus, à Leodegario Quintino Heduo, Sacræ Theologiæ Doctore.* Hactenus ſuperſcriptio libelli. Sed antequam titulum meum

meum & veriorem, ſolidiorem, & graviorem *in facie Leodegarii*, non cum parvo ſuo dedecore, irrevocabiliter ferro ardente, cæruleo colore inſculpam & inuram, adfero illa Nazianzeni verba, *oratione* 43. quæ eſt *Metaphraſis in Eccleſiaſtem. cap.* 1. *Verborum magna quidem eſt copia, at fructus nullus ab errante loquacitate & nugacitate.* Quibus adjungo quæ dicit *cap.* 4. *Perſpicuum mihi quoque factum eſt; quanta proximorum inuidia probum virum ſequatur, aſtrum exiſtens impuri Spiritus, quodque is, qui hanc ſuſceperit, ac velati pectore complexus fuerit, nihil aliud habeat, quam quod animam ſuam exedat, ac diſſipet, ſimulque cum corpore abſumat mœrorem acerbiſſimum, ac ſolatii omnis expertem, aliorum proſperitatem exiſtimans. Atqui præoptarit vir ſapiens & cordatus alteram manum cum facilitate & lenitate implere, quam utramque cum arumna, & fraudulenti Spiritus calliditate & verſutia.*

Heus tu Leodegari! Lege & intellige verba prælectionis hujus, cum enim poſſis unam manum cum lenitate implere, non contentus, *utramque callide & verſute replere intentaſti loquacitate garrula*, & garrulitate loquaci. Quamvis exſecta lingua non ſolum mihi, ſed etiam Religioſis meis nomen hucuſque, neque in Hiſpania, neque in Italia auditum imponis; & nos omnes *Piloſos* nominas, ut pilos à me *avellas*, & *depiles*, & fortitudinem & valentiam auferas, tanquam *Delila* à Sampſone dormiente. Aſt expergefactus novaculam aſpicio & aufero, ut te radam; ſine dolo tamen, cum quo tu me *avellere* intendis & *depilare*, ſed in caſſum: cum magno conatu magnas nugas dicis, & ſtultiorem *Morycho* te monſtres. Quis, obſecro, tale cognomen tibi ſuggeſſit, niſi ut improperares Religioni? *ſola enim appellatio contumeliæ habitus eſt*, ait Peluſiota, *lib.* 1. *epiſt.* 175. & Religioni nomen opprobrioſum imponere, nefas eſt & crimen intolerabile. Si vero pilos clam radas, quia aureos, *Dionyſii cupiditate*, furtum eſt, ſi in aperto *avellas* & *depiles*, rapina: ſed iis nœniis omiſſis.

PARS

PARS I.

Decretum ſacræ Congregationis Eminentiſſim. Cardinalium de Indice *librorum.*

Modo ad graviſſimam controverſiam *de communione* facienda *pro mortuis* calamus dirigendus, & *cantens Cygni* purpurati, dum *graculus* hic lugubri veſte contextus *tacet*, qui repetens quæ Raynaudus dixerat, nec vim rationum, quibus illum urgebam penetrans, totus eſt in modis loquendi & vocibus inuſitatis conſtruendis; & dum peritus apparet, Theologus occultatur. Verborum lenocinio veritatem diſſimulat, & *de aſini umbra* audire vult, quum de rebus ſeriis loquentem auſcultare recuſat.

Sed velit nolit, audire tenetur Decretum, niſi *auris Batavæ* ſit, eamque obturet, quod etſi faciat, verum mordax radet, ut audire cogatur. Igitur Romæ in Sacra *Indicis* congregatione, Præfecto Decano B. Card. Spada, Epiſcopo Albanenſi, & F. Joanne Baptiſta de Marinis Ord. Prædicat. S. Congreg. Secret. ſic Decreto firmo inter plures libros, quos partim in totum igni tradit & perpetuo exilio ab Eccleſia relegat, vel in aliquo emendari mandat, & quod non legantur quouſque corrigantur, inter primæ claſſis libros ponit Sacræ Congreg. ſequentes Raynaudi. Sic enim habet ſacrum Decretum. *De Martyrio per peſtem, ad martyrium improprium, & propriium vulgare comparato. Diſquiſitio Theologica Theophili Raynaudi. Ejuſdem error popularis de communione pro mortuis diſcuſſus Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti* 1647. *Indictio* 14. *die vero* 11. *menſis Martii Pontificatus S. S. D. N. D. Innocentii divina providentia Papæ Chriſtianiſmi Ann. ejus* 3. *ſupra dictum Decretum affixum & publicatum fuit ad Valvas Baſili. Lateran. & Principis Apoſtol. de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, & alius locis ſolitus & conſuetis Vrbis, per me Ioſeph. Macheranum S. S. D. N. Papæ Curſorem. Camillus Fundatus Mag. Curſor.*

Hoc decretum, quum Reſolutionem, quam impugnat Leode-

Leodegarius, compoſui, nondum videram, & quando jam prœlo fuit ſubjectum opus meum morale, ad manus meas pervenit, illud remiſit mihi Illuſtriſſimus D. D. Franciſcus Guerra Epiſcopus Gaditanus (hodie electus Placentinus, & Orator Regius ad S.S.D.Alexandr.Summ. Pontificem) in cujus Diœceſi publicatum fuit, ſicut & Madriti, & aliis Civitatibus Hiſpaniæ, & ut obliget, ſufficit quod Romæ ſolemni ritu publicetur, ſi ad notitiam certam quomodolibet perveniat publicatio. Quamvis enim aliqui exiſtiment, quod, ut leges, & Decreta Pontificia obligent, requiratur, quod in aliis diœceſibus publicentur; tamen Decreta circa dogmata ſanamque doctrinam (cum ſedes Apoſtolica Romana ſit caput à quo dimanat certitudo dogmatum & excluſio falſæ doctrinæ dogmata concernentis) ſat eſt, quod Romæ publicentur; quæ ratio non currit in aliis legibus mores & gubernium politicum concernentibus, eo autem ipſo, quo liber tractans de re Theologica, aut propoſitio prohibetur à judicibus fidei, in Sacro Tribunali Romano conſiſtentibus, tanquam digna cenſura ex officio neceſſario: attinet vel concernit materiam fidei, & Religionis, & eam ſaltem indirecte debet reſpicere: cumque Religio Chriſtiana in ſede Petri ſit fundata, quidquid ab illa relegatur & prohibetur, ne manibus fidelium teratur, eo ipſo in tota Eccleſia relegatum eſt, & omnibus fidelibus inhibitum, veritas enim ſpeculativa, aut falſitas illi oppoſita non dependet àloco.

Mirum eſt, quam altum teneant ſilentium Leodegarius & Theophilus, de eo nec muſſitarunt, verbumve ullum fecerunt, & eſt moraliter impoſſibile, quod ad Gallias ſonus ejus non pervenerit. Quare tam *opella* Raynaudi, quam ejus Apologeticus libellus ab hoc Leodegario Proletario, ſcriptore infimæ claſſis, infimique *ſubſellii* Auctore conſcriptus, eodem Decreto corruunt, cum ſit *noviſſimus error peior priori.* Quare ſi prior condemnatus eſt & in totum proſcriptus, poſterior majore ratione proſcribendus eſt & *in inſulam* relegandus, quare non tam

expur-

expurgatus est Theophilus *in suo Leodegario*, quam in totum rejectus, & expulsus ab Ecclesia.

PARS II.

Verba Leodegarii de statu controversiæ de Communione *pro mortuis.*

Cæterum Doctorellus ille (vel ficto nomine, vel sic appellatus Leodegarius Quintinus Heduus non dissimilis illi, qui in Gallia antesignanus exstitit *Sectæ Libertinorum*, de quo supra memini) in argumento sui libelli (ob quem solum titulum inuri censura debet) sic fatur, *Opusculum de communione pro mortuis, triplici oppugnatione est impetitum. Primam instituit quidam Boghman Prior S. Thomæ, qui libellum tunc primum editum infamavit de hæresi Ariana; & Lutetiæ de Sacro Suggesto ostentatum, ignibus adjiciendum pronuntiavit, eo quod tollat missas pro defunctis, sed hanc vecordem fuisse calumniam, libri principium revicit. Vnde Sycophanta illico explosus est. Oppugnationem secundam adornavit Augustinus de Bellis, timens frequentiam communionis Feria qualibet secunda institutæ apud S. Andream à Valle, quæ in parte frigidam affundere pietati populorum negavit expedire, etiam si libellum sana doctrina esse refertum, & Auctorem evicisse quod intendebat ultro datum. Cumque fuisset qui opponeret, si sana est libelli doctrina, falli ergo plebem ex desiderio suos vita functos juvandi communicantem; eaque communione non juvari revera mortuos, sed deludi vivos, responsum est à quoquam pertinente ad titulum de clerico per saltum promoto. Perinde esse sive per veritatem, sive per falsitatem Deo serviatur, dummodo serviatur. Hæc oppugnatio apud Cordatos se ipsam evertit, ut plenius dicitur in Historia Mariniana. Tertiam ejusdem libelli oppugnationem instituit Thomas Hurtado ex Ord. Cleric. Reg. Minor. qui vulgo Pilosi appellantur tota Resol. 11. tract. ult. Longissima & mole libellum, de quo agit, æquante. Exhibuit se Hurtado tota hac sua lucubratione*

adeo

adeo piloſum, ut ſi Petri Bleſenſis vocem adhibere liceat Eſavina potius ſit ejus Oratio, unde Eſau Seir ſive Piloſus denominari merito poſſit, ut monſtratum breuiter devenio. Hactenus in Leodegario Raynaudus.

PARS III.

An opinio Raynaudi ſapiat hæreſin Arii & Lutheri?

Verumenimvero Leodegarius hic, cui parœmia applicatur appoſite, *Ne tria quidem Steſichori noſti.* Non enim calluit triplicem oppugnationem factam ſuo libello, eſt enim triplex nodus, cui nec ſimplicem & laneum cuneum, ut diſſolueret, adhibuit. Non primam factam à Priore S. Thomæ, qui hanc opinionem Raynaudi cenſura inuſſit quod *ſapiat hæreſin Arii*, qui, ut refert Aug. *de hæreſibus, ad quod vult Deus. cap.* 55. negabat bona opera vivorum defunctis prodeſſe, quem imitati ſunt hujus temporis Novatores hæretici, qui purgatorium negant, & quod in alia vita exiſtentibus proſint ſatisfactiones vivorum. Unde negare, quod aliquod bonum opus viatoris juſti poſſit prodeſſe defunctis, ſapit hæreſin Arii & Lutheri, qui non ſolum dicunt miſſam non prodeſſe animabus defunctorum, ſed inſuper, quod nullum bonum opus prodeſſe poſſit. E contra vero Catholici non ſolum miſſam & ſacrificium, ſed etiam omne quodcumque bonum opus factum in gratia, quod eo ipſo ſatisfactorium eſt, prodeſſe affirmant juxta fidei Catholicæ dogma, unde negare, quod aliquod bonum opus tale poſſit animabus prodeſſe, hæreſin ſapit Lutheranam, & Arianam.

Cujus ratio eſt: quia etiam eleemoſyna corporalis defunctos juvat. *Tobias enim ſenior* (ait Caſtro. *de hæreſibus, verbo: Suffragium,) filium ſuum bonis conſiliis erudiens, ait, panem tuum & vinum* tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue. niſi enim oblationes pro defunctis factæ aliquid illis prodeſſent, fruſtra Tobias ſuaſiſſet *filio ſuo conſtituere* panem & vinum ſuper ſepulturam juſti: non enim

ponun-

ponuntur illa ad paſcenda corpora defunctorum, ſed viventium, pauperum ſcilicet & Sacerdotum, ut hæc eleemoſyna pauperibus oblata, in utilitatem cedat ipſius defuncti. Hæc ille. ergo ſumere panem cæleſtem & ſumptione ipſa illum conſtituere *ſupra juſti ſepulturam*, hoc eſt animam, cujus corpus in ſepulchro jacet, altior erit oblatio, & utilior, cum ſit eleemoſyna ſpiritualis; quæ longe potior eſt, quam corporalis: ut probat D. Thom. 22. *q* 32. *art.* 3. triplici ratione. quia donum quod exhibet, potius eſt, & nobilius; nam directe ſubvenitur ſpiritui, qui nobilior eſt corpore, & actus, quibus ſubvenitur proxime, cum ſint ſpirituales, nobiliores ſunt corporalibus.

Unde Theophyl. *ad cap.* 12. *Lucæ* explicans illud *n.* 13. *timete eum qui poteſt corpus &c.* ait, *Hoc autem dico propter oblationes & diſtributiones quæ fiunt etiam pro defunctis quæ non parum conducunt etiam in iis qui in gravibus peccatis* (venialibus) *mortui ſunt. Ne igitur ceſſemus per eleemoſynas & interceſſiones propitium reddere eum qui poteſtatem habet &c.* & Chryſoſt. *hom.* 69. hujus vel vetuſtiſſimam aſſignat rationem, dicens: *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis multum contingere lucrum, multamque utilitatem.* Et quidem cum in primitiva Eccleſia omnes ad miſſam communicarent, commemoratio, quæ defunctorum fiebat, non ſolum erat, ut defuncti alleviarentur ſacrificio ſacerdotis, ſed oblationibus ejuſdem ſacrificii, quæ fiebant à fidelibus circumſtantibus, & communicatione dum de ſacrificio participabant; *ut infra* explicabo amplius. Quare S. Athanaſius *lib. quæſtio. ad Antiochum q.* 34. inquirit, *Num ſentiunt aliqua beneficia peccatorum animæ cum ſuper illis fiunt conventus, & peractiones bonorum operum & oblationum?* Cui Quæſtioni affirmative reſpondet. *Non aliquo beneficio participarent ex illo, non utique in cura & exequiis fieret commemoratio. Aſt ſicut vitis floreſcit extra in agro, & odorem ejus ſentit in vaſe vinum incluſum, ſic quoq; confloreſcit etiam ipſum, ita intelligimus peccatorum*

animas participare aliqua beneficia ab insanguì immolatione, & gratificatione pro ipsis facta, gratificatió autem *fit per actiones bonorum operum.* Unde aliquod bonum opus à gratificatione pro defunctis, ut beneficium aliquod accipiant, excludere, manifeste sapit hæresin Arii & Lutheri, quare non fuit vecors censura *Prioris* S. Thomæ, nec *sycophanta* audaciter debet dici qui verum pronunciavit, etsi Leodegarius male se extricat à *primo nodo.*

PARS IV.

Secundum nodum arundineo cuneo curat rumpere inani conatu Leodegarius.

Pater enim Augustinus de Bellis non dicit absolute libellum Raynaudi esse refertum sana doctrina, sed arguit ab inconvenienti, quod, ut clarius appareret, inquit, *dato, & non concesso* (hoc enim denotant verba illa conditione posita) *etiamsi libellus sana doctrina esset refertus, authorem eviciisse, quod intendebat, ultro datum.* quod si ita esset, ut intendebat Raynaudus, non tamen esset ita nude fidelibus propinandum, ne tepidiores fierent & frigerent in communicando, quod magnum est inconveniens: quando enim ex aliqua nude prædicta doctrina, quæ non est necessaria ad salutem, sequi potest vitatio boni, aut fidelium scandalum, vel tacenda est, vel temperanda prædicatio. Propter scandalum enim pusillorum sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam differenda ubi periculum non imminet, ut ait D. Tho. 22. *q.* 43. *art.* 7. *in corp. & ad* 4. quamvis nullatenus sit docenda falsitas quæ est contra fidem & bonos mores ob quodcumque scandalum quod sequi videatur. Ast docere quod communio pro mortuis fieri possit, non est falsitas contra fidem aut bonos mores. quare etiamsi suum intentum eviciisset Raynaudus, non tamen contra fidelium praxim, communem catholicorum existimationem deberet ejus opella admitti; quia boni mores fidelium hac praxi pia sunt enutriti, & sic à communione retraherentur non cum

parvo

parvo augmenti & nutrimenti Spiritus detrimento.

Unde egregie Auguſt. *lib. de dono perſever cap.* 22. temperat doctrinam de divinæ prædeſtinationis efficaci decreto, in modo eam prædicandi, ne exaſperarentur fideles, & à bonis operibus retraherentur, explicans illum modum quo aliqui utebantur, *& ſi qui eſtis qui obeditis, ſi præſciti eſtis rejiciendi, obedire ceſſabitis*, ſic fatur D. S. *Nempe hoc veriſſimum eſt, ſed improbiſſimum, importuniſſimum, incongruentiſſimum non falſo eloquio, ſed non ſalubriter valetudini humanæ infirmitatis oppoſito.* Hanc doctrinam aſpexit Aug. de Bellis illa conditionalis quæ nihil ponit in eſſe, hanc veram intelligentiam patitur ſententia illa: *perinde eſt ſive per veritatem ſive per falſitatem Deo ſerviatur, dummodo ſerviatur.* Hinc enim eſt quod multi & graves Doctores morales affirmant, quod quum quis eſt in aliqua invincibili ignorantia, ex cujus excluſione magnum aliquod damnum aut ſcandalum ſequi poteſt, poſſumus illum in tali ignorantia relinquere, dummodo non ſit ignorantia medii neceſſarii ad ſalutem. Quare ſolide locutus eſt Aug. de Bellis. Doctorellus Leodegarius *ſubere levior* extitit. Utrique, ſua cuique dando, aptantur Horatiani verſus

Quamquam ſidere pulchrior
Ille eſt: tu vero levior cortice, & improbo
Iracundior Hadria ——— ———

Quare Raynaudus *in ſuo Leodegario* φελλόν ---- *fluctuat, radices* Theologicas non habens.

PARS V.

Nec tertium nodum extricat.

Accedo ad tertium *Herculanum nodum*, à quo liberare curat Raynaudus *Leodegarium ſuum*, vinculum rodens, ſed dum audax laqueum rodere venit, *picem deguſtavit*, ut in ſequentibus conſtabit: non enim tardat vindicta, quando gravis accedit, cuncta enim quæ conjunxit ad gloſſemata, ſimul luet. modo ſufficiant curſint poſita

quæcunque de ſatisfactione, quam adhibet oppugnationibus P. *Prioris* S. Tho. & P *Auguſtini de Bellis.* concludo verbis Maximi Doctoris S. Hieron. *Apolog.* 3. *adverſus Ruffinum cap.* 6. *Nulli verum videtur quod tantæ Vrbis* (Romæ) *Sacerdos* (ſummus Pontifex) *vel innocenti injuriam facere potuerit, vel abſenti; innocentem te vocas, ad cujus interpretationem Roma contremuit, reſpondere non audes, & tamen Romæ Vrbis judicium fugis, ut magis obſidionem Barbaricam, quam pacatæ Vrbis velis ſententiam ſuſtinere. conſidera illam inimitabilem prudentiam tuam & ſales Atticos, & ſancti eloquii venuſtatem. Ab alius appeteris, & aliorum criminatione confoderis, & contra me furibundus jactaris & loqueris. Numquid ego non poſſum enarrare quomodo de Vrbe diſceſſeris? quid de te in præſenti judicatum ſit? quid poſtea ſcriptum? Poteram pandere; ſed plura ſervare ſtatui quam referre. Hæc ſunt tuorum ornamenta verborum: & poſt iſta, ſi quid in te aſperum dixero, ſtatim proſcriptionem & gladios comminaris. Et interim homo eloquentiſſimus arte ludis rhetorica & ſimulas præterire quæ dicis, quaſi prætermiſſa facias.* Hæc eſt tota tua ſimplicitas &c.

Dixerat autem prius. *cap.* 5. *de carnis reſurrectione:* (de communione pro mortuis ſuſcipienda) *quid ſentias jam in Apologia tua, didicimus, nullo membro amputato, nec aliqua parte corporis deſecta. Hæc enim eſt tuæ ſimplicitatis pura & aperta confeſſio, quam ab omnibus Italiæ Epiſcopis aſſeris eſſe ſuſceptam. crederem dicenti, niſi me dubitare de te iſte liber faceret. Etenim miror quomodo probaverit Italia, quod Roma contempſit, Epiſcopi ſuſceperint, quod ſedes Apoſtolica condemnavit.* Et iterum *cap.* 6. *Vade Romam, & præſens apud Pontificem expoſtula, cur tibi & abſenti, & innocenti fecerit contumeliam, primo ut non exciperes expoſitionem ſententiæ tuæ? & baculo tuarum uti noluerit Literarum contra canes tuos, & inde ut decretum contra te mitteret & cauterium tibi inureret. Non eſt leve quod tibi impingit tantæ Vrbis Pontifex, qui non ab alio temere objectum ſuſcepit, vociferare, & clama per compita,*

per

per plateas: non eſt meus liber. Hæc, frater chariſſime, facere debueras: & non illi tergum obvertens, in me tranſmarinas maledictorum tuorum ſagittas dirigere. Hæc & plura alia, ad rem ſatis accommoda (quæ omitto) S. D. adfert.

Quare cum non ſit leue quod Raynaudo impingit ex conſultatione facta, tũ Sanctiſſima Sacra Congregatio *de Indice*, quæ oblatio non temere accipit ſententiam Raynaudi ejuſque libellum damnat, nolens illius expoſitionem admittere, etſi eam multis mediis ingerere, & ſuggerere intentaſſet per ſe, & ſuos defenſores. adhuc vociferatur & clamat *per compita, per plateas: meus eſt liber*, eum defendo per ſuppoſitos defenſores, *Apologiam* pro eo diffundo. Appoſite Hieronymus alloquitur Leodegarium in perſona Ruffini, ubi ſupra cap. 3. *Tantum ſenſibus tuis reſpondebo, & te in omnibus nequaquam ſolœciſtam, & barbarum* (ſicut me dicit eſſe Quintinus) *ſed mendacem, ſubdolum, impudentem eſſe convincam, ſi ad me tantum ſcribis ut me commoneas, & emendatum velis, ne cæteris ſcandalum facias, & aliis furentibus jugulentur alii, cum libros contra me ſcribis ad alios, & legendos per ſatellites tuos toto orbe diſpergis. Brutos putas eſſe Lectores, & omnes non intelligere prudentiam tuam, imo malitiam qua & ſerpens prudentior ſit cunctis beſtiis in paradiſo?* & infra. *Vis ſcire totas argutiarum tuarum ſtrophas, & vulpecularum inſidias, de quibus Ezechiel loquitur cap. 13. Quaſi vulpes in Deſerto Prophetæ tui Iſraël? Auſculta quid feceris.* Miſi Reſolutionẽ meam ad *vulgus*, quod tu vulneraveras doctrina tua, errorem illi imponens; cum affectu religioſo animas in tormentis & carcere purgatorio detentas ſublevare intendit, ut *venena tua noſtra ſequeretur antidotus.* Ob hanc culpam mittis mihi ſub opprobrioſo titulo libellum plenum injuriarum: vix eſt verbum quod injurioſum non ſit. Quid me vis facere, bone amice? *Taceam?* videbor *agnoſcere?* Loquar? *terres me gladiis tuis. Teſtor mediatorem Ieſum, invitum me ac repugnantem ad hæc verba deſcendere, & niſi tu tam acerbe provocares, ſemper*

taciturum fuisse. Veritate comperta, falsitate fugata, ex Decreto sacro, tam *opella Raynaudi*, quam *libellus Leodegarii* proscribitur, excluditur, relegatur ab Ecclesia.

§. IV.

Reponitur duplex sensus Controversiæ de Communione pro mortuis.

Hucusque præludia feci, ut ostenderem quam facili & levi occasione commotus Leodegarius (*occasione dumtaxat opus est malitiæ*) in me insurrexerit tot sannis, & improperiis; ut ex hoc solo capite comprobetur *ferream se frontem* possidere fallaciæ, & procacitatis: cum enim veritatem ego propalarim, & falsitatem sententiæ *Theophilinæ* mundo ostenderim, facile *Galli* iracundia *fustem invenit*, ut canem contra novitates adlatrantem feriret & læderet. Sed in cassum: quia *Ictibus ejus clypeum sacrum opposui*, & dum vulnerare desiderat, *bis interimitur*, cum pereat suis armis: & dum Theologum facit, sed *Politice*, ego Theologum agam, *sed Theologice* ostendens ex Patribus, Ecclesiæ sensu, ex conciliis, & omnibus probatis Doctoribus, quod Leodegarius dum Theophilum propugnat, *Nepam imitetur*. Ego vero

ad sidera rectam
Erigonem ictuque Nepam, spolioque leonem

citat ad rem Parœmista Manutius *ex Manilio*.

Ut autem hoc rectius fiat, & illustrius sine confusione conspiciatur, dum controvertitur, an communio Eucharistica fieri possit pro mortuis, illisque in suffragium & allevationem pœnarum, quas patiuntur in Purgatorio, applicari: hæc controversia duplicem habet sensum, quem enucleavi. *tract. ult. Resol.* II. *citata*. quæ fuit Raynaudo in suo Apologista offensionis *Lapis, & petra scandali* (ego tamen parvulos hos ad petram Petri *allidam*, & *collidam*.)

PARS I.

Aperitur primus ſenſus.

Primus ſenſus eſt, an quis poſſit ad ſacram ſynaxin accedere, ibique buccellam conſecratam accipere pro defuncto, ita ut iſte dicatur per illum Euchariſtiam ſumere & communicare? ſicut dicitur eleemoſynam quis facere per ſervum, tanquam per inſtrumentum, ut aliqui hæretici quondam dixere, ut annotat Theophylactus exponens illud 1. *ad Chor.* 15. *n.* 30. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt?* ubi ſic loquitur: *Mos eſt Marcioniſtis Hæreticis, cum aliquis apud eos ſine baptiſmo deceſſerit, ejus qui vita functus eſſet, feretro, vivum aliquem ſubmittere hominem. Proinde feretrum ipſi adeuntes à mortuo ſuſcitantur, utrum ei libeat baptizari: moxque qui latitat vivus de loco inferiori reſpondens, ſe velle*, inquit, *aſſerentemque demortui loco baptizabant.* Hunc errorem Theophylactus Marcioniſtis tribuit, non Marcioni, cujus errores referentes Euſebius *lib.* 4. *Hiſt.* Irenæus *lib.* 1. *adverſus Hæreſes cap.* 29. & *lib.* 4. *cap.* 57. & Tertullianus *lib. de hæreſibus.* Auguſt. Philiaſter & Guido, hunc errorem illi non tribuunt, ut bene advertit Caſtro, *de hæreſib. lib.* 3. *verb. Baptiſmus hæreſ.* 3. Marcioniſtis autem tribuit Theophylactus, qui aliquot poſt ſecula poſt hos Patres vixit *anno* ſcilicet 1071. quia, ut ait idem Caſtro, *ſolemne eſt hæreticis qui aliorum hæreticorum veſtigiis adhærent, ut nunquam ſuorum Magiſtrorum erroribus ſint contenti, ſemper illorum inſaniam, aliquid impietatis addentes, augere nitantur. Quapropter poſſibile fuit, ut Marcionis ſectatores erroribus illius hanc hæreſin conjungerent, atque ita primi illi Scriptores de ea non fecerint mentionem. Theophylactus autem qui poſterior fuit, de Marcioniſtis hæc dixiſſe potuit, non de Marcione. Videtur Theophylactus ſumpſiſſe hanc hæreſin ex Ambroſio ad locum Pauli citatum.* Igitur pariter poſſet inquiri, an vivus poſſit in hoc ſenſu pro mortuo communicare, ita, ut de-

functus dicatur suscepisse Eucharistiam per vivum, qui loco illius suscipit. Sicut dicebant Marcionistæ, quod defunctus baptizaretur per vivum procuratorem, non secus ac quis contrahit matrimonium per procuratorem, qui vinculo illius non colligatur, sed ille, cujus est procurator, & cujus nomine contrahit.

PARS II.

Est erroneus.

Hic sensus est, ad quem respiciebat D. Tho. dum dixit, quod esset *error popularis, communicare pro mortuis*, ut mox dicam, quia sicut baptismus solum prodest in quantum est ablutio iis, qui credunt & baptizantur vivi, juxta illud *Marci ult. Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, ita Communio Eucharistici panis, in quantum susceptio illius est, solum prodest manducanti & suscipienti : sicut enim nullus in corpore abluitur per hoc quod alius abluatur per ipsum; ita nullus dicitur manducare per alium, & Christus inquit: *Ioann. 6. nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sic elegantissimè exponit D. Tho. *lect. 6. Ioannis in fine* (juxta impressionem Romæ factam *ann.* 1570. Jussu Pii S. & Lugdunensem *ann.* 1572.) ubi sic loquitur (attende verba Raynaude cum *tuo Leodegario*) *Nec tamen si Laicus sum & hoc sacramentum prodest aliis, quantum est ex opere operato, in quantum consideratur ut perceptio, quamvis ex intentione operantis, & percipientis, possit communicari omnibus ad quos dirigit suam intentionem. Ex quo patet quod laici, sumentes Eucharistiam pro iis qui sunt in Purgatorio, errent.* Utique errant, sicut errarent, si *baptizarentur pro mortuo*, implicat enim, quod quis manducet carnem filii hominis per alium, sicut & quod ejus corpus abluatur, dum corpus abluitur alterius. Quare nullus Catholicus hoc somniavit: & si aliquis è populo rudis, ignorantia ductus, hoc existimaret, erraret certe:

certe: à quo errore liberari debet per doctum Confessorẽ, ut liber sit à pertinacia. Quod si in ea perseveraret, denunciandus esset fidei judicibus, sicut ille qui *baptizaretur pro mortuo*, sentiens quod sui corporis ablutio mortuo deserviat, ut ipse etiam abluatur baptismi sacramento, hoc enim si pertinaciter adseratur, hæresis est Marcionistarum.

PARS III.

Secundus sensus Catholicus.

Secundus sensus, quem posuit S. Tho. an ex intentione operantis & percipientis possit communio communicari & prodesse omnibus, ad quos dirigit quis suam intentionem, etiam si mortui sint, & in purgatorio existentes, ita ut communio in gratia facta, qua prout est actus satisfactorius, *Levamen* sit animabus justis carceri temporali addictis, ut à peccatis & pœnis solvantur. Qui sensus bipartiri potest, aut quod ex intentione solius operantis, & *ex opere operantis*, ut dici solet, aut quod aliquo sensu Catholico prosit *ex opere operato*. Horum terminorum *ex opere operantis*, & *ex opere operato* enucleationem late posuit præfata Resol. *ann.* 564. Quare in hoc secundo sensu nobis superconcertatio cum Raynaudo & *suo Apologista:* an scilicet communio facta à laico possit esse suffragium pro animabus purgatorii, sicut est jejunium, eleemosyna, & alia opera pœnalia?

§. V.

Recopilatio sententiæ Raynaudi factæ à suo Leodegario Quintino Heduo.

Apologista hic homo incognitus sui *Lysistrati divitias recopilans*, *magnus versator* in re pusilla existens, & vocum ac verborum lenociniis excitans inanem Lectorum applausum, sic in compendium reducit Theophili Raynaudi doctrinam §. 1. *sui libelli.*

Theophilus ergo usurpans ipsissima verba S. Tho. lect. 6.

in cap. 6. Ioannis, dixit; Laici communionem pro mortuis fieri per errorem. Non vult dicere D. Tho. intervenire errorem in fide, cum quis ita communicat, sed errorem vocavit eo sensu, quo Laurentius Ioubertus suum quoddam opus medicum inscripsit de erroribus popularibus in re medica. Ex quo Antonius Faber opus quoddam Iuridicum de popularibus Grammaticorum erroribus in lucem emisit. Laicos ergo pro mortuis communicantes errare in hoc sensu dixit cum S. Tho. Raynaudus ann. 8. sui libelli.

Et probavit. Primum ex sensu antiquo omnium ad hanc usque diem Theologorum, imprimisque S. Tho. loco annotato & 3. p. qu. 79. art. 7. explicatissime tradentis communionem soli sumenti prodesse. Nemo item eorum, qui hactenus tractarunt de subsidiis mortuorum memoravit unquam communionem: qui viderunt omnes communionem esse subsidium, vel fere, vel prorsus inutile mortuis. Usus antiquus Ecclesiæ aliud habuit; nam cum stantes aliis sacris solerent communicare; in sacro quod pro defunctis fiebat, non communicabant. Etenim cum circiter annos ab hinc quadraginta usus communicandi pro aliis cœpisset in his oris induci, præstantem Theologiæ Professorem Ludovicum Michaelis valide præter cæteros, in eam, ut vocabant, insulsitatem ac judicii inopiam conclamasse, admonendo, perinde id esse, atque manducare pro alio, vel hominem sanum haurire pro ægro pharmacum: quæ quanta fuerit absurditas, nemo non videt.

Harum rationum vim sic aperuit Raynaudus. Sumptio Eucharistiæ prodesset alii quam sumenti, vel prodesset ex opere operato, vel ex opere operantis. Priorem modum adhibuerat unus quidam declamator; & adscripti erant in libris Asceticis pralo subjectis celebres scriptores duo, & idcirco Theophilus suam lucubrationem ex instituto, ac per se primo contra eam sententiam conscripsit; tametsi per eam occasionem attigit quoque modum posteriorem, quo communio dicitur prodesse alteri quam sumenti ex opere operantis, si à communicante dirigatur ad alterum. Verum prior modus (ut Theophilus ann. 8. demonstravit) est aperte ridiculus,

lus, nec ulli unquam solido Theologo probatus est, tametsi, ex quo unus quidem, ut applauderet Bartabus eosque communicando pro mortuis, velut æquare sacerdotem pro eis sacrificantem, effutivit (comperta narratio, & quamvis grunniat Hurtado, nequaquam conficta) unus & alter quos dixi, visi sunt eam fatuitatem adamasse. Attamen eorum unum lecta Theophili scriptione depuduit vanitatis, & in altera editione sui operis erasa priori illa sua opinatione veram doctrinam substituit.

Posterior modus parum revera quadrat, quia cum tres sint operis nostri vires morales, quibus videri possit defunctos per superstites operantes juvari; nempe meritoria simpliciter dicta, impetratoria, & satisfactoria. Prima non habet locum respectu aliorum nisi in Christo (vis meritoria de congruo non attenditur, quia meritum congruum neque est simpliciter dictum meritum, neque ex certa lege.) Secunda vis moralis proposita reperitur in sola oratione, cujusmodi non est perceptio sacramenti. Imo ipsa oratio præcise ut impetratoria, est tenue defunctorum subsidium; quia post transitum ex hac vita, Locus tantum est suffragationi per aliquam lytri appensionem, non autem impetrationi gratuitæ. Tertia, quæ est vis satisfactiva, sequitur operis pœnalitatem, quæ in ordinario actu communionis, aut nulla est, aut perexigua. Quis enim labor est in deglutitione tantillæ Hostiæ, per se loquendo? Hoc addo, quia si quis laboret angina, vellet tamen percipere Eucharistiam non absque labore, ea perceptio posset esse satis pœnalis atque adeo non parum satisfactoria, & infra (omitto enim exemplum quod non addit novas vires suæ sententiæ) Per se tamen loquendo, & præcise spectando perceptionem sacramenti Eucharistiæ, rejectis antecedentibus comitantibus ac subsequentibus (ut nunc facimus) aut perparum, aut nihil est laboriosa: atque adeo vel admodum tenuiter satisfactoria est, vel nullatenus plane, & tamen viator fidelis non nisi satisfactorium operis sui boni fructum potest in defectum transfundere. Vix igitur aut nullomodo communio potest defuncto esse fructuosa. Atque ita præstaret laboriosum aliquod opus aut jejunium,

aut

aut eleemosynam in defuncti gratiam exequi. Vel, si de sacramentis agitur, præstaret pro defuncto confiteri, quod est admodum pœnale, vel uxorem ducere pro defuncto, humeros honorato illi ponderi (ut Nazianzenus appellat) ad immensas ærumnas subjiciendos. Nemo tamen hactenus vel confessus est, vel uxorem duxit in gratiam defunctorum, nec repertus est quisquam pro mortuis adeo sollicitus, ut excitaret fideles ad pectoris vomicam pro mortuis sacerdoti aperiendam, vel inducendum se in tribulationem carnis & spinas conjugio consertas, per susceptionem sacramenti matrimonii pro defunctis.

Hæc est summa doctrinæ Raynaudi de communione pro mortuis, quos negat consolationem accipere audiendo aliquem vivorum pro ipsis communicasse, præcise attendendo præceptionem corporis Domini, quia pie defuncti norunt quanti sit ea perceptio in gratiam ipsorum facta: præterquam quod, ob infossam gurgiti doloris voluntatem, non sint capaces delectationis & consolationis sive lætitiæ. Hucusque compendium factum Raynaudi doctrinæ à Raynaudo, quod Leodegarius cecinit. Sed *priusquam Gallus* iterum *canat*, uterque castigandus est, ut

Cum victus, alas illi (veritati) *submittat suas.*

§. VI.

Castigatur Raynaudus in suo Leodegario *Apologista compendiatore.*

P. Theophilus Raynaudus, dum me *depilat & convellit* per *Leodegarium Theologum Maximum*, judicat sine dubio suis responsis nullatenus resistendum fore, ac si essent *sibyllina folia* aut *ex tripode dicta*, & dum Gallico impetu vult omnes pilos simul *vellere*, frustra sudat, & risui est Lectoribus, ac

Cadit elusus ratione ruentis acerbi.

Et dum vires ostentare curat sannis & opprobriis, marcet ingenio, cum in Literaria palæstra magis profit *ingenium quam vires*, quare ante quam sana doctrina vindicetur,

operæ

operæ pretium judicavi caſtigare Raynaudum *in ſuo Compendiatore & Apologiſta Leodegario*, oſtendens quam frigidus ſit Theologus, & cum ſit *parvus fluviolus*, *cum Nilo fluvio* magno, in quo ſunt Patres Eccleſiæ, *certare intentat*, quos ipſe, *dum bibit*, *fugit*, tanquam *Nili canis*.

PARS I.

Verba D. Thomæ lect. 6. in Ioannem non intellexit Raynaudus.

Igitur in *Compendio*, & *ſumma* adducta, plura ſunt caſtigatione digna & reprehenſione. 1. Quod dum D. Tho. *lect. illa 6. in cap. 6. Ioannis* dixit. *ex quo patet, quod Laici ſumentes Euchariſtiam pro iis qui ſunt in Purgatorio, errent.* Non vult dicere ibi intervenire errorem in fide, cum quis ita Euchariſtiam ſumit, ſed dixit *errare in eo ſenſu, quo Laurentius ille errores populares in re medica, & alter Faber Iuriſconſultus egit de popularibus Pragmaticorum erroribus, & errare in hoc ſenſu (late ſumpto errore) laicos pro mortuis ſumentes Euchariſtiam, dixit Raynaudus ann. 8. ſui libelli.* O bella hominis eruditio! O viri, tot Encomiis laudati intelligentia! ſumere Euchariſtiam pro mortuis, errorem dicit, *quaſi in re medica*, aut *Pragmatica*, & non in fide; verum, ut dici ſolet: *funis hic nihil traxit, ſed hamum* Raynaudus *retraxit inanem*, iniciter intelligens S. D. etenim, ſumere Euchariſtiam *pro mortuo*, idem eſt error, ac baptizari *pro mortuo*, atqui hic eſt error in fide, ut vidimus. §. 4. ergo & ille. Etenim non minus errat in fide, qui judicat, quod Sacramentum Euchariſtiæ, in quantum conſideratur *perceptio*, proſit aliis vivis, quam ſumenti, nedum defunctis: quam judicat quod baptiſmus, in quantum conſideratur *ut ablatio* corporis, prodeſſe poſſit alii, quam ei, qui abluitur, de fide enim eſt, quod plura Sacramenta ſuſcipi & percipi non poſſint per procuratorem, ſicut recipitur Sacramentum matrimonii, quia de ratione contractus eſt, quod non repugnet per procuratorem celebrari, laici igitur ſumentes

tes

tes Eucharistiam pro his qui sunt in Purgatorio, errant in fide, non sicut *in grammaticare*, *aut Pragmatica*: quamvis, si id faciant bona fide aut ignorantia inculpabili, hic error hæresis non erit, juxta dictum Hieron. *Errare potero, hæreticus non ero.*

Unde fit; quod hæc propositio: *susceptio Eucharistiæ fit pro defunctis*, sicut ista: *baptizari pro mortuo*, faciunt sensum formalem, in quo errorem continent in fide. Hinc est quod D. Tho. loquens in sensu formali, ut semper solet, dixit. 3. *p. q.* 79. fere per totam; quod Eucharistia, in quantum est Sacramentum, solum prosit sumenti, in quo solum *ex opere operato* causat effectus, quos per totam quæstionem disquirit. Quare Raynaudus volens temperare, & exponere sententiam suam, incidit *in Scyllam cupiens vitare Charybdin* Unde fit, quod in hoc sensu formali, percipere Eucharistiam pro mortuis in Purgatorio existentibus, fatuitas sit ac judicii inopia, non minus quam manducare, aut medicinam pro alio sumere. Si autem hæc Eucharistiæ pro defuncto perceptio cum pertinacia fiat, proculdubio erit error in fide, damnabilis à judicibus sacris.

PARS II.

Perverse intelligit usum antiquum, quod in missis defunctorum non communicarent fideles;
& cur hoc?

2. Quod castigatione indiget, & dignum reprehensione in viro, qui tanta pollet eruditione, est quod dicit. *Usus antiquus Ecclesiæ aliud habuit, cum adstantes aliis sacris solerent communicare, in sacro tamen, quod pro defuncto fiebat, non communicabant.* Frivolum sane argumentum, *quo ex arena funiculum nectit* Raynaudus. Do, quod antiquitus in missis defunctorum adstantes non communicarent, nec ad sacram *synaxin* accederent; sed hoc non erat: quia sacra communio non possit applicari defuncto, sed quia fideles, in primis Eccle-

siæ

siæ sæculis ante communionem, quæ laicis dabatur, præibat *osculum pacis*, quod sacerdos mittebat per ministrum ad populum adstantem communicaturum. Ita Walfridus Strabo *de rebus Ecclesiæ cap. 22. pacem ante communionem dari Innocentius Papa decretis suis instituit.* Chrysost. *hom. de prodit. Iudæ.* Hierony. *epist. 50. ad Theophilum Alexandr.* Isidorus *lib. de divin officiis cap.* 15. & ipsis omnibus antiquior S. Dionys. *de Eccles. Hierarc. cap. de communione* ; ritum istum ab Apostolis dimanare satis ostendit his verbis. *Laudata hoc modo divina humanitate, obtectus quidem divinus panis proponitur, calixque benedictus, divina autem salutatio sive osculum adhibetur, sanctorumque animorum, qui scripti sunt, mystica, cœlestisque prædicatio. Ex eo accepit* Justinus Martyr, *Apolog. 2. pro Christianis circa finem.*

Cumque in missis pro defunctis *pacis osculum* non detur hodie, neque antiquitus dabatur, ut tenent Alcuinus *lib. de divin. officius §. de exequiis mortuorum.* Amalarius *lib. 3. de Eccles. off. cap.* 44. Hugo de S. Vict. *de specialibus Missæ observat. lib. 3. cap.* 37. Guillel. Durandus *lib. 7. Rationalis cap. 25. ann. 30.* Joann. Bellethus *in suo Ration. cap.* 161. Glossa, & Turecrem. *in canon. Pacem. de consecrat. dist. 2.* Hinc fit, quod in missis defunctorum non communicarent fideles. Sed cur in his mortuorum Missis, non daretur *pacis osculum?* varias rationes tradunt Durandus, Bellet. & Turecremata, qui videri possunt. Unde Amalarius *lib. 1. cap. 13. & lib. 3. cap. 44. dicit* quod in *die Parasceves, Sabbato Sancto, & in die Passionis Domini, non detur osculum pacis, & sic antiquitus communio non dabatur.* Imo hodie in his diebus vix datur communio, nisi infirmis, & etiam *in Missis pro defunctis* non datur communio nisi finita Missa, in aliis autem aliarum festivitatum & officiorum Missis, communio debet dari, juxta ritum Romanum, antequam Missa finiatur, immediate postquam Sacerdos seipsum *corpore & sanguine Christi* communicavit.

PARS

PARS III.

Carpitur modus loquendi Leodegarii.

3. Est, quod dicit: *quod opellulam de communione conscripsit ex instituto & per se contra illos, qui asserebant Eucharistiam à laico susceptam prodesse alii quam sumenti ex opere operato. Quam sententiam secutus est quidam Declamator, & duo alii celebres Scriptores in libris Asceticis. qui modus* (ait) *dicendi ridiculus est, nec ulli unquam solido Theologo probatus. Sed duorum illorum unum, lecta Raynaudi scriptione, depuduit vanitatis, & in altera editione sui operis, erasa priori illa sua opinatione, veram doctrinam substituit.* Per occasionem *tamen Theophilus attigit quoque modum, quo communio dicitur prodesse alteri quam sumenti ex opere operantis, si à communicante dirigatur ad alterum. Comperta* (inquit Leodegarius) *narratio & quantumlibet grunniat Hurtado nequaquam conficta.* Hic loquendi modus dignus est castigatione, quia Raynaudus *anaxyride indutus Gallica*, dimidiam duntaxat partem opinationis suæ (in qua conveniunt omnes) *ex opere operato*, protegit, aliam dimidiam in qua ipse erravit, nudam relinquit, *ex opere operantis*, sic enim *avulsit* & *depilavit* sacram communionem, ut temere asserat *esse subsidium, vel fere vel prorsus inutile pro mortuis* Quod dubio procul audire de tam eximio opere pias aures offendit. Fuisset tamen laude dignus si impugnata priori illa opinione, *de opere operato*, (quę, qua ratione possit defendi, infra exponam) non esset dilapsus, & negaret vires communionis *ex opere operantis*, quas ita extenuat, ut *vix*, aut *fere sint ullæ*. Et contra hunc *braccatum Gallum*, *cespitantem in re tam clara*, ego insurrexi, non *grunnii*, ipse tamen *ganniit vulpium more*, & *garriit* ubique nugas in omnium aures, quas sua garrulitate offendit. de *Palinodia* quam cantasse illum celebrem Doctorem viso libello suo, se jactat Raynaudus, fides sit apud ipsum, nam fine temeritate posset quis judicare confictam fuisse ab eodem proponente,

ponente, cum taceat auctoris nomen, quem citare posset sine offensione, non enim quis male recipit, quod citetur in iis quæ prælo mandavit, & in publicum edidit; præterquam quod retractavit opinionem, quantum *ad opus operatum*, non quantum *ad opus operantis:* quare narratio Raynaudi tanquam *merx ultronea putet.*

PARS IV.

Reprehenditur quod dicit, satius esse jejunare pro defunctis quam illis communionem applicare.

Quartum, quod castigo in Compendio facto opinationis Raynaudi, est, quia dixit. *Vix igitur, aut nullo modo communio, ut communio, potest defuncto esse fructuosa; atque ita præstaret laboriosum aliquod opus, verbi gratia. flagellationem, aut jejunium, aut eleemosynam in defuncti gratiam exequi. Vel, si de sacramentis agatur, præstaret pro defuncto confiteri sacramentaliter, quod est admodum pœnale, vel uxorem ducere. Nemo autem hactenus vel confessus est, vel uxorem duxit in gratiam defunctorum, neque repertus est quispiam pro mortuis adeo sollicitus, ut excitarit fideles ad pectoris vomicam pro mortuis sacerdoti aperiendam, vel inducendum se in tribulationem carnis, & spinas conjugio consertas per susceptionem sacramenti matrimonii, pro defunctis.*

Sed quis non videat omnia hæc indigna esse quæ præferat vir Catholicus? quis unquam prætulit auxilium & juvamen, quod defunctis præstatur per flagellationem & jejunium ei, quod præstatur ardentissimo Dei amore, cultu religioso, humilitate coram Deo, aut aliis excellentioribus virtutibus, quam sit abstinentia & corporis mortificatio? etenim vis satisfactoria operum est ad recompensandum pro injuria illata Deo, & pro pœna illi debita: unde & respicit Deum, cui fit recompensatio, & hominem, qui satisfacit: quatenus respicit Deum, dicit honorem illi exhibitum, quo recompensat homo injuriam

illatam mediis actibus bonis in illius obsequium factis, quatenus vero respicit satisfacientem, iste debet subtrahere aliquid à se per actus quos exercet, cum non habeamus nisi *tria bona*, *animæ*, *corporis & fortunæ*: quantum autem altius bonum est *bonum animæ* quam *bonum corporis & fortunæ*, tanto altior est satisfactio quæ fit per subtractionem *de bono animæ*, utpote dum Deum colimus, amamus, & coram illo humiliamur, quam dum jejunamus, & eleemosynas corporales distribuimus.

Fateor quod Ecclesiæ usus tria opera proposuerit in mortuorum suffragium, *jejunium, eleemosynam*, & *orationem*; ast sub his omnia bona opera cõplexa est, ut egregie dixit D. Tho. *in addit. ad 3. p. q. 15. art. 3. ad 5. Quidquid enim* (ait) *ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejunium refertur; & quidquid in proximi utilitatem expenditur, totum eleemosynæ rationem habet; & similiter quæcumque latria exhibetur Deo, orationis habet rationem.* Quare quanto excellentior est actus bonus, quo de nostro subtrahimus, tanto est magis satisfactorius, quia majoris *boni nostri* est subtractio.

Cujus rationem à priori dedit S. Tho. *art. ejusdem q. 15. incorp. quia etsi bonum opus, ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum; atque ita subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit, & ideo ad hoc ut aliquod bonum opus sit satisfactorium, oportet quod est bonum, & in honorem Dei, & pœnale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur.* Quam doctrinam *grossus & crassus* Theologus intellexit Raynaudus, quasi pœnalis solum sit actus externus corporalis. quod asserere, dissonum est à sana & Catholica doctrina à Patribus tradita, ut *in sequentibus* monstrabo. Gregorius enim dicit, *dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmari proculdubio fortitudinem carnis.*

Unde est consequentia viro Theologo digna, (quam non est assecutus Raynaudus) *Amor Dei roborat animum in spiritualibus, ergo affligit corpus.* Hanc enim consequentiam fecit Gregorius, & est evidens (quidquid ganniat

niat ille) quia inter carnem & Spiritum eſt continua pugna: hinc quod facit victoriam carnis, carni eſt pœnale, ergo ſatisfactorium. at *quanto creſcit fortitudo amoris intimi, tanto magis vincitur & retunditur carnis fortitudo,* & caro inimica, ergo charitas eſt opus pœnale reſpectu carnis: & quanto magis intenſa, tanto major victoria, & ſic tanto magis ſatisfactoria, quia tanto magis detrahit *de bonis corporis.*

Ridicula ſane eſt ſolutio, & prorſus rejicienda quam adhibet huic argumento *Proletarius Apologiſta pag.* 19. *quod charitas ſit pœnalis, non formaliter ſed cauſaliter.* O bone Deus! tam inſulſa ſolutio permittatur? verba dumtaxat importat *Hermodorus* iſte: ſi charitas eſt cauſaliter pœnalis; ergo in ſe pœnalis eſt, quia ratione ſuæ virtutis difficultates carnis & corporis vincit, & illi bellum acre indicit caro, in quo cum victrix evadat in pugna, cum difficultatem in vincendo patiatur, pœnale opus eſt in ſe, multo magis quam *jejunium & abſtinentia*, quæ etiam laſciviam carnis cauſaliter mortificat. Sed de his plura in ſequentibus; pro caſtigatione iſta modo ſufficiant.

PARS V.

Evaneſcit exemplum quod adducit de aliis ſacramentis.

Id autem, quod dicit de Sacramentis confeſſionis, & matrimonii, intolerabile eſt; quod cum lego, Leodegario parœmiam applico: *Albus, an ater ſis neſcio*, niſi ut ait Horatius *epiſt. ultima:*

Vultu mutabilis, albus & ater.

Quis Catholicus dubitat, quod quis pœnalitatem illam, quam in aperienda conſcientia ſua Sacerdoti, peccata illi dicendo; & illam, quam quis patitur uxorem ducendo, & in oneribus matrimonii ſupportandis, poſſit pro defunctis applicare, cum actus iſti valde ſint pœnales, & per conſequens ſatisfactorii? ſicut & profeſſio ſolemnis in Religione valde eſt ſatisfactoria, etſi fiat magna alacritate &

jubilo, quia de se valde difficilis est. Atqui ita satisfactionem ille potest animabus Purgatorii applicare, quamvis non possit pro illis professionem emittere: ita etsi quis non possit pro defunctis confiteri, aut pro illis matrimonium contrahere, at potest illis satisfactionem horum actuum applicare, & intentione sua opera ista, in quantum satisfactoria, dirigere, & sic idem prorsus facere de communione; etsi enim non possit percipere Eucharistiam *pro mortuo*, at potest communionem, in quantum actus satisfactorius est, facere ex intentione, quod ejus satisfactio *mortuo* subsidium adferat: quod non erit *leve*, sed maximum.

Unde praxis est Doctorum, quod in pœnitentiam injungant pœnitenti, ut aliquoties communicet in subsidium satisfactorium, applicando satisfactionem operis animabus Purgatorii. idem potest facere de confessione, imo & de professione religiosa. Et dum quis contrahit matrimonium; prævidens ejus difficultates & angustias, satisfactio hujus consensus, qui non parum est pœnalis & satisfactorius, pari modo potest eidem intento deservire; quamvis non dictet ratio, ut quis persuadeat, ob hunc finem alicui matrimonium esse contrahendum, quia hoc est impeditivum perfectioris status, si tamen suaderet prudens dictamẽ, ut quis matrimonium contrahat posset etiam illi suaderi, ut præbeat consensum ad contractum, & ipsum, in quantum satisfactorium, animabus Purgatorii applicet.

Quæ doctrina expressa est D. Tho. *q. 7, l. art. 9. ad 3. in additionibus ad 3. p* Ubi cum objeciset. *Baptismus est potissimus sacramentorum, maxime quantum ad effectum, ergo baptismus, & alia Sacramenta deberent similiter pro defunctis fieri.* Et R. *Ad 3. dicendum, quod baptismus est quædam spiritualis regeneratio, unde sicut per generationem non acquiritur esse, nisi generato; ita baptismus non habet efficaciam nisi in eo qui baptizatur, quantum est ex opere operato, quamvis ex opere operantis possit aliis prodesse, sicut & cætera opera meritoria: sed Eucharistia est*

signum

ſignum Eccleſiaſticæ unionis, & ideo ex ipſo opere operato ejus efficacia in alterum tranſire poteſt, quod non contingit in aliis Sacramentis. hactenus S. D. qui acerbe caſtigat Raynaudum; qui mihi dum objecit Leodegarium, ut dilaceraret & convitiis & injuriis inſectaretur: *Murem pro leone oſtendit*, ut in ſimili dixit Syneſius *epiſt. ad Anaſthaſium.*

PARS VI.

Expugnatur quod aſſeritur, animas Purgatorii incapaces eſſe ſolatii & conſolationis.

Ultimum caſtigandum in Raynaudo eſt, quia dicit: *quod animæ defunctorum quæ ſunt in Purgatorio, nullam conſolationem accipiant, audientes aliquem vivorum pro ipſis communicaſſe præciſe attendendo perceptionem corporis Domini, quia pie defuncti norunt quanti ſit ea perceptio in gratiam ipſorum facta: præterquam quod ob infoſſam gurgiti doloris voluntatem non ſint capaces delectationis, ſive lætitiæ.* Horum verborum caſtigatio acerbior debebat eſſe quam locus hic permittit, delectatur enim Raynaudus *in caſtigatione & flagellatione* animarum ſanctarum, quæ carceri ſunt mancipatæ à divina juſtitia commixta magnæ miſericordiæ, cum enim Deus eas eſſe ſibi charas agnoſcat, ſolumque in eis agnoſcat immunditiam vel aliquorum venialium, aut pœnarum, quibus non eſt ſatisfactum, non videtur pium, omnino occluſiſſe viam aliquarum conſolationum, & omnem ſuſpendiſſe concurſum ad ſolatium & lætitiam ſuſcipiendam.

Tum de charitate qua Deum diligunt, & amicitia ipſius in qua perſeverant, tum de revelationibus, quas illis faciunt Angeli cuſtodes de ſuffragiis vivorum, & orationibus factis ab amicis, & charis; & Eccleſia. nec enim juſtitia purgatorii ſumma eſt, ſicut eſt inferni damnatorum; quamvis enim illa ſit magna, tamen ſecum compatitur lætitiam non parvam; non ſecus ac calor in igne ita eſt in ſummo, ut ſecum non compatiatur ali-

quid contrariæ qualitatis; ſicut compatitur color aëriś, in quo non habet plenitudinem ſuam. Quare tantum abeſt, quod animæ exiſtentes in purgatorio, gurgiti doloris infoſſæ, ſint incapaces omnis conſolationis, & delectationis, ut potius ex vi ſui ſtatus purgationis levium maculārum repugnet quod conſolationem & delectationem non habeant, dum ſciunt pro ſe ſuffragia fieri (quorum unum non leve eſt, quod communionem applicent vivi pro ipſis, ut ſatisfactoria eſt.) ut jam ſequenti. §. 7. demonſtro.

§. VII.

Vtrum animæ exiſtentes in Purgatorio capaces ſint conſolationis & lætitiæ?

Ab hoc puncto lineam incipio contra Raynaudum *in ſuo Apologiſta*, qui ab eodem incipit contra me, *canis rabidi more, latrare.*

PARS I.

Adfertur Raynaudi in ſuo Apologiſta *opinatio; & impugnatio ad hominem.*

Ego ad comprobationem doctrinæ (quod animabus proſit communio Euchariſtica pro ipſis facta *ex opere operantis*) dixi, ſolatium recipere ex revelatione ſibi facta hujus ſuffragii; ipſe dicit me *extra chorum ſaltare*, quaſi *extra chorum ſaltet*, qui à poſteriori probat quod intendit: ſi enim anima purgationi addicta ſolatium ſuſcipit & conſolationem, quia ipſi *ex opere operantis* ſacra communio applicatur, ideo eſt, quia ſibi aliquod eſt ſuffragium, ex quo non mediocrem utilitatem conſequitur. Delicate Theologe, vide quomodo me *vellere* & *depilare* volſella intendas, ego te uſque ad cutem rado, *quia calvus cum ſis, depilare non valeo.* Si enim tu in tuo libello *n.* 29. contra *ſelectorem* dicis, quod animæ in purgatorio exiſtentes nullius conſolationis formalis ſint capaces, &

ex

ex hoc infers, quod non poſſint ſublevari per Euchariſtiæ *perceptionem* à fidelibus factam. hoc unum ex tuis frigidis argumentis; quid mirum? quod ego reſumens oppoſitum, ſyſtema antecedentis arguam probando, quod recipiant conſolationem, & ſic illis proſit communio vivorum applicata. Quare tu *extra chorum ſaltaſti*, & *in choro tuo* te concluſi. bene Horatius:

Nec ſemel irriſus triviis attollere curat
Fracto crure planum, licet illi plurima manet
Lachryma. ——————

Ut mox in ſequentibus videbimus.

Cum ergo *in Reſolut. citata ann.* 576. variis mediis oſtenderim (quæ ibi videri poſſunt) quod animæ in Purgatorio exiſtentes capaces ſint ſolatii, & conſolationis formalis, & qui hoc negat, ſit *benevolus trucidator*, & quod voces, quas multiplicat, ſint voces *Cyclobori:* nullum aliud verbum contra ipſum profero. Clamitat ipſe *in ſuo Apologiſta* me exordiri *à denſa grandine* per convitia, quibus vix poſſet in hæreſeos aſſertorem conjicere magis tetrica, & quia incuria ſcriptoris aut Typographi inadvertentia loco *Cyclobori* poſitum eſt *Cydoblori*, me prorſus *ignarum literarum Græcanicarum* dicit, ſed in hoc ultimo pilos conglutinat ut *depilet*; & in primo quantum opprobrium eſt, uti parœmia ſalita ad propoſitum? egregie illi altera aptatur, quod ſit *Stentore Clamoſior*, de quo Homerus:

Stentoris in ſpecie validi, cui ferrea vox, qui
Quinquaginta alios æquans clamore, ſonoque.

PARS II.

Enucleatio ſententiæ Raynaudi poſitæ à Leodegario.

Quare *Apologiſta*, ut animabus ſanctis auferat omnem formalem delectationem, ſic fatur. §. 3. *Illa conſolationum ubertas, in tam atroci incendio, per Hurtadum oſtentata agre cohaeret cum animarum illarum miſerrimo*

ſtatu, & acerbiſſimis cruciatibus quos certum eſt (reſciſſa æternitate, & excipientium rabie) plerumque ſuperare immanitate cruciatus inferni damnatorum. Norunt piæ illæ animæ, ſpem bonam ſibi eſſe repoſitam, & finem denique fore ſuis cruciatibus: & quia norunt ſe juſte plecti boni Patris ira, cum patientia & æquanimitate excipiunt. Tamen ſentiunt cruciatuum ſuorum acerbitatem, & tantis tormentis ſubjacent, ut attenta infoſſione voluntatis in Abyſſum doloris, nullam actu delectationem percipiant, ex variis illis motivis conſolationis quæ intellectui ipſarum obverſantur: ſicut damnati, quamvis poſſint pro iis quoque excogitari aliqua motiva lætitiæ, tamen re ipſa nullo gaudii ſenſu perfunduntur, ob indiviſionem dolorum Domini; ut exponit Gregorius 15. Moral. cap. 21. hauriunt enim perpetuo calicem vini, meri, & præoccupatam habentes tanta doloris acerbitate voluntatem, nullius plane gaudii ſunt capaces: ut recte philoſophatur Guillel. Pariſ. 2. de Vniverſ. cap. 4. adducto. Exemplo ejus, cui intra incenſiſſimam fornacem jacenti humana ſolatiola fruſtra proponerentur. Nihil enim idcirco remitteretur de ſummo dolore, nec ullus lætitiæ ſenſus ei obtingeret.

Eodem modo philoſophatur Vazquez. 1. p. diſp. 242. n. 7. & 8. rejectis Ochamo & Gabriele, quibus ſubſcribit Molina 1. p. q. 64. art. 3. aſſerentibus cauſam perpetuæ damnatorum triſtitiæ, nullo unquam gaudio dilutæ, referendam eſſe in violentam ſubductionem divini concurſus neceſſarii ad eliciendum actum gaudii. Sed nihil attinet tale miraculum invehere nam ex natura rei ad excludendum quemcumque ſenſum lætitiæ, ſatis ſuperque ſit abyſſus doloris præoccupans voluntatem; in quam proinde, omiſſa ſuavitatis gutta, amorem potius contraheret, quam aliquid ſuæ dulcedinis ſubjecto ſic male affecto impertiret.

Ratio porro aſſignata omnimodæ hujus excluſionis gaudii æque urget circa animas Purgatorii, ac circa damnatos & dæmones. Quæ vero pro deliciis magnis animarum Purgatorii adducit Hurtado, ſunt plane inania, & ad ſummum probant, ſuppetere piis animabus motiva è quibus promanaret

naret formale gaudium, ſi ſubjectum eſſet expeditum ad gaudii receptionem. Alias dicuntur animæ Purgatorii abundare conſolationibus, non quod habeant dulcem ſenſum à quo triſtitia minuatur (quæ eſſent conſolationes noxiæ, & diutius remoraturæ animas procul à cœlo) ſed quod muniantur ſcuto cordis, id eſt æquanimitate & ſubjectione voluntatis, ad ſedate ferendum ultorem Deum: quod unum voluit Suarez, male intellectum ab Hurtado.

Qui item ridicule diſtinguis in animabus Purgatorii intellectum ſuperiorem ab inferiori, & voluntatem ſuperiorem ab inferiori, & animas Purgatorii præoccupari à doloribus ſecundum intellectum & voluntatem inferiorem, quamvis voluntas & intellectus ſuperior in eis non præoccupetur: alioquin non poſſent amare Deum neque ſperare beatitudinem. Ain? ſed cogitare te oportuerat intellectum inferiorem aliud non eſſe quam Phantaſiam, & voluntatem inferiorem aliud non eſſe quam appetitum ſenſitivum: quæ inferiores potentiæ, in nobis oſtreo carnis concluſis habent locum, non autem in animabus ſeparatis atque Dæmonibus. Item cogitandum tibi fuerat, amorem, ac ſpem bene cohærere cum voluntate doloribus acerbiſſimis præoccupata, non item lætitiam & gaudium. Itaque hæſit hîc aqua Hurtado.

Reponit tamen argumentum quod ait eſſe manifeſtum. Probat ergo, cum quis pro mortuo communicat, ſi id reſciat (ut facile reſcire poteſt) omnibus lætitiis incedere. Nam Sacerdos in Paraſceve ſacrificat ex præſanctificatis, & illud ſacrificium nomine publico offert Deo, ad utilitatem totius Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, atque adeo etiam animarum Purgatorii; in quo aliquali ſacrificio nihil re ipſa eſt præter communionem. Quidni ergo, ſi laicus ſimiliter nomine ſuo communicet pro animabus Purgatorii, maximum eis ſolatium & conſolationem impendat? ut aliquid ad rem faciens dicatur, hic ab Hurtado oportet ſolatium ſumi pro delectatione & lætitia. Hic autem actus, cur non poſſit à communicante conciliari animabus Purgatorii, jam dictum eſt: nec ab Hurtado manifeſte monſtratum. Similitudinaria vero illa

ſacrificatio diei Paraſceves ſine judicio in hanc rem adducitur, quia quod ibi appellatur ſacrificium, non eſt communio, ſed ritus ſacer ſpecie externa aliquatenus conſimilis vero ſacrificio, cujus idcirco nomen retinet. Vt apud Ethnicos in ſacris, deficientibus veris, ſimulata ad memoriam & ſolatium aliquod adhibebantur. Apud nos quoque ſacrum ſimilitudinarium, nec niſi aliquatenus ſpecie externa idem, veri retinet appellationem: ut videre eſt in miſſa nautica, & ut aliqui vocant, ſicca, cujus olim uſus erat in longis navigationibus, priuſquam in fluſtro auderent ſacrificare. Hæc Raynaudus in Apologiſta.

PARS III.

Raynaudus in ſuo Apologiſta vulſus, & depilatus.

Venit vir eruditus *vellere & depilare*, & *vulſus & depilatus* vadit, & dum me concitat *Ocyma cantans*, non miretur *ſi Ocyma audiat*, ſed modeſtiori ſtylo, non enim *è plauſtro libere* loquor. Igitur à Raynaudo pacate, etſi non ſine ſuo dolore *avello* id, quod, me quidem judice, ſuſtinere nequit. Dixit animas addictas igni purgatorio omnino eſſe incapaces, (dum ibi exiſtunt gurgiti doloris immerſæ,) omnis *ſolatii & conſolationis formalis*, non ſecus ac animas damnatorum æterno igni, ex judicis ſeveri decreto & ſententia, mancipatas. Hanc opinationem nullus Catholicorum expreſſit. Unde S. Catharina Genuenſis dicit, *ſe à Deo audiviſſe, neminem præter ſanctorum animas in Paradiſo habere poſſe gaudia ſolidiora, aut magis exceſſiva quam animas purgatorii*, quę revelatio, ſuſpicionem falſitatis excludit, quia conformis eſt doctrinæ Theologorum & piorum hominum, ut bene docent Doctores illi, quos citavi *Reſol. illa* 11. *ann* 579. Abulenſis. Frater Helias à Sancta Thereſia; Suarez (quidquid Theophilus garriat) Bonacina, Graffiſ. Conimb. D. Tho.

Igitur, quod dici non poſſit, animas Sanctorum tempore determinato, quo ſunt, ut purgentur, in loco deſtinato

nato à Deo, ita esse incapaces consolationis & solatii, atque lætitiæ, sicut sunt quæ sunt in perpetuum damnatæ, *cum Diabolo & Angelis ejus*; ita mihi certum est, ut id affirmari sine *impietate* & *temeritate* non possit: nullus enim id unquam vel leviter insinuavit inter Catholicos. etsi enim aliqui dixerint (ut Abulensis *Paradoxa 5. cap. 46.* quem citat & sequitur Valle de Moura *Opusc. de encantat. & ensalm. sect. 2. cap. 3. n. 38. in fine*) quod in aliquibus quoad intensionem, & pœnam sensus *Purgatoriæ pœnæ* vincant ipsa tormenta inferni, tamen nullus Catholicus ausus est affirmare, quod animæ dum existunt in *Purgatorio*, Deum super omnia amore charitatis diligentes, à quo sperant spe supernaturali visionem claram & beatitudinem æternam, ita sint incapaces consolationis & delectationis, sicut animæ eorum, qui odio prosequuntur, & prosequentur in perpetuum, quorum *superbia & blasphemiæ ascendunt semper.* Unde, cum sint *in termino & in summo* miseriæ, quæ eorum capacitatem, tam secundum animam, quam secundum potentias totaliter replet, ipsi *repleti sunt amaritudine.* Unde ex vi sui miserrimi status, incapaces sunt alicujus lætitiæ, gaudii, & consolationis, quia ex vi talis status obstinati sunt in malitia, tristitia, & odio Dei. ast animæ justorum in Purgatorio existentes, magnam delectationem & gaudium habent, quo summe recreantur, quia gaudium & lætitia sequuntur ex natura rei ad dilectionem charitatis, quæ est causa gaudii, ut respicit bonum divinum in se, cui conjungitur aliud gaudium de bono divino prout à nobis participatur: quod gaudium causat spes: illud prius non compatitur secum aliquam tristitiam; at istud posterius: etsi aliquam tristitiam sibi admisceri patiatur, prout scilicet aliquis tristatur de eo, quod repugnat participationi actuali divini boni, & Beatitudinis.

Ita sentiunt omnes Theologi, tam scholastici, quam Mystici cum D. Tho. 22. *q.* 28. *art.* 2. hoc gaudium causat ex natura rei spes, sicut prius de bono divino in se causat charitas: & utrumque habent animæ in Purgatorio existen-

exiſtentes, ſed cum diſcrimine, quia lætitiam & gaudium de bono divino habent *plenum*, & ſine admixtione triſtitiæ. Secundum autem *plenum* non habent; quia cum retardentur à conſequutione beatitudinis, habet admixtionem triſtitiæ, quia *ſpes quæ differtur, animam affligit:* unde gaudium hoc *plenum* non eſt, quia aliquid reſtat deſiderandum, ſcilicet actualis poſſeſſio & conſecutio boni ſummi deſiderati. Et ſic animæ in Purgatorio non ſunt in perfecta quiete, & termino, etſi habeant gaudium de Deo participando, & poſſidendo, quem poſſidere deſiderant; gaudium enim comparatur ad deſiderium, ſicut *quies ad motum.*

Unde cum hæc doctrina ſit indubitata apud Catholicos, ex ea manifeſte præcluditur *Leodegarii temeritas*, æquantis in incapacitate gaudii & delectationis formalis animas juſtorum, dum exiſtunt in Purgatorio, animabus damnatorum, qui exiſtunt jam in *termino* ſuæ miſeriæ, ex *reprobatione divina*. Sicut enim animæ beatorum, qui ex *prædeſtinatione divina*, ex vi ſui ſtatus (ſive id proveniat ex natura rei ſive ex manutentione, & extrinſeca providentia Dei) ita habent gaudium *plenum*, quod ſecum non compatiatur vel minimam triſtitiam: ita damnati habent *plenitudinem pœnæ*, tam ſenſus, quam damni, cum qua componi nequit vel minimum gaudium, delectatio, aut lætitia. Aſt animæ juſtorum, quæ ſunt in *Purgatorio*, cum nondum ſint terminum Beatitudinis conſecutæ, etſi de illius conſecutione ſint ſecuriſſimæ, capaces ſunt gaudii, quod generat certa ſpes: ſed quia gaudii objectum adhuc deſideratur, & differtur ejus conſecutio, gaudium habet admixtam triſtitiam, & amaritudinem, quæ minuitur: & gaudium & lætitia creſcunt, quando ſcitur revelatione, quod ſuffragiis vivorum acceleretur *ſummi boni* conſecutio, non ſecus ac ſi quis mittatur in tenebroſiſſimum carcerem, quouſque ſolvat quod debet, ſive ex propriis bonis, ſive ex aliorum, qui miſericordia moti pro eo ſolvant, quamvis enim in carcere pœnas patiatur acerbiſſimas, cæterum ſi illi denuntietur, quod

amici

amici quotidie ſolvant aliquotam debiti partem & ſic tandem & à carcere, & pœnis liberabitur: quis cordatus dubitabit quod iſte incarceratus magnam conſolationem habuerit?

PARS IV.

Poſitis duobus fidei principiis elicitur concluſio Theologica contra Leodegarium Raynaudi.

Et quidem animas Purgatorii conſolationes & ſolatia magna habere, præter ea, in quæ oblatrat & non mordet Raynaudus, & adduxi. *Reſol.* 11. *citat.* Colligo ex doctrina Patrum & Sanctæ Eccleſiæ circa defunctorum animas juſtorum, quæ abſterſione & purificatione indigent, ut conſequantur beatitudinem, patriamque cæleſtem ingredi valeant: duo enim dogmata fidei nobis proponuntur credenda. 1. Quod ſit locus deſtinatus ad hujuſmodi abſterſionem & purificationem à pœnis & levibus venialibus culpis, qui dicitur Purgatorium, in quo detinentur, ut ſatis patiantur, & in vivicomburio decoquantur & torreantur, quouſque depurgatæ, & ſine coinquinamento pœnæ aut culpæ ſint. 2. Dogma eſt, quod animæ comburio huic alligatæ juventur ſuffragiis vivorum, qui illis pia opera ſatisfactoria applicant. Utrumque dogma ſolum negant Hæretici, quorum primus videtur extitiſſe Arius & ſequuntur hæretici novatores.

Ex his duobus principiis fidei colligo hanc concluſionem Theologicam, & ſic formo diſcurſum. Purgatorius locus à divina providentia animabus abluendis deſtinatus, non eſt locus, in quo tanquam in termino ſunt humani ſpiritus: ſed ſolum uſque ad tempus præfinitum à divina juſtitia quouſque rubigo pœnæ & culpæ venialis in fornace illa decoquatur, abſtergatur, depuretur. Ad cujus ſenſus pœnam ſublevandam, ut citius liberentur à tormentis, precationibus & juvamine vivorum, inſtituta ſunt ſuffragia in Eccleſia, quæ id habet ex traditione. Unde ſuffragia pro defunctis facta ex divina inſtitutione ordi-

ordinantur ad commodum, & utilitatem animarum existentium in Purgatorio: quæ nisi illis sublevarentur, frustra pro illis fierent. Ita Clemens *lib.* 8. *Constit. cap.* 47. *&* 49. Dionysius *lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. p.* 2. *cap.* 7. & eleganter Epiphanius *lib.* 3. *contra hæreſes, hæreſ.* 25. *contra Arrium, vel Actum.* elegantius Auguſt. *in Inquiridio ad Laurent. cap.* 110. ubi egregiam rationem hujus ſolatii ſubminiſtrat, quam etiam repetit. *ſerm.* 32. *de verbis Apoſt.* ergo ex his ſuffragiis ſibi cognitis animæ in purgatorio exiſtentes, tanquam ex magna utilitate ſibi acquiſita, gaudium accipiunt & lætitiam. Conſequentiam iſtam fecit S. Joannes Chryſoſt. *hom.* 69. *ad Populum Antioch.* his verbis. *Hos* (defunctos) *lugeamus, poſt hos viribus clamemus, excogitemus eis aliquid ſolatii, minimum quidem clamemus tamen. Qualiter, & quomodo orantes & alios precantes, ut pro eis deprecentur, pro eis pauperibus largientes continue.* & infra. *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt* (ſuffragia pro mortuis) *ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio, ſciunt enim illis inde multum contingere lucrum, & utilitatem multam.* & *homil.* 41. *in* 1. *ad Corinth.* Opitulemur (ait) *defunctis fratribus, memoriam pro ipſis faciamus: Nam ſi Iob illius liberos patris victima purgavit, quid dubites à nobis quoque ſi pro dormientibus offeramus, ſolatii quiddam illis acceſſurum?*

Ratio hujus dilationis eſt, quia eo ipſo quo animæ exiſtentes in Purgatorio per ſuffragia *multum conſequuntur lucrum, utilitatem multam*, quantumvis in vivi comburio immerſæ: tali lucro & utilitate vivi comburium mitigatur, & paulatim ſuffragiis extinguitur, ſicut aqua extinguitur ignis: ergo ex natura rei ſolatium, refrigerium, & delectationem aliquam ex tali mitigatione percipiunt. Certe qui hoc negat, inſenſatus eſt, valdeque minuit (niſi mavis dicere, negare videtur) ſuffragiorum efficaciam quæ inſtituta eſt in levamen & mortuorum ſolatium.

PARS

PARS V.

Aliis argumentis eadem veritas firmatur, & ſtabilitur.

His accedit Aug. ratio *ubi ſupra*, qui ſic loquitur. *Non negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum fidelium relevari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt: ſed eis proſunt, qui cum viverent, hæc ſibi poſtea prodeſſe meruerunt. Eſt enim quidam vivendi modus nec tam bonus, ut requirat iſta poſt mortem, nec tam malus, ut ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt vera talis in bono, ut iſta non requirat, & eſt rurſus talis in malo, ut nec his valeat, cum hæc vita tranſierit, adjuvari. Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam relevari quiſpiam vel gravari &c.*

Ex quibus ſic formo rationem. Homo in hac vita omne meritum comparavit, quo poſſit poſt hanc vitam ſuffragiis vivorum ſublevari, non enim omnibus proſunt niſi propter differentiam vitæ, quam quiſque geſſit in corpore. Ergo dum anima juſti exiſtens in Purgatorio agnoſcit revelatione Angelica pro ipſa fieri ſuffragia à vivis, conſequitur præmium ſui meriti, ergo ſolatium & delectationem ſuſcipit. Quis negabit illationem, niſi, qui negat ſuffragium? quis negat conſolationem hanc, niſi qui iterum mortuos enecat? & juſtos amicos Dei inſolatos vult, & abſolutos in mœrore & amaritudine pœnarum totaliter ſine refrigerio, & ſolatio, quaſi inimicos in æternum damnatos?

3. Idem urgeo ratione D. Tho. *in* 4. *diſt.* 50. *q.* 2. *art.* 2 *q.* 2. *Deus dupliciter conſiderari poteſt, uno modo ſecundum ſe, & ſecundum illud quod eſt ſibi proprium, ſcilicet eſſe totius bonitatis principium, & ſic nullo modo poteſt cogitari ſine delectatione: & ſic nullo modo à damnatis cogitabitur. Alio modo ſecundum aliquid quod eſt ei accidentale in effectibus ſuis, utpote punire, & aliquid hujuſmodi: & hoc modo damnati Deum cogitabunt.* Ex quibus hoc argu-

argumentum depromo. Animæ in Purgatorio exiſtentes cogitant de Deo, quatenus eſt totius bonitatis principium, ergo hæc cogitatio non eſt ſine delectatione. ergo vivicomburium, quod patiuntur, non impedit ſolatium quod capiunt ex conſideratione Dei, ut eſt principium totius bonitatis. Quamvis enim eum conſiderent ut rectum judicem punientem, & exigentem debitam ſatisfactionem pro qua ſatis patiuntur in igne, tamen hæc ſatiſpaſſio & pœna ſenſus, ſicut non abſorbet Dei amorem, & ſpem vivam, ita nec delectationem jucundiſſimam, quæ ex illa oritur neceſſario: ponere autem quod Deus miraculoſe illam impediat, audacia temeraria eſt, cum id nullus aſſerat.

PARS VI.

Oſcitantia Leodegarii aperitur, & veritas à priori monſtratur.

4. Sit ratio, qua, & rem monſtro à priori, & oſcitantiam in legendo Reſolutionem meam in Leodegario manifeſte oſtendo. dicit enim quod ego ibi *n.* 582. in fine diſtinxi, *intellectum ſuperiorem & inferiorem, ſicut & appetitum pariter ſuperiorem, & inferiorem*, ſed, ut dixi, oſcitanter verba legit; quæ talia ſunt. *Licet univerſa capacitas* (ut ſic loquar) *inferior abſorpta ſit & præoccupata ſummis cruciatibus eorumque doloribus, & uſtione terribili: hæc tamen non præoccupat ſuperiorem partem, tam volitivam, quam intellectivam, alias nec Deum amarent, nec actu ſperarent beatitudinem.* Hæc verba mea eſſe agnoſco. Ex quibus, neſcio *quo judicio* dicat hic, quod ego diſtinguam intellectum ſuperiorem & inferiorem. Certe quidem ea quæ dicit, *fungi putidi* ſunt. Ego enim cum D. Tho. 1. *p. q.* 79. *art.* 9. S. Aug. *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 4. in eadem intellectiva potentia in ordine *ad diverſa officia* diſtinguo rationem *ſuperiorem*, & *inferiorem*, illa eſt, quæ æterna contemplatur, & ex æternis accipit regulas agendorum; *inferior* vero eſt, quæ intendit temporali-

bus,

bus, & circa illa conſpicienda verſatur, unde eadem potentia intellectiva & ratio *ſuperior* eſt & *inferior:* habent tamen *diverſa officia*, & illis competunt diverſi habitus, nam rationi ſuperiori competit *ſapientia*, inferiori *ſcientia*. rurſus cum voluntas potentia cæca ſit, quæ manu ducitur à ratione, poteſt conſiderari, ut dirigitur à ratione *ſuperiori*, & rurſus, ut *ab inferiori*.

Rurſus ex hoc diſcurro; in anima, quæ eſt in Purgatorio, tam in voluntate, quam in ejus intellectu, in ordine *ad diverſa officia*, ſicut & in ipſa animæ ſubſtantia, duplex capacitas diſtingui debet: una eſt pure obedientialis reſpectu divinæ omnipotentiæ, à qua habet, quod poſſit illam Deus affligere & tormentis addicere, colligando eam ad ignem corporeum, à quo dicitur lædi, dolorem, & uſtionem pati, ut eleganter explicat D. Tho. *in diſputatis q. unica de anima art.* 21. *tam in corp. quam in ſol. ad* 16. unde ait in corp. *verum eſt quod ignis ille* (Purgatorii vel inferni) *in quantum virtute divina detinet animam alligatam, agit in animam ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ, & in quantum anima apprehendit illum ignem ut ſibi nocivum, interiori triſtitia affligitur; quod enim alligetur alicui corpori, & determinetur ad aliquem locum per quandam neceſſitatem, eſt contra ejus naturam, & contrarium appetitui naturali, & hoc modo dicitur affligi ab igne corporeo, ab illo uri*, habereque pœnam ſenſus, intenſiſſimum dolorem, mœrorem, & maximam triſtitiam, & hæc capacitas obedientialis, eſt quid infimum in anima rationali, & æquivalet parti ſenſitivæ animæ exiſtentis in corpore. Alia eſt potentia & capacitas animæ rationalis exiſtentis in Purgatorio altiſſima, ſecundum quam capax eſt luminis ſupernaturalis, & ſpecierum per ſe infuſarum, & aliorum habituum ſupernaturalium, ſecundum quos perfectiones divinas agnoſcit, eas contemplatur altiſſime, tam ſecundum ſe, quam prout ſunt principia omnis bonitatis ſupernaturalis: unde Dei bonitatem ardentiſſime amat, Deo unitur per amorem multo ſtrictiori unione, & inſeparabiliore, quam quælibet anima unita corpori mortali,

quando unitive copulatur Deo in extasi & elevatione, potestque dicere: *vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Deus.* de qua stricta unione tractant Theologi mystici, & videri potest Thomas à Jesu *tract. de oratione infusa.* hæc enim altissima unio fit per species intelligibiles supernaturales, & per se infusas, ut ego late dixi. *tom.* 1. *Moral. tract.* 5. *Resol.* 58. §. 3.

PARS VII.

Ex unione extatica, quam habent animæ Purgatorii, eadem veritas propugnatur.

Hæc autem extatica unio cum Deo per amorem & contemplationem, perfectissime est in manibus sanctis existentibus in Purgatorio, ex qua resultat magnum gaudium, etsi non plenum, magna delectatio & lætitia in parte superiore intellectiva, quam nullatenus impedit quod igne torqueantur secundum potentiam illam obedientialem, ratione cujus alligantur igni. Si enim Deus de sua potentia absoluta hominem beatum perseverante Beatitudine animæ impediret ne redundaret in corpus (sicut de facto impedit in Christo) & illum gehennæ incendio, & tormentis damnatorum subjiceret, utique haberet dolorem sensibilem, tamen in parte intellectiva independente à sensibus, lætitiam, gaudium, & delectationem haberet, quia à Deo per peccatum separari non poterat. pari modo philosophandum est de anima sancta existente in Purgatorio, patitur quidem à divina justitia, quia alligatur igni corporeo ut pœnam luat ad perfectam solutionem debiti, de qua alligatione, quia retardatur consecutio summi boni, valde dolet; tamen cum Deum summe diligat, & ab eo speret illius consecutionem soluto debito per pœnam, quam patitur à Deo taxatam in bonum suum, illam acceptat summa conformitate tanquam medium destinatum ad consecutionem summi boni quod desiderat.

Unde S. Tho. *in addit. ad* 3. *p. q.* 100. *art.* 4. dicit. *quod anima-*

animabus in Purgatorio existentibus sit aliquomodo voluntaria pœna, quam patiuntur, quia quamvis per pœnam nullum bonũ illis accrescat, tamen sine pœna ad bonum pervenire non possunt, & tunc voluntas non assumit pœnam, & vellet ab ea liberari, sed eam supportat, & quantum ad hoc, voluntaria dicitur, & sic pœna purgatorii voluntaria est: omnis enim sapiens vult & voluntarie acceptat id, sine quo non potest pervenire ad finem intentatum: agnoscunt autem animæ in Purgatorio per fidem divinam non posse pervenire ad gloriam, nisi prius puniantur, ergo voluntarie acceptant, & summa, cum divina voluntate conformitate illam sustinent, non ita enim absorpta sunt pœnis, ut nesciant pœna purgari, putantes se esse damnatas, quia si nescirent se liberandas, suffragia non peterent, quod sapius faciunt.

Ex quibus clare deducitur, animas in Purgatorio existentes gurgiti amaritudinis, & doloris non ita addici, ut incapaces sint dulcedinis, delectationis, & gaudii formalis, imo amor extaticus, & unitivus, & transformativus, quem habent, dubio procul illos actus producit. Dolor enim quamvis intensissimus non excludit delectationem, & gaudium, quod ex alio principio altiori habetur; maxime cum dolor non turbet rationem, & judicium, quod oritur ex tali principio.

Verum est quod delectatio ista, & lætitia, cum sint in animabus Purgatorii ex amore intenso, & unione cum Deo per contemplationem ipsius, quatenus est principium totius bonitatis, ratione cujus amoris summam habent conformitatem cum divina voluntate, ex qua oritur, quod patiantur ab igne ad debiti solutionem & maculæ culpæ, & reatus pœnæ, quod ex hac delectatione & lætitia nullum resultet levamen à pœna & dolore, quem patiuntur, & ex alligatione ad ignem: sed manent in eadẽ intensione, quousque reatus pœnæ, aut venialis culpa remittatur, vel per satispassionem vel per vivorum suffragia, & satisfactiones illis applicatas, quamvis, dum experiuntur à pœnis relevari, vel revelatur, quod suffragia pro ipsis

fient, illæ ex conformitate, quam habent cum Deo, gaudium, & delectationem capiant, & hoc modo intelligo ego quod dicebat B. Catharina Genuenſis, ut ſupra retuli, *quod audiverit à Deo: Neminem præter ſanctorum in Paradiſo animas habere poſſe gaudia ſolidiora aut magis exceſſiva quam animæ Purgatorii habent*, quia videlicet animæ iſtæ ſanctæ ſuum *fundum & centrum* ita habent perfuſum divinitate, per unionem, ut in hac ſolum excedant illæ quæ Deum per claram viſionem poſſident, quæ habent gaudium *plenum*, quam plenitudinem non habent animæ Purgatorii, etſi habeant omnimodam certitudinem de illo, & quod nemo ab illis tollet: quam non habent puri viatores, niſi quibus revelatum eſt eſſe confirmatos in gratia.

PARS VIII.

Ad fundum *animæ exiſtentis in Purgatorio non accedit dolor, & amaritudo.*

Unde fit quod ad *fundum* animæ exiſtentis in Purgatorio non accedat læſio, dolor, & amaritudo, quæ illis contingit ex alligatione ad ignem corporeum, & ſic non excludit gaudium & delectationem, qua in *fundo* ſuo perfunditur. Hæc doctrina myſticis eſt nota. Quare animæ in Purgatorio ſecundum ſuam ſubſtantiam delectantur, & lætantur, & gaudent ſolidiſſimis, & exceſſivis gaudiis ſupra omnem animam nondum Beatam in Patria (excepto Chriſto, & B. Virgine) quia earum ſubſtantiæ unitæ ſunt Deo unione ſolidiſſima & ſtrictiſſima, & ſic uſtione illa, & dolore nullo modo inquietudinem ſpiritus patiuntur, aut aliquatenus turbantur à dilectione Dei, & ſtrictiſſima cum illo unione; imo ſatis pati deſiderant ſumma lætitia, & delectatione gaudentes, quod patiantur ex divino Conſilio & Decreto, cui ſumme conformes ſunt. Quia tamen non totaliter ſunt conſecutæ unionem cum Deo per ejus conſecutionem viſione beata, quæ eis eſt ex *divina prædeſtinatione* taxata, ideo eſt locus, ut pœnam

nam patiantur debitam, ut à peccatis ſolvantur: quod non poſſunt habere animæ jam beatæ, quia juxta divinam providentiam earum menſura eſt perfecte plena, & totaliter referta, unde nulli dolori aut triſtitiæ ſupereſt locus, ſicut animabus damnatorum non eſt locus vel minimæ lætitiæ, aut gaudio, quia eorum menſura *ex divina reprobatione* totaliter eſt adimpleta triſtitia, mœrore & ærumna.

Et ſic animæ in Purgatorio medium tenent inter animas cœlicolas, & gehennicolas; iſtæ nullam poſſunt habere conſolationem, aut à pœnis relevari, illæ nulla triſtitia aut dolore poſſunt gravari, quia earum menſuræ totaliter ſunt refertæ: aſt animæ Purgatorii, & pœnam temporalem habent, & gaudia ſolidiſſima, & exceſſiva, quia earum capacitas & menſura, etſi ſit gaudio repleta, ſed non totaliter, quia nondum totaliter purgata, & ſic ratione potentiæ obedientialis, ex vi præſentis providentiæ, pœnam & dolorem ſuſtinent.

Et ſicut ſupra dicebamus ex D. Tho. quamvis ratio ſuperior & inferior ſit eadem potentia intellectiva, tamen quia diſtinguntur *in ordine ad diverſa officia*, ratio ſuperior dirigit inferiorem, & illam ſibi ſubordinat, & rationi ſuperiori competit habitus ſapientiæ, qui non competit inferiori, cui ſolum competit ſcientia; ita in anima exiſtente in Purgatorio, vis cognoſcitiva, qua apprehendit alligationem ad ignem ut ſibi diſconvenientem, quæ eſt vis inferior, ſubordinatur vi cognoſcitivæ, qua cognoſcit Deum, ut fontem totius bonitatis. Ex vi hujus vis altiſſimæ cognoſcitivæ habet anima in purgatorio altiſſimas, & dulciſſimas, & profundiſſimas delectationes, & ſibi ſubordinat vim cognoſcitivam illam inferiorem, qua cognoſcit alligationem ad ignem, ut ſibi nocivam & diſconvenientem, & ex hac duplici notitia in anima Purgatorii reſultat in voluntate duplex actus illi correſpondens, qui dici poteſt duplex voluntas, ad eundem modum quo D. Tho. 3. *p.* *q.* 18. *art.* 3. ex Damaſceno *lib.* 2. *de fide cap.* 12. *& lib.* 3. *cap.* 14. *&* 18. dicit quod in Chriſto

ſit duplex voluntas, una θέλησις, quæ eſt circa finem, & altera βούλησις, quæ eſt circa ea quæ ſunt ad finem. Ex *theleſi* oritur in anima Purgatorii gaudium & lætitia, ex *buleſi* ſatiſpaſſio doloris, uſtionis, & amaritudinis. Hæc aliquantulum longius exaravi, ut appareat quam ſuperficialiter theologizaret Raynaudus circa hoc punctum (quod valde conducit ad fidelium ſolatium) qui ſine ullo auctore auſus eſt dicere, animas damnatorum in æternum, & animas Purgatorii ad tempus deſtinatas, dum in illo ſunt, æquales eſſe in incapacitate conſolationis formalis, cum inter utraſque, quantum ad hoc, ingens ſit diſcrimen, ut vidimus.

PARS IX.

Depilatur *Raynaudus* in Leodegario, *circa id, quod dicit de officio Sacerdotis in Paraſceve.*

Ultimo *depilo* Raynaudum in *ſuo Apologiſta*, quia dum ego objicerem quod ſacrificium (quale quale illud ſit) quod facit Sacerdos in *die Paraſceves*, in quo communicat ſeipſum *ex præſanctificatis* offert illud pro animabus Purgatorii; ut conſtat ex ritu Eccleſiæ, & tamen ibi ſolum fit communio ex Euchariſtica hoſtia die anteriori ſanctificata, & conſecrata, ergo communio nomine Eccleſiæ poteſt applicari defunctorum animabus in Purgatorio exiſtentibus. Reſp. ſic. *Similitudinaria illa ſacrificatio diei Paraſceves ſine judicio in hanc rem adducitur, quia quod ibi appellatur ſacrificium, non eſt communio, ſed ritus ſacer ſpecie externa aliquatenus conſimilis vero ſacrificio, cujus idcirco nomen retinet, ut apud Ethnicos in ſacris, deficientibus veris, ſimulata ad memoriam & ſolatium aliquod adhibebantur. Apud nos quoque ſacrum ſimilitudinarium, nec ſine aliquatenus externa ſpecie idem veri retinet appellationem, ut videre eſt in Miſſa nautica, & ut aliqui vocant*, ſicca, *cujus olim uſus erat in longis navigationibus.*

Certe, ut verum fatear, dum hujus ſcriptoris audaciam conſi-

conſidero, ſtupeo, videns quam intrepide dicat quod ad illud qualecunque ſacrificium *Paraſceves* non pertineat communio ex præſanctificatis, ſed ſolum ritus ſacer ſpecie externa aliquatenus ſimilis vero ſacrificio, cum ſacer ritus iſte ad communionem ex præſanctificatis ordinetur, cum Sacerdos id bis dicat, primo. *In ſpiritu humilitatis & in animo contrito ſuſcipiamur à te Domine, & ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.* Secundo. *Orate fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* & finita communione Sacerdotis, finitur miſſa illius diei: ergo dubitare nullus debet, quod ad ritum ſacrum illius diei communio ex præſanctificatis pertineat. Rurſus Eccleſiæ hanc communionem applicat pro animabus, tanquam ſacrificium quod Deo placet, ut conſtat ex orationibus ibi poſitis, & concludit Sacerdos dicens. *Quod ore ſumpſimus Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternũ.* Et ſic ex Eccleſiæ inſtitutione, nomine omnium membrorum ſuorum, illud qualequale ſacrificium offert, & ſic omnibus prodeſt, tam vivis, quam defunctis. Et hoc negare ſana doctrina non eſt. Si enim ritum ſacrum, qui in illo die fit, applicet Sacerdos nomine Eccleſiæ omnibus membris ejus, cum ad hunc ritum ſacræ Euchariſtiæ ex præſanctificatis communio pertineat, ut ex diſpoſitione Eccleſiæ conſtat, manifeſtum eſt hanc ſacram communionem poſſe illis applicari. Videat ergo Raynaudus, ſi meum argumentum concludat: *quare calvus cum eſſet, comatus apparuit in ſuo Leodegario, tinctis capillis*, quos *una cum galericia coma adſcititia depilavi*, abſtuli, conſumpſi, quod amplius in ſequentibus præſtabo.

§. IX.

Raynaudi doctrina de non applicanda communione mortuis, ex Patribus, & conciliis sacris præcluditur.

Apud Patres, Concilia, & Catholicos omnes hoc est firmum & certissimum dogma, quod animabus sanctis in Purgatorio existentibus, non solum jejunium, & eleemosyna, atque oratio prosint, sed etiam omnia alia opera pia facta in gratia à vivis viatoribus, quę quanto sunt perfectiora, tanto sunt magis meritoria & satisfactoria, & sic quod etsi ut meritoria illis non applicentur, applicari tamen possint, ut satisfactoria, & ut sic illis prosunt & suffragantur. Itaque omnia opera pia supernaturalia facta *ut oportet*, & ab amicis, satisfactoria sunt, & sic animabus sanctis in carcere illo detentis utilia sunt, si in gratiam illarum fiant: atqui sumptio eucharistiæ, & communio corporis Christi est excellentissimum opus exterius imperatum ab excellentissimis actibus internis, ergo illa facta in gratiam defunctorum *ex opere operantis*, ad illorum animas relevandas *multum lucrum*, *utilitatem multam* habebunt; & non erit dumtaxat *leve*, *aut fere nullum levamen*, ut ait esse Raynaudus, & sic nec monendi nec animandi fideles, ut pro defunctis communicent.

PARS I.

Ex Patrum sententia stabilitur major.

Major hujus Syllogismi assumpta indubitata est apud Patres. Damascenus *orat. de his qui in fide migrarunt*, sic fatur. *Serpens ille, cujus studium est bona Deoque accepta opera vitiare, jugulare, hostilesque dolos adstruere, qui & fraterna charitate percellitur, fide disrumpitur, compassione notatur, ut est prævaricator legum, nonnullis inspirat figmentum adulterinum, alienum, sacrisque constitutionibus adversum, nempe bona, gratãque Deo opera*

omnia

omnia defunctis nihil prodesse. Idque passim in Patribus invenietur, & nos §. *sequenti.* ex Petro Abbate Cluniacensi specialiter probabimus. Unde in Concilio Trident. *sess.* 25. *in Decreto de Purgatorio.* vers. *curent.* cum in principio Decreti animas fidelium in Purgatorio existentes, fidelium suffragiis juvari dixisset, explicat ibi quæ sint vivorũ suffragia, *missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosyna, aliaque pietatis opera quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt.* Quæ definitio conformis est doctrinæ dogmaticæ, quam tradit *sess.* 14. *can.* 13. ubi definitur, *nos satisfacere pro peccatis, quoad pœnam temporalem, jejuniis, orationibus, eleemosynis, & aliis pietatis operibus.* Unde facultates, Lovanienſis. *art.* 16. & 30. & *Parisiensis sub Francisco* 1. *art.* 17. hoc tanquam fidei dogma admittunt. Dicentes, *Firmiter credendum est, & nullatenus dubitandum Purgatorium esse, in quo animæ detentæ oratione, jejunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus juvantur, ut citius liberentur à pœnis.* Hinc est quod scholastici omnes. *in* 4. *dist.* 45. cum Magistro ubi D. Tho. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 3. dicunt, *Suffragium pro defunctis est opus expiativum pœnæ per modum cujusdam recompensationis, quæ in satisfactione attenditur, & hoc modo opus suffragii quod reputatur quasi ejus pro quo fit, ita absolvit eum à debito pœnæ ut non absolvat facientem à debito pœnæ propriæ,* ex qua doctrina colligit *art.* 3. *q.* 1. *Quod ista tria* (scilicet oratio, jejunium, & eleemosyna) *ponantur quasi præcipua mortuorum suffragia, quamvis quæcumque alia bona ex charitate fiunt pro defunctis, eis valere credenda sint,* quod ita certum existimo, ut ad dogma fidei pertineat.

PARS II.

Ratione à priori D. Tho. monstratur veritas.

Et quidem hujus veritatis rationem tradidit D. Tho. *art. illo* 1. *cit. q.* 2. quia charitas, quæ est vinculum uniens membra Ecclesiæ, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt, cha-

ritas enim vita corporis non finitur. 1. *ad Corinth.* 13. *Charitas nunquam excidit.* Similiter etiam mortui in memoriis hominum viventium vivunt, & ideo intentio viventium ad eos dirigi poteſt, & ſic ſuffragia vivorum dupliciter mortuis proſunt, ſicut & vivis, & propter charitatis unionem, & propter intentionem, ad eos directam, non tamen eis valere credenda ſunt, ut ſtatus eorum mutetur, vel de miſeria in felicitatem vel è converſo: ſed valent ad diminutionem pœnæ, vel aliquid hujuſmodi quod ſtatum mortui non tranſmutat. etenim ex intentione facientis, qui aliqua opera ſpecialiter adhoc facit, ut talibus proſint, iſta opera quodammodo efficiuntur eorum pro quibus fiunt, quaſi eis à faciente collata; unde poſſunt eis valere ad impletionem ſatisfactionis. Quare de majori propoſitione dubitare non licet.

PARS III.

Vis minoris clara eſt.

Minor autẽ adeo eſt manifeſta, ut vix ſit aliquod opus exterius exercitum à Chriſtianis & Chriſti alumnis excellentius, & ſi fiat ea diſpoſitione quæ exigitur, nullum ſit aut magis meritorium, aut magis ſatisfactorium, aut quo magis recompenſetur debitum. Unde, *ſi opere operantis* communio Euchariſtica dirigatur ad defunctos in charitate decedentes, iſti ex illa *magnum lucrum, utilitatem magnam* conſequentur, nec enim vis ſatisfactiva hujus excellentiſſimi operis penſanda eſt ex labore corporis, quo quis manducat & deglutit buccellam conſecratam, ut ſatis craſſe & inepte pondere miſſus fideli penſitat Raynaudus *in ſuo Leodegario* §. 1. dicens. *quis labor eſt in glutitione tantulæ hoſtiæ?* (firma pedem Raynaude ne dilabaris in præcipitium) labor enim in glutitione tantulæ hoſtiæ *pondere ſanctuarii* librandus, quo illum librant Patres, & Catholici omnes.

PARS

PARS IV.

Magnus labor ſatisfactorius in ſumptione hoſtiæ conſecratæ.

Manu, & pia affectione libram aſſume, ut videas quam pretioſus, & quantus ſit labor, & difficultas in *glutitione tantulæ hoſtiæ*, nec enim communio, & formulæ conſecratæ manducatio conſideranda eſt laborioſa labore corporali, ſic enim non eſt magis laborioſa ejus ſumptio quum conſecrata eſt, ac ſi non eſſet conſecrata. & quis Catholicus vim ſatisfactivam in communione ex hoc Raynaude? certe quidem hæc tua ponderatio fallax omnino eſt, & à libra Catholicorum declinans, & panem Euchariſticum, qui calore charitatis coquendus eſt, *frigidum in furnum immittis.* Itaque inpræſentiarum ſumitur manducatio Euchariſtiæ perfecta, qua ſumitur Chriſtus ſacramentaliter, ſpiritualiter, qua ita quis ſuſcipit ſacramentum, ut percipiat ejus effectum, qui eſt unio cum Chriſto, & ejus membris per fidem formatam charitate: quo ſenſu dixit Aug. *tract. 26. in Ioannem,* quod ad ſignificandum hanc unitatem, Chriſtus Dominus *corpus & ſanguinem ſuum iis rebus commendaverit, quæ ad unum aliquid rediguntur in unum.* Unde concludit exclamans: O *ſacramentum pietatis!* O *ſignum unitatis!* O *vinculum charitatis!* & hoc modo communionis Euchariſticæ laborioſitas in nullo alio actu externo fidelium major eſt, quod ex multis Sanctorum Patrum dictis manifeſte convincitur. 1. Quia, quo difficilius eſt opus, eo laborioſius perficitur ab humana libertate: atqui nullum eſt opus externum difficilius, ergo nullum laborioſius in ordine ad compenſationem pro pœna faciendam. Etenim difficultas operis, ejuſque laboriositas vincenda ex gratia Dei à dignitate & excellentia altiſſima & ſupernaturali, quam vires naturæ ſine adjumento gratiæ pertingere nequeunt, quam excellentiam & dignitatem

ſemper

ſemper horrendam & formidabilem concipit humana, nedum Angelica natura. talis eſt ex ſuo objecto ſumptio Euchariſtiæ, in qua Deus & homo ſubſtantialiter continetur & manducatur: ergo hæc ſumptio valde laborioſa eſt, & formidabilis, valde ſatisfactoria.

Hinc eſt quod Chryſoſt. *lib. de Sacerd.* ait. *hoc myſterium omnium maxime horrendum & verendum eſt*, & Aug. *lib. 7. confeſſ. cap.* 10. dicit *quod Euchariſtia ſit cibus grandium, & panis fortium.* S. Martialis *epiſt. ad Burdegalenſes cap.*3 & 4. quod *ſit eſca in fide perfecta tota cæleſtis.* & S. Ephrem Syrus. *lib. de natura Dei cap.*5. *hoc ſane* (ait) *excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem, ignem & ſpiritum manducandum & bibendum præſtitit nobis, corpus ſcilicet & ſanguinem ſuum*, unde per hanc ſumptionem corporis Domini fit, *quod in id quod ſumimus tranſeamus*, ut ait S. Leo. *ſerm.* 14. *de Paſſio.* Chriſtophori qui efficimur, ut dicit Cyrillus Hieroſolymit. *Catecheſ. Myſtag. cap.* 4. & *divinæ naturæ conſortes. Paniſque iſte manducatus ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens*, aiebat Cyprianus *Serm. de cæna Domini.* Unde teſte Chryſoſt. *in Pſal.* 22. ad illa verba *verſ.* 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus omnes qui tribulant nos. Qui ſunt iſti qui nos tribulant? Suggeſtiones inimici, exagitationes, cupiditates, voluptates, ſeculi honores, iſti tribulant, quia qui ita vivunt, tribulationes carnis habent, ſed veniunt ad menſam potentis, conſiderantes ea quæ apponuntur eis accipere cum timore & tremore, & tribulationes efficiuntur conſolationes, auferuntur ea quæ ſunt carnis, infunduntur ea quæ ſunt ſpiritus, & ex menſa præparata proficiunt contra eos qui tribulant nos.*

Quæ Patrum Sanctorum locutiones, quam difficilis & laborioſa ſit communio Euchariſtiæ declarant, cum ita opponatur carni & ſanguini, ita mortificet paſſiones, & tot admirabiles effectus cauſet in anima, quam elevat uſque ad unionem cum Chriſto, ut fortis ſit caro & ſpiritus adver-

adverſus tyranni & Dæmonis inſidias, & machinas, quam ſingularem unionem ſic eleganter explicuit Cardinalis Oſſius *cap.* 42. *Confeſſionis Catholicæ fidei Chriſtianæ: tanta eſt* (inquit) *hujus cibi vis, ut ſi quis eum digne manducaverit, non ſpirituali modo conjunctione, verum etiam naturali quadam, & arctiſſima Chriſto copuletur particeps effectus veræ vivificatricis, quæ verbi Dei propria facta eſt, carnis & pretioſi ſanguinis Chriſti, quæ ſumpta faciunt, ut & Chriſtus in nobis ſit, & nos in Chriſto, non animum tantum reformante, ſed carnem etiam noſtram ad vitam, incorruptionem, & immortalitatem præparante, ſicut & ab Hilario lib.* 8. *de Trinit. & Cyrillo Alexand. lib.* 10. *in Ioannem cap.* 13. *ante mille ducentos annos traditum legimus.* Hæc Eminentiſſ. vir doctrina & ſanctitate. De hac unione in Euchariſtia infra iterum ſermo. Quod egregie prædicarunt Cyprianus *epiſt.* 54. & Chryſoſt. *hom.* 81. *ad populum Antiochenum.*

PARS V.

Eadem laborioſitas Communionis ex alio Patrum principio oſtenditur.

Hujus communionis laborioſitas & difficultas, ex qua vim ſatisfactivam habet, colligitur ex alio principio à Patribus conſtituto, ſcilicet ex præparatione & diſpoſitione quam ad eam faciendam exigunt: nam exigunt timorem & tremorem, fidem charitate formatam. Baſilius *in Regulis brevio. cap.* 172. Chryſoſt. *hom.* 3. *in Epiſt. ad Epheſios.* exigunt puritatem etiam à multis levibus peccatis. Theophylact. 1. *ad Corinth. cap.* 11. *n.* 28. ubi Anſelmus: non ſufficit contritio, ſed requiritur ſacramentalis confeſſio, quando quis habet mortale. ſic determinat Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. magnam humilitatem, Aug. *in Pſal.* 32. *Concil.* 1. magnam reverentiam, ut Theod. confirmat exemplo illius Centur. dicentis: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.* quod in Communione Euchariſtiæ univerſa uſurpat Eccleſia, ut praxis

praxis docet, & ad rem notavit Cassian. *Collat.* 13. *cap.* 21. & *Collat.* 22. *cap.* 57. 8. & 9. desiderium ardensque devotio Chrysost. *hom.* 83. *in Lucam.* Damascenus *lib.* 4. *de fide cap.* 14. *Accedamus* (inquit) *desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes crucifixi corpus suscipiamus, apponentes oculos, & labia, & frontem divinum carbonem concipiamus, ut ignis in nobis desiderii ex eo carbone ignito comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini ignis igniamur & Deificemur. Carbonem vidit Isaias. Carbo autem simplex non est, sed unitus igni; sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati.*

Cum ergo Patres tot ac tantas dispositiones exigant, tot ac tam excellentium virtutum actus, qui communionem dignam antecedunt, satisfactorii sunt, possuntq; ex intentione *operantis* applicari animabus existentibus in Purgatorio, quæ ex illis non *tenue subsidium*, sed *magnum lucrum, utilitatem multam* consequentur. cur à Catholico est negandum quod sumptio Eucharistiæ digna, & ad quam præcedunt præfatæ dispositiones, & quas exigit digna communio à quibus imperatur, sanctis animabus possit applicari? & affirmare *quod sit subsidium fere vel prorsus inutile mortuis*, imo potius nullum opus magis prodest quam sacrificium Missæ, & prodest sacra digna communio illis applicata multo magis quam jejunium.

Horum omnium rationem solidissimam nobis tradit D. Tho. *in* 4. *dist.* 45. *q* 2. *art.* 3. *q.* 1. ubi sic fatur. *Suffragia vivorum prosunt defunctis, secundum quod uniuntur viventibus charitate, & secundum quod intentio vivorum refertur in mortuos, & ideo illa opera præcipue nata sunt mortuis suffragari, quæ maxime ad communionem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem sacramentum Eucharistiæ præcipue pertinet, cum sit sacramentum Ecclesiasticæ unionis, continens illum, in quo tota Ecclesia unitur, & consolidatur, scilicet Christum, unde Eucharistia est quædam charitatis origo sive vinculum, sed inter charitatis effectus præcipuum*

puum eſt eleemoſynarum opus. & ita iſta duo ex parte charitatis præcipue mortuis ſuffragantur, ſcilicet ſacrificium Eccleſiæ & eleemoſyna: ſed ex parte intentionis directæ in mortuos præcipue valet oratio, quia oratio ſecundum ſuam rationem non ſolum dicit reſpectum ad orantem, ſicut & cætera opera, ſed directius ad id pro quo oratur. & ideo iſta tria ponuntur quaſi præcipua mortuorum ſubſidia, quamvis quæcumque alia bona opera, ſi ex charitate fiant pro defunctis, eis valere credenda ſint. unde in ſolut. ad 2. dicit. *quod jejunium poſſit prodeſſe defunctis ratione charitatis & intentionis in defunctos directæ, ſed tamen jejunium in ſui ratione non continet aliquid, quod ad charitatem vel ad directionem intentionis pertineat, & hæc ſunt ei quaſi extrinſeca, & ideo Aug. non poſuit, ſed Greg. poſuit jejunium inter ſuffragia mortuorum.*

PARS VI.

Quia Euchariſtia etiam ut ſacramentum, eſt ſignum unitatis *membrorum Eccleſiæ cum Chriſto.*

Cum ergo Euchariſtia non ſolum prout eſt ſacrificium, ſed etiam prout eſt ſacramentum, *ſit ſignum unitatis Eccleſiæ membrorum inter ſeſe & cum Chriſto*, & utraque ratione ſit origo charitatis, & membrorum vinculum, conſequitur, quod tam Euchariſtia ſacramentum, quam Euchariſtia ſacrificium mortuis poſſit ſuffragari, quum ſub utraque ratione ſit *ſignum præfatæ unitatis*, quæ etiam extenditur ad defunctos, ſed cum diſcrimine, quod maxime ad rem pertinet, quia Euchariſtia ut ſacrificium prodeſt in quantum ſacrificium, tam offerenti, quam iis pro quibus offertur, attamen Euchariſtia ut ſacramentum non prodeſt primario niſi ſumenti & non aliis, ut articulariter decidit. D. Tho. 3. *p. q.* 79. *art.* 7. unde fit quod ſacrificium Miſſæ *ex opere operato* ita prôſit iis, pro quibus offertur, ſive Sacerdos, qui ſacrificat, ſit in gratia ſive ſit in peccato: *ex opere* enim *operato* ſacrificii tantum valet Miſſa boni ac mali Sacerdotis, aſt communio Euchariſtica, ut

proſit

profit aliis, ſive vivis, ſive defunctis, debet eſſe digna & ſancte facta in charitate, alias nec ſumenti prodeſt nec aliis poteſt applicari, ſed ſumens *judicium ſibi manducat, quia non dijudicat corpus Domini*; ſi tamen quis probando ſeipſum per contritionem, & ſacramentalem confeſſionem communicet, non ſolum Euchariſtia ut ſacrificium, ſed communio Euchariſtica facta à laico aliis applicari poteſt, ſive vivis, ſive defunctis.

Rationem dedit S. Tho. *quia eſt ſacramentum Eccleſiaſtica unionis, continens illum in quo tota Eccleſia unitur & conſolidatur*, ſcilicet Chriſtum, & ſic eſt charitatis origo, ſive vinculum. unde in primitiva Eccleſia agape dicebatur ſacrum convivium, in quo Chriſtiani de ſacrificio communicabant, & ſacram Euchariſtiam percipiebant, &, niſi fallor, dum Patres tanta attentione præcipiunt, ut in ſacrificio fiat mortuorum memoria & pro illis oretur, ſumitur ſacrificium non ſolum prout illud celebrat Sacerdos; ſed prout de illo participant fideles, qui ſuam communionem defunctis applicant: cum enim communio facta à laico, ſit communio corporis Chriſti in quo uniuntur & ſolidantur omnes fideles, tam vivi, quam defuncti (omnes enim *ſumus unum corpus in Chriſto* charitatis vinculo coagmentati, & ei uniti) conſequitur quod multo magis, quam eleemoſyna, quæ eſt præcipuus charitatis effectus, mortuis ſuffragetur, ſitque eleemoſyna ſpiritualis; qua multo efficacius redimentur animæ ſanctæ à pœna purgatorii, quam eleemoſyna materiali, proderitque illis multo magis, quam corporis maceratio per cilicia, caſtigationes, & jejunia. *hæc enim*, ut ait S. Thomas, *proſunt defunctis ratione charitatis, & intentionis in defunctos directæ, ſed in ſui ratione non continent aliquid quod ad charitatem, vel directionem intentionis pertineat, ſed hæc ſint ei quaſi extrinſeca*, id eſt, ordinantur ab extrinſeco imperio charitatis, & diriguntur ab extrinſeca intentione *operantis* ad defunctos. aſt Euchariſtica communio in ſui ratione continet aliquid ad charitatis unionem, & vinculum pertinens, ſcilicet Chriſtum, *in quo tota*

tota Eccleſia unitur & conſolidatur, & ſic in ſui ratione habet, quod aliis vivis aut defunctis poſſit applicari.

Verum eſt quod, ut communio Euchariſtica facta à laico, cum non ſit miniſter publicus ſicut Sacerdos, qui ſacrificat nomine Eccleſiæ, ſed ex devotione particulari, & ut particularis perſona communicet, ut, inquam, Euchariſtica communio aliis profit vivis, aut defunctis, ſit neceſſaria formalis aut virtualis applicatio, ſine qua communio ut ſatisfactoria ſolum proderit ſumenti Euchariſtiam: ſi vero applicetur defunctis, iſti *multum lucrum, utilitatem multam* conſequentur. Theologia hæc ſolidior & profundior eſt, quam ut poſſit comprehendi à *Leodegario, præſtantiſſimo Theologo, & totius ſapientiæ compendio.*

§. X.

Rationibus & argumentis firmiſſimis S. Petri venerabilis Abbatis Cluniacenſis, evertitur opinatio Raynaudi in ſuo Leodegario.

S. Petrus Mauritius venerabilis Abbas Cluniacenſis 9. cujus elogia & graviſſima ſcripta adferunt & referunt Tritemius *lib. 2. viror. illuſtr. Ordinis S. Benedicti cap.* 123. & *de Scriptoribus Eccleſiaſt. ſub proprio nomine.* Antonius Poſſevinus *in Apparatu ſacro, tom.* 3. *ſub proprio nomine*, fuit enim coætaneus S. Bernardo, qui ipſum laudibus extollit. *epiſt.* 272. & 282. *ad Papam Eugenium.* florebat *anno* 1142. quum Innocentius 2. direxit diploma ad Theobaldum, qui conſtitutus fuit Præſes cujuſdam Monaſterii à Sancto Petro Abbate, qui in tractatu illo celebri contra Petro-Bruſianos Hæreticos diligentiſſime elaborato multa dedit, quibus opinatio Raynaudi prorſus eliminatur.

PARS I.

Prima Hæresis Petro-Brusiana ex Abbate Cluniacensi.

Illi enim Hæretici, inter alias Hæreses duas præcipuas, quarum impugnationes ad præsentem faciunt non modicum, effutiebant. Prima erat, quod Missa nihil esset nec vere conficeretur sacrificium corporis & sanguinis à Sacerdotibus Novi Testamenti. *Corpus enim Christi* (ajebant) *semel tantum ab ipso Christo in cœna ante passionem factum est, & semel, hoc est tunc tantum, Discipulis datum est, exinde nec confectum ab aliquo neque alicui datum est.* Itaque non negabant panem posse fieri corpus Christi per veram transsubstantiationem, sed quod potestas etiam instrumentalis nulli puro homini fuerit data, sed Christus solum ea fuerit usus, qui solis Apostolis panem conversum in suum corpus dedit, & postea nulli alteri, etiam in futuris seculis. Ad hujus hæresis impugnationem, hoc proœmiolum facit S. Abbas (quod non incongrue aptatur doctrinæ Raynaudi, quæ etsi non sit ut hæretica damnata, tamen est proscripta ab Ecclesia Romana ut scandalosa, & temeraria, & liber in quo est conscripta, pariter in totum proscriptus, & *in Insulam oblivionis* relegatus, ut vidimus supra.) *Audieram novorum Apostolorum sententiam, & quia tam nova est, ut hos primos prædicatores habuerit, expectabam eam magnis auctoritatibus muniri, & validis rationibus roborari, sed ecce portentosus sermo, & humanas non tam penetrans, quam tenebrans aures, sic audacter & nudus omni ratione, destitutus omni veritate, se nobis non occulte, sed palam ingessit ut vel Delphicus Apollo Paganis, vel Moyses Iudæis, vel Christus Christianis responsa dare videantur. Sic Doctores isti, sic inquam, audacissimi venenosissimum dogma orbi Christiano propinant, & absque compage auctoritatum, absque nervis rationum, nugas suas vestris (ô auditores!) sensibus infuderunt, ac si eis fidem dare velut sacris oraculis* coge-

cogeremur. hactenus venerabilis Mauritius. Vide Leodegari an tibi conveniant, & tuo libello, verba proœmii hujus.

PARS II.

Secunda hæresis Petro-Brusianorum ex eodem Abbate.

Secunda hæresis quam docebant Petro-Brusiani secuti Arium (de quo supra) erat, quod nulla opera bona vivorum defunctis suffragentur. quam hæresim sic refert S. Abbas post impugnationem primæ jam relatæ. *Excrevit malitia perfidorum, & quasi ex adipe iniquitas eorum prodiit. Non solum viuorum saluti, sed etiam mortuorum spei invident, & non tantum vivos occidere, sed & ipsos mortuos, si possibile esset, rursus extinguere moliuntur. Instant mortalibus, ut cito moriantur, mortuis, ne ad vitam respirare audeant, aditum intercludunt, non parcunt miseranda hominum sorti, & post arumnosam vitam denuo sub divino judicio laborantium, velut nunquam morituri, misereri nesciunt, quia absque pietate Christiana pietatem benigne commendantem, ut surdi, audiunt. Quam quia aliis nec affectu retinent, nec effectu exhibent, non ut beati, sed ut miseri, nunquam eam consequentur. Liberales certe homines, ut de suo munificentissimi judicandi, quia nec de alieno dapsilitatem fieri æquis intueri oculis, vel tolerare aliquatenus valent; leges divinæ largitati præscribunt, &, ne mortuorum liber inter mortuos misereatur, cœlestis censuræ judices interdicunt.*

Hoc faciunt quando altaris sacrificia, oblationes, orationes, eleemosynas, vel reliqua bonorum bona vivorum, bonis mortuis prodesse non posse contendunt, & Ecclesiæ Christi tam celebrem, tam antiquum, ab ipso Christo, imo ante Christum ab ejus cultoribus observatum morem, universo orbe reclamante, abolere contendunt. Vnde quam non contemnendus, imo quanto studio refellendus hic error sit, etiam negligentes attendentes advertere possunt. Quis enim (ô Catholici lectores) non advertat satanam hoc excogitasse,

ut tot bona à tantis bonis assidue pro mortuis per orbem facta, hoc actu averteret, & juges eleemosynas, continua sacrificia, irrequietas orationes, & his similia, quæ & vivis comparant meritum, & defunctis requiem, consilio infernali auferret? sed spiritus consilii ejus dolos reteget, & vultum fallaciæ nubilo opertum denudabit, & Ecclesiæ suæ magis lucrosam quam damnosam ejus extitisse tentationem monstrabit. Nam quod magnus Apostolus ante multa secula ait: oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant, hoc non solum Patrum temporibus, sed etiam nostris diebus experimur; quia sicut semper extrinsecus persecutionibus dilatatur, sic intestinis falsorum fratrum tentationibus magis, ac magis purgatur. Dilatabitur ergo, non angustabitur; purgabitur, non inficietur auxilio divini Spiritus Ecclesia, cum illud quod ab adversa parte opponitur studiosius discutietur, subtilius investigabitur, perfectius invenietur, robustius defensabitur &c.

PARS III.

Hanc hæresin sapit Leodegarii opinio, à Theophilo ebibita.

Et quidem, quod doctrina Raynaudi *in suo Leodegario*, quod non sit pro mortuis communicandum, id est, illis non applicanda sacra communio, hanc hæresin Petro-Brusianorum sapiat, mihi persuadeo. Dixi, *sapiat hæresin*, non quod sit hæresis, quia Raynaudus non negat omnino suffragia prodesse defunctis; at negat multa bona opera, quæ pia sunt in gratia facta, esse proficua defunctis, si illis, ut satisfactoria sunt, applicentur: illisque esse *vel tenue, vel nullum subsidium & levamen.* Id negat tam *in suo primo libello* quam *in Apologetico Leodegarii* de Sacramentis omnibus, Ordine, Matrimonio, Confessione, Confirmatione, & sacra Communione; de quorum omnium receptione, etiamsi sit actio pia, sancta & honesta, negat posse, ut satisfactoria est, esse juvamen animabus Purgatorii, sed *fere* aut *prorsus nullum.* Unde in suo libello

libello *n.* 42. sic fatur. *præstare videtur perexiguum illud levamen, quod ex communione, secundum opus operantis spectata, obvenire defunctis potest, alio alioquo utiliore, & errori non parenti subsidio commutare, & simpliciter negare communionem laicorum prodesse mortuis, ut vidimus factum à S. Tho. negante communionem Eucharistiæ, ut sacramentum, prodesse defunctis: & contrarium laicorum usum aut sensum vocante errorem.* hujus doctrinæ venenum clarius & liquidius expressit *n.* 58.

Cum enim curaret satisfacere argumento, quo utimur: quia si Eucharistiæ sacramentum possit à laico fidelibus applicari, sic major erit & communicantium numerus, & hujus sacramenti frequentatio, quia fidelium pia devotio valde crescit ex intentione sublevandi suis bonis operibus animas purgatorii: sic respondet loco citato. *Vltima pro adversariis ratio sordet indignitate non ferenda. Quasi non haberemus plus satis motivorum & incentivorum ad frequentationem Eucharistiæ, adornatur pia fraus, & objecta esca falsi fructus invitantur fideles ad crebram sacræ mensæ aditionem. Non eget Christiana pietas his commentis, neque admittit hujusmodi tutoria synceritas & veritas. semper Catholica Ecclesia strophas, etiam pratextu promovendæ pietatis est detestata; & eos, qui vel confictis miraculis, vel excogitatis revelationibus piæ plebi imposuisse sunt deprehensi, male mulctatos rejecit: non aliud magis sibi cordi esse in Tridentina aliisq; synodis contestata, quam ut Deo, qui summa veritas est, ablegato omni falsæ pietatis fermento, in summa synceritate, puro ac velut azymo cultu serviatur.* Ex quibus constat, quantum doctrina Raynaudi sapiat Petro-Brusianorum hæresin. Unde vel solum propter hunc saporem juste à fidelium gustu sit abjecta ab Ecclesia: siquidem communionem applicare mortuis, dicit *esse indignam sordem non ferendam, piam fraudem, escam falsi fructus, Strophamprætextu promovendæ pietatis tectoriam falsitatis.* Quid amplius dicerent Petro-Brusiani? quid amplius Arius? quid Lutherus? de aliis bonis & piis operibus mortuis applicatis,

Pergit ſeminando venenum, extenuans vim ſatisfactoriam pro pœna in actibus orationis, & dilectionis Dei ſuper omnia, qualiter nullus hæreticus extenuavit, ut defunctis parum, aut nihil profit: dicit enim *in ſuo Leodegario §. 4. quod oratio non ſit adeo pœnalis, niſi diu continuetur & magna cum intentione animi, imo vero, per ſe loquendo, oratio plus infert gaudii quam laboris, juxta illud Iacobi. Triſtatur quis in vobis? oret. de amore perfectæ charitatis dicit tantum abeſſe, ut ſit adeo ærumnoſus* (*ut dicit Hurtado*) *ut potius ſit dulciſſimus, ut S. Bernardus ſæpe ſæpius affirmat, & concludit. Verum eſt charitatem ſæpe inſilire in ardua, & indicere actus, aut perpeſſiones per difficiles, ſed hoc non eſt charitatem eſſe formaliter pœnalem* (*id eſt ſatisfactoriam pro pœna*) *ſed ad ſummum cauſaliter.*

Bene video Raynaudum in ſuo libello agnoviſſe in communione, ſicut & in receptione aliorum ſacramentorum; fructum ſatisfactorium *ex opere operantis*, hunc enim ut Catholicus negare nequibat: aſt dicit, quod iſte in ſacra communione ita *exiguus ſit* & *fere nullus*, ut multo major ſit in confeſſione, & exhomologeſi peccatorum, in matrimonio contrahendo. Quare aſſerit magis ſuadendum eſſe fidelibus, ut matrimonium ineant, & confiteantur peccata ſua pro defunctis, applicando exhomologeſim, ut ſatisfactoria eſt, quia actus eſt liber, bonus, & valde pœnalis, quam ut ad ſacram *ſynaxim* accedant, communionem applicando animabus Purgatorii. *Longe* (inquit) *n.* 38. *ſatius eſt fideles invitare ad confeſſionem, & matrimonium, in eundem finem, ut taceam flagellationes, cilicia, jejunia, aliaque ſimilia, quibus, utpote valde pœnalibus, expeditius ſublevarentur animæ Purgatorii, ſi earum per actus ſatisfactorios juvandarum cupido inceſſat.*

Quibus verbis non excludit omnino ſaporem Petro-Bruſianum, dum ita extenuat ſatisfactionem *ex opere operantis* ſacræ communionis, *ut nullam*, aut *vix ullam* relinquat, quæ animabus poſſit applicari in ſubſidium, & ſic ſimpliciter negat laicis ſuadendum ut pro mortuis communi-

municent. & *n.* 41. agens de oratione, quatenus est impetratoria, dicit. *Proinde, quicquid vulgus existimet, oratio, prout præcise impetratoria, & nullam aliunde habens adjunctam vim satisfactivam, inutilis est defunctis.* & infra. *Si igitur Oratio, quæ formalissime & directissime est impetratoria, tam parum defunctis commodet, præcise ut est impetratoria, quam exile erit levamen, quod defunctis præstabitur interventu, manducationis, prout actus nostri, ad aliquid illis impetrandum, directi per actum voluntatis, quo quis eligit ex eo fine manducare? ea quippe electio non est proprie oratio, atque adeo vis impetrandi est ei veluti extranea, æque ac manducationi. Ac proinde utraque prout præcise impetratoria, non multum confert ad defunctorum sublevationem.* Hæc ille minus pie, & satis lubrice, timens *ferulam*, orationem, quam primo dixit, ut impetratoriam, *inutilem esse defunctis*, mox dicit, quod *parum* defunctis prosit, & quod sit illis *tenue subsidium munusque leve*, & parvi pretii, ut animæ Purgatorii à peccatis & pœnis redimantur, & solvantur; quare *lubricus* est, ut non capiatur, & dolo subterfugit. ἀνεπέδητος sine dubio, ne laqueo comprehendatur.

PARS IV.

Argumento primo, quo S. Abbas Cluniaci Petro-Brusianos, ego Leodegarium comprimo.

Igitur Raynaudum, *in suo Leodegario* comprimo primo argumento, quo Petro-Brusianos pressit S. Abbas Cluniacensis, quod ad hanc formam reduco. Christus Dominus in ultima cœna, qui erat transiturus de hoc mundo ad Patrem, hoc sacramentum instituit, dicens: *accipite & comedite. hoc est corpus meum. accipite & bibite, hic est sanguis meus.* Ubi Apostoli non confecerunt tunc sacrificium, quod Christus solus confecit, & Apostoli communicarunt dumtaxat corpus, & sanguinem Christi qui dixit: *hoc facite in meam commemorationem.* quæ verba ex communi & certa Patrum intelligentia, non solum ad

ſacrificium offerendum, ſed etiam Euchariſtiæ communionem referuntur, quod clariſſime docuit Apoſtulus 1. *ad Corinth.* 11. ubi *n.* 20. reprehendit Corinth. dicens. *convenientibus vobis in unum, jam non eſt dominicam cœnam manducare.* & infra *n.* 23. *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, hoc facite in meam Commemorationem. ſimiliter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens. Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.*

Ad quæ verba fere omnes Patres affirmant *mortem Domini annuntiari*, non ſolum per ſacrificium, & conſecrationem utriuſque ſpeciei, ſed etiam per communionem laicam ſive ſolius corporis in ſpecie panis, ſive ſolius ſanguinis ſub ſpeciebus vini, ſive ſub utraque ſpecie, corporis & ſanguinis, ut fuit in uſu in primitiva Eccleſia, quando fideles ad *ſynaxin*, quæ fiebat in ſacrificio, conveniebant. quod expreſſerunt Cyrillus Alexand. *epiſt. ult. ad Neſtor.* Eucherius *hom.* 5. *de Paſchate.* Rupertus *lib.* 3. *de operibus Spiritus Sancti cap.* 20. Damaſcenus *epiſt. de corp. Chriſti.* Nyſſenus *orat.* 1. *de reſurrect.* Aug. *lib.* 1. *q. q. Euang. q.* 7. quod adducit Raynaudus *n.* 3. quibus ego adjungo Chryſoſt. quem citat Bellarminus *de Miſſa lib.* 1. *cap.* 12. & S. Diony. *de Eccleſiaſt. Hierarch. cap.* 3. D. Tho. *ibi. lect.* 6. *mortem Domini annuntiabis repræſentando eam per hoc ſacramentum.* Quod ita eſſe, clare colligitur ex textu Apoſtoli, quod ſcilicet communicantes mortem Domini repræſentent: non enim dicit, quotieſcumque *conſecrabitis*, ſed quotieſcumque *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat:* ergo manducantes mortem Domini

repræ-

repræsentant, & faciunt in memoriam Christi dantis suum corpus discipulis, qui dum illud sumebant, mortem Christi mox futuram repræsentabant, & nos communicantes mortuum Christum, in passione sua repræsentamus, & illius memoriam facimus.

Quod expresserunt S. S. Patres. Martialis *epist. ad Burdegalen. cap.* 3. Justinus Martyr. *in Dialog. cum Tripho. figurate significans panem Eucharistiæ, quem in memoriam passionis suæ purgantis ab omni peccato Iesus Christus Dominus noster tradidit posteris.* Eusebius Cæsariensis *lib.* 8. *de Myster. Euang. c.* 1. Joannes Maxentius. *lib.* 2. *Dialog. contra Nestor. Panis ille, quem universa Ecclesia in memoriam passionis edit, corpus Christi est.* Aug. *lib.* 6. *confess. cap.* 2. *illud vivificum Dominici corporis supplementum suscipere non renuas, quin potius illud amicissime quaras, fideliter comedas, cibus ille, etenim incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit saluberrimum, redemptionis tuæ pretium, redemptoris monimentum, & redempti munimentum*, & concilium Colonienſ. 3. *p.* 7. *cap.* 25. & 26. *Quotidie immolatur in sacramento, non quod toties Christus occidatur, sed quod unicum illud sacrificium mysticis ritibus quotidie renovetur. Quotidianaque recordatione mortis Domini, qua liberati sumus, in edendo & potando carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, hoc ipsum repræsentatur, quod olim factum est, facitque oblatio ista sacramentalis moveri nos, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce, elicientes subinde ex illo fonte inexhausto aquam salutarem, immolamusque hostiam pro vivis & defunctis, dum pro illis Patrem per filii mortem deprecamur.* Cæsarius Arelatensis *Homil.* 7. *de Paschate.* Nicolaus Cabasilas *in Expositione liturgiæ cap.* 9.

Horum Patrum doctrinam mirifice enucleavit Æneas Sylvius, qui fuit summus Ecclesiæ Pontifex Pius 2. nomine *in Dialogo contra Taboritas hæreticos*, quorum caput extitit Caseas ille perpetuo ardens odio in Catholicos; postquam distinxit sacramentum à sacrificio, sic fatur. *In sacrificio* (ait) *utraque species exigitur, quia imago est*

illius ſacrificii, in quo Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum ſeipſum obtulit in ſacrificium pro nobis Deo Patri in Ara crucis: Ideo non ſolum repræſentari dicitur Chriſtus paſſus, ſed etiam quoque paſſio Chriſti in qua ſanguis fuit à corpore ſeparatus. In puro autem ſacramento, quod ad ſatisfactionem noſtram requirimus, ut inviſibilis gratia ſub viſibili ſpecie nobis tradatur, ſufficit repræſentatio Chriſti paſſi, quem panis ſpecies abunde refert, quia Dominus grano tritici ſe comparavit. Hæc ſummus Eccleſiæ Paſtor. Quare negari nequit, quod Euchariſtia, tam ut ſacrificium, quam ut ſacramentum Chriſti mortem repræſentet, quia id expreſſe dixit Apoſtolus, & Eccleſiæ Patres confirmant eandem veritatem enucleantes.

Unde B. Abbas Cluniacenſis Petrus, cujus argumentum proſequor, explicans teſtimonium adductum ex Apoſtolo: *quoties manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, ſic fatur. *Quare hoc? Quare non ſimiliter Apoſtole dixiſti incarnationem Domini, nativitatem Domini, circumciſionem Domini, baptiſmum Domini, vel quod majus videtur, reſurrectionem Domini, aſſumptionem Domini, quam dixiſti mortem Domini? Quare illa quæ glorioſa videntur dimiſiſti, & quod erat ignominioſius elegiſti? ut (inquit) oſtenderem in morte Domini ſingulariter conſtare ſalutem mundi, ut oſtenderem iſtud opus ejus præponderare omnibus operibus ejus, ut oſtenderem tormento illo requiem, ignominia illa gloriam, morte illa mortuis redditam vitam. ita plane, ita juxta Apoſtolum, quum manducatur panis Domini, id eſt corpus Domini, quum bibitur calix Domini, id eſt ſanguis Domini, annuntiatur, hoc eſt repræſentatur mors Domini quam paſſus eſt in cruce, non alia, ſed eadem quæ præſens eſt caro Domini; qui fuſus eſt, non alius, ſed idem qui ſumitur ſanguis Domini. Quod, quum fit, ad hoc utique fit, ut mens longe vehementius excitata corporis Domini ſuſceptione, quam poſſit excitari verbi Domini admonitione, in amorem ejus, quem non tantum audit, ſed etiam videt, & ſuſcipit, inardeſcat, & videns verbum carnem factum ut habitaret*

caret in nobis, habitans etiam corporaliter & in se, oblivisci jam nullatenus possit, quem fide credit, amore amplectitur, manu contrectat, ore suscipit. Hoc igitur sacramentum Ecclesiæ, quoniam sic assidua sui repræsentatione memoriam innovat, fidem auget, spem roborat, charitatem confirmat, non superfluum sed valde necessarium est. ea propter, ut dictum est, Dominus hoc in sui commemoratione fieri jussit, ea de causa mortem Domini isto sacramento denuntiari Apostolus docuit: ut Christi ac mortis ejus memoria avelli de cordibus humanis nulla mundi inquietudine, nulla temporum prolixitate valeret.

Ex his testimoniis Patrum sic formo argum. tum à priori tum ad hominem contra Raynaudum. Communio Eucharistiæ facta à laico, dum hodie manducat corpus Christi, & olim bibebat sanguinem ejus simul cum manducatione, duo habet. 1. Quod sit susceptio corporis Christi sub speciebus panis, & sic *vere est cibus*, & susceptio sanguinis sub speciebus vini, & sic *est vere potus*, sub qua ratione solum prosunt sumenti, & nulli alteri. 2. Est quod sit memoriale passionis Christi, aut Christi passi, ita, *ut quotiescumque manducamus panem hunc & calicem bibimus, mortem Domini annuntiemus*: atqui Christus passus est pro vivis & defunctis, qui sunt in Purgatorio; ergo, si communicans communionem suam applicet, quatenus est facta in commemorationem mortis Christi, aut Christi passi, magnum erit illis *subsidium, levamen* magnum, *multum lucrum, utilitatem multam* consequentur, suffragabiturque illis communio laica vivorum non secus ac eleemosyna & oratio, & multo efficacius quam flagellationes, cilicia, jejunia; multo etiam magis, quam exomologesis peccatorum, matrimonii celebratio, susceptioque aliorum sacramentorum. cujus rationem tradit D. Tho. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 2. & *in corp.* quia jejunium, cilicium, flagellatio, & aliæ corporibus inflictæ asperitates, *etsi possint defunctis ratione charitatis & intentionis in defunctos prodesse, tamen jejunium in sui ratione non continet aliquid quod ad charitatem*

tem vel ad directionem intentionis pertineat, & hæc ſunt ei quaſi extrinſeca. Cæterum ad charitatem, *ſacramentum Euchariſtiæ præcipue pertinet, cum ſit ſacramentum Eccleſiaſticæ unionis, continens illum in quo tota Eccleſia unitur & conſolidatur, ſcilicet Chriſtum.* Hæc autem continentia, ratione cujus eſt ſacramentum *Eccleſiaſticæ unionis*, non ſolum habet Euchariſtia prout eſt ſacrificium, ſed etiam prout eſt ſacramentum, & ſic ejus communio, ut eſt ſacramentum *unitatis*, & *charitatis* repræſentativum Chriſti paſſi, aut ipſius mortis & paſſionis, poteſt applicari defunctis, & illis valde erit utilis.

PARS V.

Argumento ad hominem ipſum premo.

Ad hominem argumentor contra Raynaudum, qui *in primo libello n.* 44. ait *quod in ſent: illorum qui aſſerunt ſacrificium altaris conſiſtere in conſumptione & receptione corporis & ſanguinis Domini, quod multi & graves Doctores ſentiunt, dicendum conſequenter foret, nullum eſſe utilius mortuis ſubſidium, quam ſit ea perceptio. Verum tunc in eandem perceptionem Euchariſtiæ concurrerent duo diligentiſſime ſecernenda: Nempe immolatio ſive ſacrificatio incruenta, & uſus ſacramenti Euchariſtiæ per ſacerdotem. Tametſi autem uſus ille, prout eſſet mere uſus ſacramenti, nihilo plus prodeſſet defunctis, quam cum laicus communicat, & utitur ſacramento; tamen in ratione immolationis prodeſſet defunctis ſupra quacumque alia Chriſtiana pro eis ſubſidia.* Ex quibus ego ſic infero. Ergo in communione laica duo pariter diſtinguere valemus, & quatenus eſt ſumptio ſacramenti, & quatenus quotieſcumque manducamus corpus Chriſti, *mortem ejus annuntiamus*; eſtque ſacramentum *unitatis* & *charitatis*, cujus eſt origo & vinculum, quod cum ſemper maneat, etiam reſpectu mortuorum, pro quibus Chriſtus mortuus eſt: ſacramentum Euchariſtiæ à laico ſumptum, ſi ſub hac ratione illis applicetur, magnum erit *ſubſidium*, &

leva-

levamen. Quæ ratio urgentissima est ad probandum quod hoc sacramentum, & non aliud possit prodesse defunctis etiam à laico applicatum *ex opere operato*, ut infra latius expendam, & enucleabo.

Urgetur 1. hoc argum. quia laicus, dum communicat, exercet actum Religionis perfectissimum, quo Deum & hominem veneratur, ipsum sumens sub aliena specie occultatum. Quare illi defert cultum latriæ, dum fide viva, & ardenti charitate ipsum manducat, &, ut digne manducet, hos actus exigit, ut ex patribus vidimus: non enim sunt concomitantes aut sequentes, sed antecedenter requisiti ad dignam Communionem. Ut ait Apostolus, ubi supra. *n.* 28. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Unde Trident. *sess.* 13. *can.* 11. *si quis dixerit, solam fidem esse præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, anathema sit.* Quæ autem alia ad dignam sumptionem Eucharistiæ requirantur, explicat. *cap.* 7. & 8. ubi hoc sacramentum etiam à laicis sumptum, dicit, *unitatis signum, vinculum charitatis & concordiæ symbolum.* Quare non sacrilega communio (ut fatue arguit Raynaudus) sed digna, & ad quam actus præparatorii virtutum necessario præcedunt, est quæ defunctis prodest, & est illis magnum levamen.

PARS IV.

Sumptioni Eucharistiæ inest magna energia ad impetrandum.

Urgetur 2. quia Eucharistiæ sumptio habet vim impetratoriam non parvam respectu vivorum, ergo respectu mortuorum etiam *non erit inutilis*, sed valde utilis, consequentia videtur certa, quia vis impetratoria æque respicit vivos & defunctos, ut de oratione infra manifeste ostendam, ita ut contrarium sine temeritate dici nequeat. Antecedens ex praxi fidelium & totius Ecclesiæ constat,

conſtat, juxta quam, ab aliquibus perſonis petitur, ut communionem applicent ad impetrandum aliquod beneficium animæ aut corporis, quam praxim auferre ad impetrandum pro vivis impium eſt, & multo magis ad impetrandum pro mortuis. Etenim quis Catholicus dubitare poteſt, ſi quis communicans *corpus Domini* ſub ſacris contentum ſpeciebus, illud offerat Patri ad impetrandum aliquod beneficium propter ipſum, qui paſſus pro nobis ibi repræſentatur, valde efficax fore medium ad conſequendum, quod petitur, ſive pro vivis, ſive pro defunctis, quibus volumus impetrare indulgentiam, & remiſſionem pœnarum, ſive hæc remiſſio fiat immediate, ſive mediante applicatione meritorũ Chriſti, & ſanctorũ, quæ aſſervata ſunt *in theſauro Eccleſiæ?* quocumque modo fiat, nihil intereſt ad propoſitum; ut ridicule hæret Raynaudus. ſat eſt, quod communio ſit impetratoria indulgentiæ & remiſſionis pœnarum, multo efficacior, quam quodlibet opus virtutis, cum nullum contineat majus motivum ad impetrandum, quam ſacramentum Euchariſtiæ à laico ſumptum.

PARS VII.

Ex oblata idem oſtenditur.

Notat ad propoſitũ Hugo Ætherianus *infra* adducendus, quod drachmæ illæ quas obtulit Judas fuerint numiſmata, in quibus erat inſculpta Regia imago; quod notant alii. quia ad offerendum *miſit* (ait S. Abbas Cluniacenſis Petrus Mauritius) *duodecim millia drachmas argenti pro peccatis mortuorum Iudæorum; & non offert noſter Iudas, id eſt pietatem tenens & confitens Chriſtianus ſuper aurum & argentum pretioſum Chriſti corpus & ſanguinem, pro peccatis Chriſtianorum mortuorum*, non ſolum dum offertur ſacrificium à Sacerdote, ſed etiam dum offertur corpus Chriſti ſub ſpecie panis occultatum à laico, non ſecus ac oblatio, quam fecit B. Virgo Chriſti Domini in templo, quæ, ratione rei oblatæ, valde fuit impetratoria.

ria. quam oblationem etsi faciat laicus non communicans sacramentaliter; ast dum sacramentaliter communicat, multo ardentius & efficacius fit; & hinc est, quod praxis teneat Ecclesiæ sollicitandi fideles ad communicandum pro defunctis, quia dum communicant, habent hostiam continentem realiter Christum Deum & hominem, valde efficacem ad impetrandum requiem defunctis sanctis, quorum animæ sunt in Purgatorio. Unde concludit S. Abbas Cluniaci *Caveat ergo, quisquis est, ne nimium sibi justus contra hanc pietatis ac misericordiæ doctrinam, non sine Spiritus Sancti authoritate, tantis ante nostra tempora seculis ab universa Ecclesia unanimiter susceptam, & pia consuetudine roboratam ulterius cogitare, aut disputare audeat, ne & aliorum erga defunctos fratres misericordiam sua nimis stricta justitia impediat, & cum ipse forte indiguerit, à misericordia, quam aliis interdixit, alienus existat.* *Audi* Raynaude & time, adverte quam inepte adduxeris dictum Innocentii 3. *cap. de homine de celebrat. Missarum. Falsa sunt abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora.* Quo & *libellum* etiam terminas. quare vane *te lassas* turgidus opinatione tua temeraria, & *rore evanido pasceris.* Unde præfationi isti tuæ, qua venenum doctrinæ occultas, *antidotum* ex Patribus & praxi Ecclesiæ confectum præbeo.

PARS VIII.

Ex illo ad Corinthios 1. *cap.* 15. alioquin quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis? *efficaciter idem ostendit S. Petrus Cluniacensis.*

Quare te urgeo argumento 2. ejusdem S. Abbatis. quod sic proponit. *Sed transeat à Propheta sermo ad Apostolum, ut quod de his sentiat summus post Christum Ecclesiæ Mag. more suo non tantum discipulis, sed etiam discolis istis aperiat. Tractans enim in epist. ad Corinth.* 1. *cap.* 15. *de mortuorum resurrectione, & eam multipliciter astruens: Alioquin ait, quid faciunt qui baptizantur pro mortuis?*

mortuis? si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis? Baptizabantur enim tunc temporis quidam bona, sed non sana voluntate pro mortuis non baptizatis, astimantes baptismum, quem, dum viverent non perceperant, si pro ipsis vivi baptizarentur, mortuis posse prodesse. Quod Apostolus sic de eodem opere loquens temperat, ut baptismum talem non approbet, & baptizatorum voluntatem collaudet. Non approbat sane alterius baptismum alteri viventi vel mortuo, quantum ad baptismum spectat, posse prodesse; sed plane intentionem eorum baptizatorum approbat & confirmat, qui hujusmodi opere, hoc est tali baptismate vivorum mortuos posse juvari videbantur sentire. Abjicit ergo Apostolus, quod abjiciendum esse, suscipit, quod suscipiendum esse cognoscit, ut non quidem bastismatis opere, quod unicum est, sed alio bono opere, quod multiplex est, mortuos à viventibus juvari admoneat: & post multa, ad idem concludit. *Hic plane, hic sensus, hic intellectus Apostolicus: cui, qui concordat, Catholicus, qui ab hoc discordat, hæreticus esse probatur.*

Hoc arg. quod de Bapt. pro mortuis facto instituit S. Abbas, ego de communione pro mortuis contra Raynaudum intorqueo sic. Quamvis communio, ut receptio est sacramenti, mortuis non prosit *ex opere operato* sacramenti, sicut nec baptismus defuncto (utrumque supra diximus certum, ita ut oppositum sit erroneum in fide) tamen sicut voluntas baptizandi se pro mortuo in iis, qui invincibiliter ignorantes id licere, se pro mortuis baptizabant, & bona erat, & mortuis utilis & proficua (quia alias si non esset proficua, non judicarent *veram esse mortuorum resurrectionem*, ut arguit Apostolus) ita voluntas suscipiendi Eucharistiam pro mortuis multo magis erit proficua, & illis suffragabitur, si illis applicetur à vivis, in quantum suscipitur in memoriam & *commemorationem mortis* Christi, aut Christi *passi* pro vivis & defunctis redimendis à peccatis, & pœnis temporalibus in hac vita, & in Purgatorio, quibus erit *magnum levamen, & suffragium.*

PARS

PARS. IX.

Ex Hugone Ætheriano firmatur ſent. fidelium.

Argumentis præfatis adjungi poſſent plura alia, quibus probatur omnia bona opera vivorum facta in charitate poſſe juvare animas in Purgatorio exiſtentes, & quanto excellentiora ſunt, tanto illis eſſe utiliora, quia magis ſatisfactoria pro pœna temporali. Quod ſatis abunde probavi in illa *Reſol.* 11. & ea quæ Raynaudus *in ſuo Leodegario* reſpondet, prorſus ſunt inutilia, exotica & vana, ut quilibet legens advertet; ſolum enim de novo contra me inveniet *navim onuſtam convitiis.* Sed *Indicus elephantus non curat culicem.* Quare ea omnia omitto, & ad graviora recurro. Interim videat quis, obſecro, Hugonem Ætherianum. *lib. de animarum regreſſu ab inferis* (qui habetur *tom.* 12. *Bibliot. Patrum Agrippinæ p.* 2.) & quantus fuerit hic Hugo, qui juxta Chronologiam Bellarmini de viris illuſtribus, vivebat *anno* 1176. de quo ſic Cardinalis. *Hugo Ætherianus natione Thuſcus, vir doctus Græce & Latine, Conſtantinopoli degens ſcripſit valde erudite librum de proceſſione Spiritus Sancti adverſus errores Græcorum, quem librum ad Alexandr.* 3. *Pontificem miſit anno* 1177. *teſte Card. Baronio tom.* 12. *Annal. ubi & epiſtolam ejuſdem Alex. ponit, qua gratias agit Hugoni. ſcripſit etiam de regreſſu animarum ab inferis. Vtrumque opus extat tom.* 9. *Bibliothecæ veterũ Patrum editione* 2 *Pariſienſi.* de eodem Antonius Poſſevinus *tom.* 2. *Apparatus in proprio nomine. Hugo Ætherianus ſive Æretrianus Græce & Latine doctus ac Catholicus &c. à cap.* 15. qui, quamvis directe agat contra negantes ſuffragia mortuis, quorum in Purgatorio animæ exiſtunt, prodeſſe tamen indirecte, Raynaudum & *ſuum Leodegarium* retundit. ex pluribus accipe pauca. Agens de drachmis quas obtulit pro defunctis Judas Machabæus *lib.* 2. *cap.* 12. *Drachma denarius* (ait) *erat argenteus inſignitus imagine regia. hujuſce denarii oblatione, qui ad imaginem ſummi Regis conditi*

erant, Machabæus capitali decreto ſuppoſitos redimere ſtatuit. ſi pro mortuis orandum non eſſet, nunquam vir Domini tale quid cenſuiſſet fieri. & infra. *effundite preces coram clemente ac miſericorde Domino, exauditurus eſt certe clamorem veſtrum pro me atque aliis, qui ad pœnas nondum migravimus ſempiternas. Quando apud vos in mundo oravimus, ut veſtris juvaremur obſequiis, utcumque promeruimus: Non enim exurimur in hac flamma, in qua dives cruciatur. Nondum Chaos magnum nobis objicitur, nondum regreſſus obſtruitur; præſtate auxilia, & offerte pro nobis hoſtiam redemptionis: Nam talibus ſuffragiis pœna noſtra mitigantur, & verum lumen faciei divinæ, quod erat nobis abſconditum, pauliſper illuceſcit.* & concludit poſt multa. *Quare ô amici mei feſtum eſt. Quid ſacratiſſimi corporis oblatio, quid oratio, quid eleemoſyna nobis conferant, proculdubio per veritatis plumbum convertunt in arg. ſynceritatis.* hæc ibi.

Ex quibus relatis verbis colligitur. 1. Quod, ſicut drachma inſignita regia figura & numiſma argenteum oblatum defunctis profuit, multo magis, ſi laicus numiſma hoc altaris ſacramentum, quod ſuſcipit, quod vere & realiter continet verbum (quod eſt ſimilitudo Dei) caro factum, ſi animabus juſtis Purgatorii applicaverit, erit illis non parvum levamen. Communio enim à laico facta, cum ſit participatio ſacrificii, *ſacrificium* dicitur, quia, prout oblata aliis à ſumente prodeſt, in quantum eſt, *memoria Chriſti paſſi* & ſacrificati; unde hæc oblatio communionis laicæ multo altior eſt eleemoſyna auri & argenti. unde Eccleſia *in poſtcommunione Dominicæ primæ quadrageſimæ* precatur, ut ſacramenta, quæ ſumpſerunt, tam Sacerdos, quam Populus; *ſit vivorum atque mortuorum fidelium remiſſio omnium delictorum.* dicere autem, quod ibi *ſacramenta* ſint idem quod *ſacrificia*, improbabile eſt, niſi ſacrificium large ſumatur, pro participatione ſacrificii, quam habebant fideles dum poſt Sacerdotem communicabant. Colligitur 2. quod oratio, ut impetratoria, *non inutilis*, ſed ſalubris ſit fidelibus defunctis. Deus enim

enim exaudiens orationem pro defunctis, *ipsam respicit ut impetratoriam, non ut satisfactoriam, quia ut sic potius accipit in recompensationem pro pœna, & servat modum justitiæ; at dum exaudit, modum misericordiæ:* &, dum nobis præcipit pro defunctis orare, non tam attendit in oratione vim satisfactivam, quam impetrativam.

PARS X.

Ex Gennadio Scholario Patriarcha Constantinopolitano.

Non minus severe castigat Leodegarium *in Raynaudo* vir ille suo ævo inter Græcos scriptores Doctissimus Gennadius Scholarius, Patriarcha Constantinopolitanus. *in celebri illa expositione pro Concilio Florent cap. 3. ubi sect.* 6. sic fatur. *Quis poterit ordinem harum rerum (quæ mortuis justis prosunt) recensere? Quæ in sanctorũ vitis continentur, divinas dico revelationes.* Quæ liquido comprobant *mortuis admodum prodesse oblatas pro iis preces, sacrificia, eleemosynas, &c.* Quod dico propter Raynaudum, qui eas, de communione pro mortuis facienda, non æstimat (contra quem infra latius.) subdit Gennadius, & recitans Chrysostomi verba dicentis: *Tibi opitulentur bonis operibus adhibitis, eleemosynis dico, & oblationibus, ut iis tibi redemptionem conciliẽs, nam ea recipit Deus, & utilia sunt. Intellexisti* (ait Gennadius) *aurea verba quid sonent? si ergo recipienda, quæ pro mortuis offeruntur, ergo & utilia, quia nemo dicere audebit inutile esse, quod Deo acceptum est.* Quo argumento valde urgeri Raynaudum *in Leodegario* quis non videt? Quis enim dicere audebit, non esse Deo acceptum, quod quis laicus offerat sacramentum Eucharistiæ, quatenus continet Christum passum; & illius *memoriæ* est, pro defunctis? cum enim sit opus eximiæ charitatis, eximiæ quoque virtutis erit, & valde utile. Concludo igitur cum eodem Gennadio *sect.* 8. *fuit in animo alia etiam testimonia & dicta sanctorum huic argumento adjungere, sed qui iisdem fidem non adhibuerit,*

neque aliis adhibebit, etiamsi multo plura quis addiderit. Idcirco satis esse, quæ supra exposita sunt arbitramur, ad discretos, & discendi homines cupidos, convertentes sermonem, qui & suam expetunt salutem, utrumqae, quoad possibile est, intelligunt breviter, & amplectuntur libenter: non litigandi & contendendi studio quidquid occurrerit adducentes, sicuti ii faciunt qui veritatem incessanter, impudenter ob mentis hebetudinem abjiciunt. Ita Gennadius, cujus satis docta, & Catholica, atque erudita opuscula sunt. *tom.* 14. *Bibliot. Patrum Agrippinæ.* Quantæ autem fuerit Author iste authoritatis, constat ex his quæ dicit Antonius Possevinus. *in proprio nomine* ubi sic. *Gennadium scholarium porro cum Latinis de processione Spiritus Sancti, uti de aliis Catholicis dogmatibus, planissime consensisse dubitandum non est. omnia ejus opera Gregorio* 13. *mandante excusa sunt Romæ, una cum Græca Synodo Florentina.* Constat etiam ejus authoritas & sana doctrina ex prologo qui ponitur à collectore *Bibliothecæ Agrippinæ, ante opera Gennadii tom.* 14. *cit.*

PARS XI.

Ex Luca Tuitiensi Episcopo.

HUc accedit elegans testimonium Lucæ Tuitiensis Episcopi, qui ante annos quadringentos scripsit contra Albigenses, qui negabant piis vivorum operibus juvari animas defunctorum in Purgatorio existentes *lib.* 1. *cap.* 17. *Probatur* (ait) *eleemosynam dare, si calicem aquæ frigidæ quis tribuat propter Deum. quod si tanta est penuria, ut ad calicem aquæ frigidæ dandum non sufficiat, intingat saltem extremum digiti sui in aqua, ut refrigeret linguam proximi in flammæ ignis Purgatorii patientis. Quid est extremum digiti, ad refrigerationem linguæ in aqua intingere, nisi aliquod pietatis opus, quantumcunque minimum, pro oblatione alicujus mortui operari? sicut autem per manus opera, & per digitos operum discretionem intelligimus; ita per extremum digiti minima operatio poterit designari, quæ refri-*

refrigeratur lingua proximi patientis. Hactenus Antiſtes Tuitienſis : cujus quanta fuerit eximia authoritas, & ſcientia, ſatis præconizant Andreas Scotus, & Joannes de Mariana, ille *in epiſt ad Iacobum Gretſerum*, & iſte *in præfatione ad opera Tuitienſia.* & revera Lucas ſuis verbis & ſenſum Eccleſiæ, ejuſque praxin declaravit, & quid P. P. ex traditione Eccleſiæ tradiderint : non enim eſt major ratio unius, quam alterius operis pii. quare negare vel aliquod mortuis fidelibus eſſe applicandum, *Arii hæreſin* ſapit. Videat ergo Raynaudus quomodo dicat abſolute, *dicendum quod non ſit mortuis applicanda communio.*

§. XI.

Ex ritu antiquo Eccleſiæ Catholicæ communicandi fideles in Miſſa poſt Sacerdotem, eadem veritas comprobatur.

Hunc ritum, quo Sacerdos fideles adſtantes ſacrificio participes faceret illius, eis communicando corpus, & ſanguinem Chriſti, ipſe Chriſtus inſtituit, qui panem, & calicem diſcipulis porrexit, & concludit dicens. *hoc facite in meam commemorationem.* quare per aliquot ſecula à temporibus Apoſtolorum ritus iſte conſervatus eſt in Eccleſia Catholica. & quidem, quod Chriſtus Apoſtolis in cœna communicare ſuum corpus, quod illis ipſe miniſtrabat, præcepiſſet, docuit Stephanus Eduenſis *de ſacramento altaris cap.* 16. Qui ritus obſervatus eſt in omnibus *Liturgiis*, in quibus cæremoniæ diſponuntur, quomodo populus communicandus ſit, & adſtantes participes fieri de ſacrificio, & oblatione Sacerdotis : de oblatione corporis ab ipſo Sacerdote, de calice à Diacono. Ita *in Miſſa* S. Jacobi fratris Domini, in *Miſſa* S. Marci, in *Miſſa* Æthiopica, & in omnibus *Liturgiis* Græcorum. & Concilium Toletanum 3. *cap.* 8. ſtatuit in hoc ritum & formam, quam volunt Patres, obſervari ab omnibus Hiſpaniæ & Galatiæ Eccleſiis, Clemens 2. *conſtit. cap.* 57. ſta-

tuit quod mulier *velato capite* corpus Domini ſuſcipiat, ibi: *fiat ſacrificium cuncto populo ſtante, & oblatione facta, quiſque ordo ſeorſum corpus Domini & ſanguinem ſumat accedentes ordine cum pudore, & reverentia, utpote ad corpus Regis, item mulieres operto capite, ut ordinem earum decet, accedant.* Unde mulier quæ ad ſynaxin cum aliis accedebat capite non velato, extra Eccleſiam ejecta communione excludebatur. Sic faciebat Baſilius, ut refert Amphilochius. *in ejus vita*, & B. Maximus *lib. de Eccleſiaſt. myſtagogia cap.* 25. ex B. Dionyſio affirmat, *fideles dum Miſſas audiunt ad ſacram ſynaxin accedere: quod docuerunt S. Dionyſius lib.* 3. *de Eccleſ. Hierarch. cap.* 3. *p.* 2. Cyprianus *lib.* 4. *epiſt.* 6. Ambroſius *lib.* 6. *de ſacramen. cap.* 4. Juſtinus *Apolog.* 2. *pro Chriſtianis.* Gregorius *lib.* 2. *Dialogorum cap.* 23. Anacletus Papa *epiſt.* 1. *id ſtatuit ex canon.* 8. *&* 9 *Apoſtolorum.* Hinc eſt quod bene dixerit Petrus Bleſenſis *ſerm.* 16. *in Hebdom. pœnoſa. In prima Eccleſia quotquot intererant conſecrationi Euchariſtiæ, communicabant eidem, inde eſt quod collectæ, quas poſt communionem dicimus, plurali numero recitentur v. g. refecti cibo potuque ſpirituali. & iterum, ſacramenta quæ ſumpſimus.* Unde Durandus *de ritibus Eccleſiæ lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 7. dicit initio naſcentis Eccleſiæ, dum fervebat pietas Chriſtianorum, nedum clericos, ſed & laicos adſtantes ſacrificio quotidie communicaſſe: unde in omnibus *Liturgiis* tam Græcorum, quam Miſſis Latinorum, dicitur; *& quotquot ex hac altaris participatione ſumpſerimus.* & iterum. *fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis accipientibus nobis in vitam æternam.* Rurſus. *Satiaſti Domine familiam tuam.* inde Micrologus *cap.* 17. *de Eccleſiaſt. obſervat.* ait. *Poſtquam omnes communicaverint, dicit Sacerdos ſub ſilentio juxta Romanum ordinem: Quod ore ſumpſimus Domine.* Hinc eſt, quod, antequam fieret communio corporis, & ſanguinis *Domini*, Diaconus voce alta clamaret. *Sancta Sanctis*; ut dicunt Chryſoſt. *hom.* 61. *ad Populum Antioch. & hom.* 17. *ad Hebr.* Cyrillus Hieroſol. *Catech.* 5. Cabaſilas *in expoſit. Liturg. cap.* 36.

PARS

PARS I.

Quia Communio Laica *est sacrificii participatio, & sic applicabilis defunctis fidelibus.*

Hujus sancti ritus originem, progressum & limitationem, atque intelligentiam, & finem egregie ex Patribus collegit & digessit S. Tho. 3. *p. q.* 80. *art.* 10. *ad* 5. ubi *de origine & limitatione ad* 5. *dicendum, quod secundum diversum statum Ecclesiæ, diversa circa hæc statuta emanaverint. Nam in primitiva Ecclesia, quum magna vigeret devotio fidei Christianæ, statutum fuit, ut quotidie fideles communicarent. Vnde Anacletus Papa dicit. Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere luminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia. Postmodum vero, diminuto fidei fervore, Fabianus Papa indulsit ut si non frequentius saltem ter in anno omnes communicarent, scilicet in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini. Soter etiam Papa in cœna Domini dicit esse communicandum, ut habetur in decretis de consecrat. dist.* 2. *Postmodum, propter iniquitatis abundantiam, refrigescente charitate multorum, statuit Innocentius* 3. *ut saltem semel in anno, scilicet in Paschate fideles communicarent. Consulitur tamen in libro de Ecclesiast. dogmatibus, omnibus diebus Dominicis esse communicandum.* Hæc S. D. & hunc ritum communicandi populum ad Missam ita sacrum judicat Concilium Trident. *sess.* 22. *cap.* 6. postquam in anterioribus capitibus egit de canone Missæ, & aliis ritibus & cæremoniis, quibus sacrificium celebratur; sic fatur. *Optaret quidem S. Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret. Nec tamen, si id non semper fiat, non propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat atque etiam commendat; siquidem illæ*

Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim quod à publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur. Quare nullus Catholicus dubitare potest ritum esse sacrum à Christo incæptum, & ab Apostolis statutum, & continuatum per multos annos, ut fideles Missæ sacrificio adstantes *sacramentaliter*, etiam & *spiritualiter* communicarent; quem ritum denotant fere omnes collectæ, quæ *postcommuniones* dicuntur, etiam hodie in Missali Romano.

Quem ritum Missæ sic enucleat S. D. *q.* 83. *art.* 4. *in corp.* in quo ea quæ continentur in Missa extricat, & enucleat. *Deinde* (ait) *agitur de perceptione sacramenti, & primo præparatur populus ad percipiendum; primo quidem per orationem communem totius populi (quæ est oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari) & etiam privatam, quam specialiter Sacerdos pro populo offert cum dicit: Libera nos quæsumus Domine. Præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo: Agnus Dei: est enim hoc sacramentum unitatis & pacis. In Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur, non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio sacramenti, primo percipiente Sacerdote, & postmodum aliis dante; quia ut Dionys. dicit cap. 3. Eccles. Hierar. ille qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse. Vltimo autem tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii, quod significat cantus post communionem, & Sacerdote per Orationem gratias offerente, sicut Christus, celebrata cœna cum Discipulis, hymnum dixit. Matth. 26.*

Ex dictis tale formo argum. ni fallor, efficacissimum contra Raynaudum. quod fideles communicent, & sacramentaliter participes fiant sacrificii, est ritus sacer à Christo originatus & ab Apostolis & ejus successoribus continuatus; quare quicumque communicat de sacrificio, ritum exequitur, quem *optaret Ecclesia* quod omnes exequerentur. ad quem rite exercendum excitat Sacer-

dos

dos in Missa per orationes (ad hunc enim ritum videtur Aug. attendisse. *lib.* 4. *de civit. cap.* 14. *Neque potest id rite offerri, nisi per Sacerdotem justum & sanctum, nec, nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur.*) tam communes, quam privatas; quo facto gratias agit oratione, quæ est *post communionem:* ergo tota Missa, tam prout dicit sacrificium, quam prout dicit ritus sacros, & orationes, de facto prodest iis pro quibus offertur. Unde S. Tho. *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 5. dicit, *quod officium Missæ non solum dicat sacrificium, sed etiam orationes: & utrumque dicit suffragium Missæ.* Quod si habeat orationes institutas ab Ecclesia pro defunctis, magis prodest illis, quam si dicatur Missa *de B. V.* aut alia festivitate, quamvis ex parte sacrificii æqualiter prosit defuncto, quæcumque Missa dicatur; atqui Ecclesia instituit ritum communicandi fideles de sacrificio, cui assistunt, & quorum nomine est oblatum à Sacerdote: ergo si hujusmodi ritus communionis defunctis applicetur, dubio procul illis non erit *leve subsidium* (sicut nec sunt aliæ collectæ, quæ pro eis dicuntur) imo multo magis illis proderit ritualis communio, utpote in qua sit Christus Dominus, ratione cujus est sacramentum *unitatis & pacis*, & sic ex illa communione eis applicata defuncti *multum lucrum, multumque utilitatis* consequentur. & quidem qua ratione, sine ingenti temeritate dici potest, quod aliis ritibus, cæremoniis, orationibus, & collectis refrigerium consequantur animæ Purgatorii, & non ex Eucharistiæ communione sibi applicata? communio enim Eucharistiæ pertinet ad sacrificium, quod extenditur ex se ad omnes adstantes carnem Christi communicantes.

PARS II.

Dum Patres priorum seculorum dicunt quod fiant sacrificia pro defunctis, sub sacrificii nomine communionem Laicam *comprehendunt.*

Unde Sancti Patres primorum seculorum dicunt, quod, dum fierent sacrificia & oblationes pro defunctis, quorum in *Liturgiis* ante communionem fiebat commemoratio (de qua valde solliciti erant Catholici sacrificia & oblationes expostulantes ad levamen animarum existentium in Purgatorio) sacrificium expoſcerent, non solum in quantum Sacerdos illius erat particeps, sed etiam secundum quod fideles illius sunt participes; exigebant enim non nudum sacrificium, sed *Liturgiam*, *Missas*, & *Oblationes*, secundum quod ab Ecclesia erant cæremoniis & ritibus sacris disposita, inter quæ præcipuum erat, quod de sacrificio participarent fideles. Unde participatio hæc laicis facta, ex Ecclesiæ traditione defunctis applicari potest, sicut & applicatur tota Missa, & sacrificium. Hac ratione S. Clemens. *lib. 6. constit. cap.* 30. *pro fratribus nostris, qui in Domino mortui sunt, & Eucharistiam Deo acceptam, id est sacramentum Regalis corporis Christi offerte in Ecclesiis & cœmenteriis vestris.* Ubi clare loquitur de Eucharistia, ut sacramentum est. Chrysost. *hom.* 41. *in priorem ad Corinth. non frustra inter sacra mysteria memoriam mortuorum celebramus, aut accepimus pro istis agnum illum jacentem, & peccata mundi tollentem, deprecantes, ut his consolatio hinc aliqua fiat. Nec temere qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat pro omnibus in Christo dormientibus.* Aug. *lib.* 20. *de civit. cap.* 9. *neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est Regnum Christi, alioquin nec ad altare fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi.* Quæ verba formalia habentur in Primasco Episcopo Justinopolitano, qui vixit non multis annis post Aug *anno scilicet* 441. Damascenus *orat. quod qui in fide*

hinc

hinc migrarunt 2. *Beati Apoſtoli Diſcipuli Salvatoris, qui totum mundi circulum unum cepere prædicando verbum, quod ſuis oculis viderant in tremendis, impollutis, vitalibuſque ſacramentis, memoriam eorum qui fideliter dormierunt, habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter, atque adeo ſine contradictione obſervat Apoſtolica Eccleſia Chriſti, & Dei, à finibus uſque ad fines terræ, ab eoque tempore uſque in præſens, & in finem mundi hucuſque.* Eadem phraſi utuntur Chryſoſtomus paſſim. Ambroſius *in Oratione de obitu Valentiniani. Date manibus ſacra myſteria, pio requiem eis poſcamus affectu, date ſacramenta cœleſtia. Animam piam noſtris oblationibus proſequamur.* Epiphanius *lib. 3. contra hæreſes cap* 75. *In his qui vita functi ſunt, ex nomine memoriam faciunt Orationes ad Deum proficientes, ac cultus divinos, ac myſteriorum* (vel ut alii) *ſacramentorum diſpenſationes*, & ſancta Mater Eccleſia Romana ſacrificium quod obtulit tam pro vivis, quam pro defunctis poſt communionem fidelium, *ſacramentum* appellat; ut videre eſt in collectis Miſſalis Romani, quæ dicuntur *poſt communio*: Et idem fit in omnibus *Liturgiis* Græcorum, denotans quod Miſſa utrumque contineat, & ſacrificium, & Sacramentum, & utrumque, ſicut ipſa Miſſa, defunctis applicetur.

Hæc autem applicatio communionis pro defunctis & pro vivis, dupliciter fieri poteſt, vel à Sacerdote nomine totius Eccleſiæ, vel à communicante laico nomine & devotione propria & particulari. priori modo utitur Eccleſia in *poſt commun. tertiæ orationis in quadrageſima*; ubi Sacerdos ſacramentum, quod tam ipſe, quam fideles adſtantes ſumpſere, applicat vivis & defunctis, dicens: *ut hoc tuum ſacramentum ſit vivorum atq; mortuorum fidelium remiſſio omnium delictorum.* Secundo fit paſſim in multis Miſſis totius miſſalis *pro eligendo ſummo Pontifice, pro ejus conſecratione*, & in Miſſa *ad tollendum ſchiſma dicitur. Hæc tua, Domine, ſumpta ſacra communio, ſicut fidelium in te unionem præſignat, ſic &c.*

Alio modo hæc applicatio fit ab ipſo communicante ex

ſpeciali

ſpeciali devotione, qua vult ordinare communionem in levamen defunctorum, in quantum eſt opus heroicum, & ſatisfactorium, habens ſibi adjunctum corpus Domini, quod realiter attingit, manducat, & dentibus terit. & ſic poſſe applicari, nullus præter Raynaudum, negabit, ſicut ipſe abſolute negat, *non eſſe pro mortuis communicandum*; exinanit enim & ad nihilum refert hujus excellentiſſimi operis (quod Angeli & ſpiritus cœleſtes admirantur) vires, tam ſatisfactorias, quam impetratorias: & quia huic operi adjungitur charitas, quæ ab illo originatur, & illud præcipit, ſicut & oratio, qua intuitu illius requiem & pacem poſtulamus à Deo animabus ſanctis; etiam horum actuum vim ſatisfactoriam, & impetratoriam deprimit ad profundum *abyſſi*, ut nec iſtæ poſſint eſſe *utile levamen*: quod in ſequentibus probabo eſſe omnino falſum. Hanc autem applicationem fieri poſſe in magnum animarum Purgatorii levamen, expreſſe tenent Anglus *in* 4. *diſt.* 45. *difficult.* 3. Dimas Serpi *tract. de Purgatorio cap.* 40. Bloſius *in Monili ſpirituali cap.* 6. cujus verba infra referam. S. Gertrudis *lib.* 5. *cap.* 20. *&* 22. Auctor Pius *Sylvæ ſuffragiorum lib.* 6. *cap.* 6. P. Henriquez *lib.* 9. *de Miſſa cap.* 22. *n.* 2.

Hujus veritatis eſt irrefragabile arg. quod non prævidit Raynaudus, & poſuit Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. ubi dicitur: *Optaret S. Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus ſanctiſſimi ſacrificii fructus uberior perveniret.* Hæc ibi. quæ ſunt ipſiſſima doctrina D. Tho. 3. *p. q.* 79. *art.* 7. ubi ſic loquitur S. D. *In quantum in hoc ſacramento repræſentatur paſſio Chriſti, qua Chriſtus obtulit ſe hoſtiam Deo, ut dicitur Epheſ.* 5. *habet rationem ſacrificii, in quantum vero in hoc ſacramento traditur inviſibilis gratia ſub viſibili ſpecie, habet rationem ſacramenti: ſic ergo hoc ſacramentum ſumentibus prodeſt, & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificii, quia pro omnibus ſumentibus offertur, dicitur enim in canone Miſſæ: Quot ex hac altaris participatione*

ne

ne ſacroſanctum filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. ſed aliis qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificii, in quantum pro ſalute eorum offertur; ut dicitur in canone: & utrumque modum proficiendi Dominus expreſſit dicens Matth. 26. & Lucæ 22. qui pro vobis, ſcilicet ſumentibus, & pro multis, ſcilicet aliis, effundetur, in remiſſionem peccatorum. Hæc ibi. Atqui ſacrificium Miſſæ non ſolum eſt propitiatorium, ſed ſatisfactorium pro fidelium vivorum peccatis, & pœnis, ſatisfactionibus, & pro defunctis in Chriſto nondum plene purgatis; ergo dum quis laicus percipit Euchariſtiam, percipit uberes effectus hujus ſacrificii, ut ſatisfactorii: ergo hunc fructum ſatisfactionis, qui uberrimus eſt, poteſt applicare animabus Purgatorii, non ſecus ac Sacerdos fructum illum ſatisfactorium, qui ſibi obtingit ex participatione ſacrificii, poteſt, cui libuerit, applicare.

Ex quibus liquet, quod ſacra communio facta à populo, & poſſit applicari defunctis, & vivis pro aliqua neceſſitate, ab ipſo ſacerdote nomine Eccleſiæ, dum totam Miſſam ſecundum omnem ritum quem continet, offert, & poſſit applicari ab ipſo communicante & percipiente ex duplici titulo; & quia ipſa realis perceptio valde ſatisfactoria eſt, & quia per illam fit particeps ſacrificii, cujus fructus uberiores recipit, quam ſi ſolũ *ſpiritualiter* communicaret. Inter quos fructus non eſt minor ſatisfactio pro pœna peccati, quam pro animabus offert, dum in ſacrificio pro eis facit commemorationem ſicut Sacerdos; ſed cum diſcrimine: quia iſte, ut miniſter publicus ex poteſtate ſibi tradita à Chriſto in ſui ordinatione, & ſic ex officio facit; at laicus ex devotione, & charitate.

§. 12.

§. XII.

Ex Revelationibus Perſonis ſanctitate eximiis factis, eadem veritas ſtabilitur.

Mirum eſt, quanta audacia, & auſu temerario, Leodegarius *in Raynaudo*, & Raynaudus *in Leodegario* parvipendat & contemnat revelationes factas perſonis in ſanctitate, ſolemni canonizatione vindicata ab Eccleſia, factis. Sed hic Doctorellus *animo Bœotico hydram ſecat*, dum unum incommodum vult vitare, plura & graviora exurgunt, quæ devorare & deglutire ingens temeritas eſt. Quamvis levitatis ſit, revelationes factas piis animabus ſine rigido examine credere & approbare, cum in iſtis multoties ſe ingerat dæmon, aut ſi non dæmon, *proprius ſpiritus* inſtructus documentis Patrum ſpiritualium, aut pietate vulgi circa aliquod obſequium B. V. aut alicui ſancto exhibendum; quam pietatem anima pia conſiderans, illam acceptat interiori devotione, quæ cum bona ſit, & à Deo inſpirata, judicat *ſpiritu proprio* ſibi eſſe revelatum à Deo, cum re ipſa non ſit: maxime, ſi Eccleſiæ Paſtor & Rector univerſalis nondum declaraverit veritatem, ſed utramque partem, tam negativam, quam affirmativam in ſua probabilitate ſpeculativa reliquerit: tunc enim non videtur congruum aut conveniens dicere, quod Deus alicui particulari perſonæ indubitata revelatione manifeſtet unam partem eſſe veram, & alteram eſſe falſam. cum enim utramque eſſe probabilem uſque ad definitionem Eccleſia teneat, revelatio facta de veritate unius partis manifeſte ſuſpecta eſt, quod non ſit divina, ſed à *proprio ſpiritu* inſtructo à Patribus ſpiritualibus dimanans; & ſic concordantur Revelationes factæ de rebus contrariis, quia non ſunt revelationes divinæ, ſed *ſentimenta* (ut groſſo modo loquuntur myſtici) ex propria devotione oriunda, quare illæ revelationes dictæ tantum valent, quantum opiniones quibus nituntur.

Et de his revelationibus loquuntur Sibyllanus. *Peregri-*

narum

narum q. q. Decade 1. *cap.* 8. *q.* 6. Franciſcus Picus *lib.* 9. *de prænotione cap.* 2. Canus *lib.* 11. *de locis cap.* 6. Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tract.* 23. *q* 2. *ad* 2. in hoc etiam ſenſu dixit Gregorius *hom.* 1. *in Ezechielem : quod aliquando Prophetæ ſancti dum conſuluntur, ex magno uſu prophetandi quædam ex ſuo ſpiritu proferant, etſi hæc ex prophetiæ ſpiritu dicere videantur, ut contigit Nathani Prophetæ.* 2. Re*gum.* 7. Quæ veriſſima doctrina, ea, quæ hucuſque diximus mirifice confirmat, & eam cum D. Tho. 22. *q.* 171. *art.* 5. (ubi S. D. tractat locum hunc Gregorii) magno & prudenti ingenio enucleat D. Caiet. §. *in eodem art.*

PARS I.

Revelationes factæ perſonis, quarum ſanctitas eſt vindicata, efficaces ſunt ad probandam veritatem.

Cæterum abſolute excludere, ut non probent efficaciter aliquam veritatem, omnes revelationes factæ ſanctis animabus fœminarum, quarum ſanctitas eſt canonizata & vindicata ab Eccleſia, abſurdum eſt, temerarium & impium, & contra Eccleſiæ praxin, qua admittuntur multæ hujuſmodi revelationes, ut liquet in revelationibus S. Brigittæ, quas propugnat doctiſſime Cardinalis Turecremata *in defenſorio particulari*, quod per modum prologi eſt *in libro harum revelationũ* quas enucleat *eruditis adnotationibus* Conſalvus Durandus. In Revelationibus S. Gertrudis, quas cum multis & gravibus Magiſtris, quorum nomina dedi *in Reſol. præfata* 11. *n.* 604. defendit M. F. Leander de Granada, & Mendoza *in traductione in linguam vulgarem earumdem revelationum.* In Revelationibus S. Ildegardis, cujus ſpiritum fuiſſe divinum, viſis & perlectis ab ipſomet in publico Card. Conſiſtorio, poſt rigidum, prudens tamen examen, ex ſpeciali commiſſione Pontificia facto approbavit Eugenius ſummus Pontifex tertius. Vbi ſanctæ recordationis Bernardus Abbas Claræ-vallenſis, cæteris annuentibus, monuit ſummum Pontificem ne *tam inſignem lucer-*

lucernam silentio legi pateretur, sed gratiam tantam, quam tempore ipsius Dominus manifestare vellet, sua authoritate confirmaret. ut retuli *tom.* 1. *mor. tract.* 5. *Resol.* 54. §. 13. *n.* 942.

Quare optime & erudite probat Mag. Gravina in *Lapide Lydio*, à principio nascentis Ecclesiæ decurrens, per omnia secula hominibus sanctis utriusque sexus factas esse quamplurimas revelationes, quibus omnem fidem abrogare, protervia est, & impietas. Sic fecit Chemnitius hæreticus, qui omnes revelationes particulares, ut insulsa quædam deridebat, quem imitantur quidam hujus seculi, prudentiam & judicium affectantes, contra quos legendus est Martinus del Rio *in libro cujus titulus est. Vindiciæ Areopagiticæ cap.* 32. & videndi Tyreus *de Spirit. apparit. cap.* 11. Nyssenus *in vita S. Gregorii Thaumat.* Greg. Magnus *lib.* 4. *Dialog. cap.* 14. Gregor. Turon *lib. de gloria Mart.* Aug. *lib. de cura pro mortuis agenda.* & nihil est tam absurdum in lectura Patrum. Quare refert Trithemius, quod cum B. Bernardus glorioſæ Ildegardis visa & revelationes extolleret, audiretque multorum hominum adlatrantium contradictiõnes, ad quendam Monachum sic sit locutus: *Non miramur, frater charissime, si dormientes in peccatis divinas revelationes existiment somnia, scientes verum esse quod Apostolus dicit: Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Hæc ex me ipso citata *Resol.* 54. *an.* 796: ubi in sequentibus plura de hoc invenies non injucunda. vide etiam ad hoc propositum, quanti sint faciendæ revelationes factæ Personis piis, & sanctis vindicatis, Magistrum Leandrum de Granada. *in lib. cujus titulus est, Luz de las Maravillas, discurs.* 1. §. 8.

PARS

PARS II.

Non sic facta revelationes, dum personæ, quibus revelatum est, vivunt, aut post mortem earum sanctitas non est vindicata.

Verum est, quod dum personæ, quibus hæ revelationes fiunt, vivunt, dum eorum spiritus non est examinatus & approbatus à censoribus fidei, ut fuit approbatus spiritus S. Ildegardis & aliarum; revelationes magis suspectæ sint, neque ex eis sumitur efficax arg. ad aliquam veritatem probandam, & hoc intendit D. Caiet. ubi supra *in comm. ad art. 5. §. in eodem versic. & per hæc patet.* ubi ait: *de bonis Prophetis videtur regulariter verum, quod corrigantur citius, quum ex proprio errant spiritu, nec experientia apparet in oppositum; nisi fortasse vocando Prophetas bonos, personas quæ reputantur spirituales patientes extasin, quæ æquivocè Prophetæ dicuntur, distant enim à Prophetis plusquam cœlum & terra; quoniam hæc naturalia sunt & sapissime infirmæ naturæ: Prophetia autem supernaturalis est.* Istæ enim personæ dum vivunt, & earum spiritus non sunt approbati, etiam si patiantur extasin proprio dictamine, & spiritu instructo à magistro suis doctrinis possint loqui, & de facto multoties loquantur.

Unde eo ipso, quo de re, de qua putatur esse revelatio; sint diversæ diversis personis factæ revelationes: una corrigit aliam, vel melius, mutuo se corrigunt, & manifeste ostendunt non esse divinas, sed *ex proprio spiritu* dimanantes, juxta opinionem suam; quia *qualis unusquisque est in sua affectione, tale ejus visum videtur.* Quare de his parum curandum, quia re ipsa non sunt revelationes divinæ, sed visa & spectra voluntaria. Ast quando persona, cui facta est revelatio, inter divos cœlestes est annumerata ab Ecclesia, ejus sanctitas vindicata publica Pontificia definitione, & res, de qua fit revelatio, pia est, nec opposita veræ Theologiæ, nec legi Ecclesiasticæ, aut bonis moribus, revelatio de ea re facta magnam habet pondus au-

thoritatis, & contrarium dicere omnino temerarium judico. Ut enim supra ex Gennadio Patriarcha adduxi, *Quis poterit ordinem harum rerum* (quæ mortuis juſtis prosunt) *recenſere? quæ in ſanctorum vitis continentur, divinas dico revelationes, quæ liquido comprobant prodeſſe oblatas pro iis preces, ſacrificia, eleemoſynas &c.*

Quare revelationes factæ perſonis in ſanctitate vindicatis venerandæ ſunt, quibus probantur prodeſſe aliqua pia opera defunctis, illiſque ſuffragari, qui in Purgatorio exiſtunt (ut enim ait Petrus Damian. *ſermone pro defunctis. ſuffragia defunctorum pia opera ſunt, & animabus conſolatoria & ſatisfactoria*) cum duo dogmata fidei confirment, & Purgatorium, & mortuorum ſuffragia, & hujuſmodi revelationibus magna fides ſit adhibenda, cum ſint de veritate, quam infallibilem eſſe conſtat ex Catholica Eccleſiæ traditione, & fide divina. Unde ea quæ Raynaudus adfert, *putida* ſunt, & prorſus futilia, ut infringat revelationum, quas infra adducam, veritatem inconcuſſam. non enim hæ revelationes vel leviter inſinuant, quod communio Euchariſtiæ per modum ſacramenti, & ut explicitè eſt *receptio* corporis Chriſti, profit *ex opere operato* ſacramenti animabus Purgatorii; ut enim ſupra dixi, hoc dicere non minus *erroneum* eſt, quam dicere, quod baptizetur quis pro defuncto. quare de hoc non poteſt eſſe revelatio divina. & quis Catholicus hoc dixit? finxit hoc Raynaudus, ut apparenter fugeret divinas revelationes, quæ indicant quod communio Euchariſtiæ profit multum, ſitque *magnum levamen & ſubſidium* animabus Purgatorii, quod illis fit à vivis *ex opere operantis*, non *ex opere operato*, ex vi ſacramenti ut ſacramentum eſt. quamvis infra etiam enodabo, quod illis profit *ex opere operato* ex vi ipſius operis, & *opere operato* ex vi ſacrificii.

PARS III.

Adducuntur pro hac veritate Revelationes divinæ.

Igitur *in Resol.* 11. *cit. n.* 602. adduxi revelationem factam B. Joannæ à Cruce, cui imperavit Deus ut communionem faceret, & applicaret animæ existenti in Purgatorio, quæ liberata est. aliam retuli ex S. Gertrude *lib.* 1. *insinuato. cap.* 18. §. 16. quam *pueriliter* impugnat Raynaudus. alia insignis revelatio refertur facta eidem S. Virg. *lib.* 5. *cap.* 22. ubi dicitur, quod illi, qui ob suam paupertatem non possunt dicere tot Missas, si toties communicent in subsidium & suffragium, quoties dicitur in præfata devotione *psalterii magni* esse dicendas Missas, supplebunt Missarum defectum. Sed aliam refert Ludovicus Blosius. *in Monili spirituali* (quod est *secunda pars conclavis animæ*) *cap.* 6. *n.* 3. his verbis: *Anima cujusdam defuncti cuidam Dei amico in flamma ardoris immensi apparens, dixit se ea sola de causa tam diris cruciatibus torqueri, quod circa Dominici corporis perceptionem fuisset negligentior; addidit que, si vel semel venerabile sacramentum devote pro ipsa accipere dignaretur, se mox liberandam. Quod cum ille Dei amicus fecisset, sequenti die anima eidem sole fulgentior atque micantior apparuit, unica illa dignissimi sacramenti hujus perceptione ab intolerabilibus pœnis liberata, atque ad cœlum & æternam beatitudinem evecta.* hæc ille; qui colligit *n.* 8. *Nam qui pie & humiliter communicat, prodest plurimum, non solum sibi ipsi, sed etiam aliis vivis & mortuis.* & addit Abbas Antonius de Winghe, operum Blosii illustrator, ad marginem *numeri.* 3. *Eucharistiam sumens pro anima in Purgatorio, eam liberat, estque is usus & doctrina Ecclesiæ Catholicæ.* Opera autem & eorum illustrationes, approbata sunt à tribus Universitatibus, Colonensi, Ingolstadiensi, & Duacensi.

Quid dicit ad hæc Raynaudus *in suo Leodegario?* forsan ille qui communicavit, *laborabat angina*, & sic cum magno

labore hostiam consecratam deglutiit, ut in labore corporali satisfactionem pro illa anima reperiret ? Forsan adiit *Leprosum Hugonis*, qui evomeret sacram hostiam cum *uberis purulentia, & tetra illuvie commixtam*, ut eam alacer exciperet, & exsorberet, & sic communicando tanto cruciatu & mortificatione corporis, animam illam à pœnis Purgatorii liberaret? Sic enim respondet Raynaudus, *in libello Leodegarii* §. 1. posse multum juvare animas Purgatorii sacram Eucharistiæ communionem, & alias *esse vel nullum, vel leve & tenue subsidium*. Sed levior est, & tenuior hæc solutio tam ridicula; in nihilo relevans *temeritatem suam* à Decreto Romano Pontificio ex sacra congregatione, *de indice* relegatam, expurgatam, & rejectam. quare, dum se *apologia* contra me publicata tuetur, & *in cœlum expuit*, & adversus Purpuratorum stimulum recalcitrat; tam Raynaudus in *Leodegario*, quam Leodegarius *in Raynaudo, in suis libellis* valde simili in temeritate conveniunt, & *uno oscitante deinde & oscitat alter*.

§. XIII.

Oratio pro defunctis facta, etiam ut impetratoria est, multum illos juvat, ut à pœnis Purgatorii liberentur.

Duplex propositio *duplici cappa* pejor invenietur in Raynaudo *Leodegarii*, vel Leodegario *Raynaudi*. prima est, quod *oratio, prout impetratoria, sit inutilis defunctis*. ita habet *in opusculo n.* 41. *Quidquid vulgus existimet, oratio prout præcise impetratoria, & nullam aliunde habens vim satisfactoriam, inutilis est defunctis*. quam propositionem caute temperat, satis temperate dicens in Leodegario *suo* §. 1. *ipsa oratio, præcise ut impetratoria, est tenue defunctorum subsidium*. Secunda propositio est. *communio tenue subsidium est animabus Purgatorii, prout est impetratoria in ratione actus nostri. Ut quid ergo* (ait) *si animæ purgatorii per impetrationem juvandæ sint, adhi-*

betur

betur ſumptio Euchariſtiæ interventu orationis, ſive voluntatis orationem adimperantis (quæ eo ipſo rationem habet orationis) & non potius abſque tot ambitibus recta aſſumitur oratio, & ad eam invitantur fideles, non autem ad communionem? ita habet *n.* 40. & §. 3. & 4.

PARS I.

Oratio, prout præciſe impetratoria, valde utilis eſt defunctis, & contrarium eſt error.

Hac duplici propoſitione *venenum ſuum effudit*, quod non depoſuit, ſed reaſſumpſit, & iterum evomit, etiam *poſito antidoto* Pontificio à Medicis Eminentiſſ. *Sanctæ fidei, & doctrinæ ſanctæ*, cujus *anchoras* Raynaudus tollit, ut veritas procellis agitetur, & undis cooperta verborum, non appareat, ſed occultetur. *aſt nos Ægæum & Ioniam, favente Deo, transfretamus*, etiam *ſaligno vimine*. quare in *præſenti* §. priorem propoſitionem, in ſequenti poſteriorem relegabo *ab aula* Eccleſiæ.

Igitur aſſero. hæc propoſitio, *oratio, prout præciſe impetratoria, eſt inutilis defunctis.* eſt erronea. propoſitionem poſuit Raynaudus, ut liquet ex ejus verbis. ſed probatur quod ſit erronea, &, ut luce clarius falſitas ejus conſpiciatur, & quam juſta ſit cenſura ei data; noto doctrinã certam & indubitatam inter Catholicos, quam his verbis ponit doctiſſimus P. Franciſcus Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 1. de orat. cap. 23. n. 1. Principio ſtatuendum eſt, orationem ex hoc peculiari capite, quod eſt petitio, habere propriam & peculiarem aptitudinem ad impetrandum; nam petitio natura ſua ad hoc ordinatur, ut animum alterius inducat ad dandum id quod petitur, non quia emitur, nec quia ſolvitur, nec quia aliquis illud meretur, ſed ſolum quia petitur, & rogatur, quatenus eſt bonitati aut liberalitati ejus qui rogatur. hoc ergo modo aptitudo ad impetrandum propria eſt orationis, inter alia virtutum opera; unde, licet alia virtutum opera poſſint orationem juvare ad impetrandum (quomodo dicunt interdum ſancti, jejunium & eleemoſynam eſſe*

veluti duas alas, quæ orationem in cœlum elevant) nihilominus in aliis operibus non potest esse propria impetratio absque oratione, propter rationem factam; sed per se solum bene disponunt, & merentur: & his etiam modis juvant orationem, vel quia disponunt hominem ut attentius oret, vel quia ad hoc ipsum auxilium aliquod per modum meriti obtinent, vel quia personam orantem gratiorem Deo reddunt, ac subinde aptiorem, ut petitiones ejus exaudiantur. & *n.* 2. dicit. *certum est, habere orationem peculiarem Dei promissionem, ratione cujus hæc impetratio est suo modo certa & infallibilis; si enim spectemus solam rationem petitionis, habet quidem oratio ex se aptitudinem ad impetrandum, quia potest appellari sufficientia, non tamen habet talem efficaciam, quæ certum & infallibilem reddit effectum, quia non est causa necessitatem inducens. ut autem oratio habeat hanc efficaciam in impetrando, necessaria fuit promissio; hæc autem promissio frequenter in Scripturis reperitur, præsertim in Testamento Novo. Matth 7. n. 12. Petite & accipietis. omnis qui petit accipit. & Ioann. 16. n. 16. si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Psal. 65. vers. 8. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me. & n. 3. ulterius certum est, hanc promissionem Dei non esse omnino absolutam, sed sub aliqua & aliquibus conditionibus; quibus positis, erit infallibilis impetratio, non vero absque illis,* &c. Hæc ille. quæ certa dogmata inter Catholicos indubitata sunt, ut videre est in D. Tho. 22. *q.* 83. uti in omnibus expositoribus & Catholicis. Igitur assertio nostra est, quod oratio, ut est *petitio à Deo, & impetratoria, sit valde utilis animabus Purgatorii*, & contraria propositio sit erronea & impia.

PARS.

PARS II.

Sancti in cœlo existentes pro mortuis orant.

Hanc assertionem multis probavi *Resol. illa* 11. *an.* 620, quæ ibi posui fundamenta, sic urgeo. 1. fuit, quod sancti in cœlo existentes orent pro animabus, & oratio illorum valde illis proficua sit, ut à pœnis solvantur. unde Ecclesia Pia Mater in quadam collecta pro defunctis exposcit: *ut B. Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus sanctis tuis, ad perpetuæ Beatitudinis consortium pervenire concedas.* cum ergo Ecclesia orationes sanctorum cœlicolarum interponat, ut animæ justorum à pœnis solvantur peccatorum; absolute negare, quod orationes, prout impetratoriæ sunt, defunctis *sint inutiles*, error est manifestus, quia beatorum oratio nullo modo est satisfactoria pro defunctis, sed est illis dumtaxat pure impetratoria.

Hoc indubitabile fundamentum, mirifice contra *Petro-Brusianos* firmavit S. Petrus Mauritius, Abbas Cluniacensis. *cap. illo 5. epist. cit.* qui quatuor probanda proposuit. *bona vivorum vivis, bona mortuorum mortuis, bona vivorum mortuis, & bona mortuorum vivis profuisse* in præteritis seculis, & posse prodesse usque ad consummationem seculi etiam in futuris. quos quatuor articulos egregie & nervosissime probat; & accedens ad secundum: *quod bona mortuorum mortuis prosint*, sic elegantissime probat veritatem. *Sacris authoritatibus multipliciter probatum est, viventium bona viventibus, si digni sint, posse prodesse. Inde ergo colligitur mortuorum hominum bona, mortuis hominibus, si ipsi digni sint, ad salutem, sive ad malorum levamen posse proficere. Cum enim bonorum viventium oratio viventibus profecerit, cur eorundem, vel similium mortuorum deprecatio mortuis prodesse non poterit? An apud piissimam majestatem plus possint viventes justi, minus mortui justi? An majoris apud Deum pretii sint preces bonorum viventium, quam bonorum supplicationes*

mortuorum? Numquid excellentioris meriti ſunt apud Dominum ſuum ſancti in corpore conſtituti, & inferioris mortalitate exuti? Numquid majoris gradus & gratiæ ſunt adhuc in carne poſiti, & minoris jam Deo conjuncti? Non hoc, non hoc, inquam, ratio vel juſtitia patitur, ut, quum debent eſſe robuſtiores, fiant infirmiores; quum debent eſſe potentiores, ſint impotentiores; quum debent eſſe perfectiores, ſint imperfectiores; quum ſolent talibus augeri gloria, minuatur gratia; quum ſuperna largitatis erga tales dona ſolent ineffabiliter accumulari, quæ prius collecta fuerant, videantur auferri.

Potuit certe Paulus orare pro Romanis, genua flectere pro Epheſiis, dum in miſera carne viveret, &, ut par eſt credere, exauditus eſt: & nunc omni miſeria exutus, beatitudini ſempiternæ conjunctus, pro eiſdem & quibuſlibet digne deprecabitur, & non exaudietur? oravit, ut dictum eſt, Helias propluvia tollenda, oravit & pro eadem reddenda in corpore manens, nec precum effectu, vel in modico fruſtratus eſt; dum exutus corpore fuerit (nam adhuc in corpore vivit) pro quibuſdam, dignis tamen, orabit; neque quod oraverit, obtinebit? Rogant Apoſtoli Dominum pro Cananæa dicentes: dimitte eam Domine, quia clamat poſt nos; & audiuntur. orant Martha & Maria, ut reſurgat frater earum Lazarus; & Chriſto eas exaudiente reſurgit. Hoc, inquam, ſanctæ mulieres, ſanctique diſcipuli adhuc miſeri obtinuerunt, ſi quid dignum petierint; jam beati non obtinebunt? Facta eſt oratio ab Eccleſia adhuc peregrina ad Deum pro Petro, ut de carcere erueretur, & miſſo Angelo ereptus eſt; orabit jam conjuncta Eccleſia Deo, ut pro aliquibus obtinendis audiatur, & non exaudietur? & certe rationi huic authoritate ſua eadem Eccleſia atteſtatur, mortuis videlicet aliorum mortuorum bona poſſe prodeſſe, dum quotidie per univerſum mundum cum ſigno fidei exeuntes de corpore, & ſomno pacis dormientes mortuos ſuos, perfectioribus mortuis, hoc eſt ſanctis martyribus, aliiſque ſummè juſtis commendat; quos ſcilicet jam mortuos mortuis aliis non commendaret, niſi mortuorum in bonis perfectorum bona,

bona, bonis mortuus, ſed imperfectis poſſe prodeſſe conſideret. De qua Eccleſiaſtica conſuetudine nec Catholicus dubitaſſe, nec hæreticus inventus eſt illi aliquando reſtitiſſe. Adjuvat iſta & libri Machabæorum lectio, (lib. 2. cap. 15,) qua, ſicut in ſequentibus loco proprio clarius exponetur, ſummum Sacerdotem Oniam, magnumque Prophetam Hieremiam, jam mortuos oraſſe, ac exauditos eſſe pro viventibus introducit. Cum igitur & viventes pro viventibus orare præcipiantur, & mortui pro viventibus exauditi eſſe legantur, cur mortui mortuis prodeſſe ſanctis ſupplicationibus dubitatur? & poſt aliqua ſic concludit. *Deeſſe certe non poterit, ut non ſolum ratione ſupra ſcripta, non tantum inſtitutione Eccleſiaſtica, ſed etiam authoritate divina undique noſtra allata aſſertio nullum caſum trepidans, immota conſiſtat.* Hactenus S. Abbas validiſſime confutans hoc primo fundamento Raynaudum.

PARS III.

Eccleſia militans impetrat oratione pro defunctis.

2. Fundamentum eſt, quod etiam ibi inſinuavi, & S. Abbas etiam introducit. Quia ſancta Eccleſia militans fundit orationes, quibus impetrat bona, tam vivis, quam defunctis, quibus petit requiem, locum refrigerii, & Beatitudinem; ergo oratio, ut impetratoria, *non eſt inutilis defunctis.* conſequentia eſt manifeſta; antecedens conſtat ex miſſali Romano, & omnibus *Liturgiis*, in quibus ſunt ſpeciales petitiones, & orationes, quæ fiunt nomine Eccleſiæ pro defunctis. Hæ autem, prout nomine Eccleſiæ fiunt, impetratoriæ ſunt, & ſic, ut moveant divinam clementiam ad obtinendum quod impetrari petit, addit. *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Unde apud Sanctos Patres hæc eſt perpetua & immutabilis propoſitio. *quod pro defunctis fiant orationes*, tum in ſacrificio altaris, tum extra. quæ illis prodeſſe certum eſt, non ſolum ut ſatisfactoriæ actiones, ſicut & alia bona opera, ſed ſpe-

cialiter prout oratio ex ſui ratione eſt *petitio* impetratoria, movens divinam clementiam, ut mortuos exiſtentes in purgatorio relevet à pœnis, quas patiuntur. Hinc eſt quod Eccleſia ſancta in *tertia oratione* Miſſæ quotidianæ pro defunctis ſic exorat. *Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſeculo tranſierunt, B. Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus ſanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas.* & in ſecreta pro defunctis Epiſcopis, & Sacerdotibus dicitur. *Proſit* (illis) *miſericordia tua implorata clementia, ut ejus, in quo ſperaverunt, & crediderunt, æternum capiant te miſerante conſortium.* & *in poſt communione* tertia: *animabus, quæſumus Domine, oratio proficiat ſupplicantium*, &c. quibus verbis manifeſtiſſime monſtratur, quod Eccleſia in ſuis orationibus pro defunctis, ſicut etiam pro vivis, non vim meritoriam, aut ſatisfactoriam, ſed dumtaxat impetratoriam, non ſolutionem, ſed ſupplicationem, & petitionem interponit.

PARS IV.

Eſt ſenſus, & conſenſus Patrum.

Et hic eſt ſenſus omnium fere Patrum, dum dicunt orationes faciendas pro defunctis; dum dicunt commemorationem illorum faciendam in ſacrificio Miſſæ, in quo ferventiores fiunt petitiones, & tunc Sacerdos gratior eſt Deo, beneque diſpoſitus ad petendum, & ut exaudiatur à Deo pro animarum relevatione. Unde S. Dionyſius *cap. 7. de Eccleſiaſt. Hierarch. p. 3. preces fundere pro mortuis à Magiſtris noſtris doctus à Deo accepimus.* & Cyrillus *Catecheſ. 5. myſtag. oramus pro omnibus qui inter vos vita functi ſunt, credentes magnum eſſe animarum juvamen.* Clemens *lib. 8. Conſtit. cap. 47. De iis autem, qui quieverunt in Chriſto, poſtquam Diaconus abſolvit orationem, ſic dicit: pro quieſcentibus in Chriſto fratribus noſtris rogamus, ut benignus Deus*, &c. idem docent Chryſoſt.

Chryſoſt. *hom.* 69. *ad Populum Antiochen.* Nazianz. *orat.* 7. *quæ eſt pro Cæſario, fratre ſuo.* Ambroſius *de obitu Valentiniani. Aug. lib. de cura pro mortuis cap.* 4. quem citat *Concil. Cabilon.* 2. *cap.* 39. Unde *Sixtus II.* inſtituit, ut in omni Miſſa ſecunda oratio fieret pro defunctis, ut refert Platina *in ejus vita.* itaque propria virtus orationis, ut ab aliis operibus bonis ſecernitur, non eſt virtus ſatisfaciendi; in hac enim virtute cum omnibus virtutum actibus convenit; quare propria ejus virtus, cum ſit petitio, eſt impetrativa.

Quare dicere, quod oratio, ut impetrativa, non proſit defunctis, quibus *eſt inutilis*, nihil aliud eſt dicere, quam quod oratio, ut oratio, defunctis *ſit inutilis*, & non proſit; quod eſt contra fidem, & abſonum à Patrum ſenſu, Eccleſiæ praxi, & Catholicorum doctrina. Nam orationi, ut eſt petitio, & impetratoria, non ſatisfactoria, varias addunt Patres cæremonias, & ritus, quibus facilius miſericordiam, & divinam clementiam invocabant. Unde Tertullianus *in Apologetico cap.* 30. ponit orandi modum, quem Chriſtiani tunc temporis habebant, dicens: *Illi ſcilicet in cœlum ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus. precantes ſumus omnes ſemper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſeverum, tutam domum, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæſaris vota ſunt.* Hinc eſt quod S. Dionyſ. *cap.* 3. *de divin. nom.* dicit, quod *ante omnem actum, & in Theologia maxime, ab oratione inchoandum ſit, ut memoria divinarum rerum, atque invocationibus piis nos ipſos benedicamus, atq; inungamus.* Hinc etiam eſt, quod S. Maximus *ſerm.* 5. *in Natali Apoſtol. Petri & Pauli* dixerit, quod *Petrus flexis genibus precatus ſit Dominum, & precatione ſancta vicerit magicam levitatem Simonis Magi.*

PARS V.

Oratio est prima radix impetrationis.

Unde Patres, dum de virtute orationis tractant, juxta phrasin sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ; illi vim impetratoriam principalius tribuunt; quia est radix omnis impetrationis; sicut & charitati tribuunt esse radicem meriti de condigno; quamvis tam oratio, quam charitas, actus satisfactorii sint, tam pro culpa; quam pro pœna: tamen specifica virtus charitatis est ad merendum, & specifica virtus orationis est impetrativa, non satisfactiva. Unde tam Patres, quam Scriptura, dicunt, quod oratio à charitate dimanans respiciat divinam clementiam, misericordiam, & liberalitatem: at omnis satisfactio, cum sit debiti recompensatio, respicit divinam justitiam. unde satisfactio solvit debitum, & reducit inæqualitatem juris divini læsi ad æqualitatem. oratio vero ex sua specifica ratione, cum sit essentialiter petitio, non solvit, sed impetrat: unde Christus oratione Dominica nos instruit ad petendum ut impetremus, & sic oratio dicitur *pulsare, exaudiri*, ut constat ex Scriptura & Patribus. Tertull. Cypriano, Nysseno, *specialibus lib. de orat. Dominica.* Ambr. *serm.* 22. Chrysost. *lib. de orando Deum.* Aug. *epist.* 112. *ad Probam. cap.* 8, & *serm.* 32. *de verbis Domini.* & hanc vim impetrativam attendit præcipue Ecclesia, dum orationes fundit, tam pro vivis, quam pro defunctis; quamvis etiam attendat vim satisfactivam. unde absolute proferre, quod *oratio ut impetratoria sit inutilis defunctis* in purgatorio existentibus, est dicere, quod oratio ex sua specifica ratione non sit mortuis proficua, *sed inutilis.* quod aures pias valde offendit; dum enim fideles fundunt preces ad Deum pro defunctis, non tam attendunt illis applicare satisfactionem orationis, quam Dominum precari, ejus misericordiam & clementiam pulsare, ut illos liberet à pœnis, quas in purgatorio patiuntur.

PARS

PARS VI.

Qua ratione oratio nitatur fide.

Cæterum, cum, ut ait D. Tho. 22. *q.* 83. *art.* 15. *ad* 3. ex Patrum ſententia, oratio nitatur *principaliter fide*, non quantum ad efficaciam merendi, quia ſic nititur *principaliter charitate*; ſed quantum ad efficaciam *impetrandi*, quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ, & miſericordiæ, ex quibus oratio impetrat quod petit: tam cælites, nitentes agnitione intuitiva divinæ omnipotentiæ, & miſericordiæ, quam viatores nitentes fide eorundem attributorum, orationes fundunt, quæ ut impetratoriæ valde juvant animas purgatorii, ut à pœnis ſolvantur, unde, ut impetratoriæ, *valde utiles* ſunt illis. verum hæc utilitas, ſi immediate reſpiciat animas, cum reſpectu illarum ab oratione ut impetratoria dimanet, ab eaque immediate impetretur, negari ſine errore nequit, quod oratio ut impetratoria *ſit utilis* animabus, pro quibus oratur. etenim impetratio triplicem habet reſpectum, ut ait D. Tho. ad illum, *à quo* quis petit & impetrare intendit, *ad illum, cui* petit, & *ad rem quam petit*. & quidem tam Beatorum, quam viatorum oratio, ut eſt impetratoria pro animabus purgatorii, immediate reſpicit *Deum* qui oratur, immediate reſpicit *animas*, pro quibus oratur; aſt *rem* quam petit, ſcilicet remiſſionem pœnæ aut peccati venialis, ordinarie non petit ut immediate fiat abſque lytri ſolutione, & abſque ſatisfactione; quia lege ordinaria, & ex vi præſentis providentiæ ſtatutum eſt, ut pœna purgatorii ſolvatur, aut ſatiſpaſſione ipſius animæ, aut ſatisfactione aliorum ſibi applicata; quam applicare, liberum eſt applicanti, & poterat non applicare.

Rem explico claro exemplo. Quis eſt carceri mancipatus propter debita quæ contraxit, nec liberabitur, niſi ſolvat, cum non ſit ſolvendo; ſi ego ab homine divite petam, ut eum debitis ſolvat, & ſic à carcere liberetur, ſi illud impetrem, nullus cordatus homo, dubitabit, quod

mea

mea petitio, & oratio, prout impetratoria, *valde utilis* fuerit ei, qui in carcere erat detentus, cum ex vi illius debitis ſolutus ex carcere exierit, qui alioquin detinebatur incluſus, quem mea impetratio immediate reſpiciebat, ejuſque libertatem, quamvis non gratis, ſed media debitorum ſolutione impetratam. quorum ſolutio reſpectu illius gratioſa fuit, tam ex miſericordia & liberalitate ſolventis, quam ſolutionem impetrantis; ergo incarcerato non fuit *inutilis mea oratio* & petitio, quæ impetravit ejus libertatem.

Quare minus recte dixit Raynaudus *n.* 41. quod *oratio præciſe ut impetratoria, non niſi per anfractus juvare defunctos poſſit.* oratio enim, ut impetratoria, immediate intendit mortuos juvare, à pœnis relevare, & eos ad relevandum immediate reſpicit; quamvis hæc relevatio facienda ſit mediis aliis, de quibus modo, ſicut intentio finis immediate reſpicit finem, quamvis hujus executio facienda ſit per anfractus mediorum, ſine quibus finis non obtinetur. Deus enim gratis & ex miſericordia vult dare gloriam, quamvis ejus executio non ſit facienda gratis, ſed ex juſtitia; ita oratio immediate intendit impetrare remiſſionem pœnæ, quamvis ſit adhibenda media ſolutione, quam alter libere facit, & quam à Deo impetrat, media oratione, ut eſt impetratoria.

PARS VII.

Oratio, ut impetratoria, multis modis eſt utilis animabus Purgatorii.

Ut autem doctrina hæc lucidior appareat, noto ex Suarez 3. *p. tom.* 4. *diſp.* 48. *ſect.* 5. *n.* 9. quod multis modis oratio ut impetratoria poſſit eſſe utilis animabus purgatorii. 1. Poſtulando, ut Deus præbeat viventibus auxilia, quibus excitentur ad ſatisfaciendum pro animabus illis, aut pro ipſis offerant ſacrificia, quæ alias non offerrentur, niſi impetrarentur à Deo hujuſmodi auxilia. 2. Ut intenſione pœnarum acceleretur conſecutio gloriæ,

riæ, & tempus purgatorii abbrevietur. 3. Ut ſancti cœlites expoſcant à Deo, ut ſatisfactiones ſuperabundantes, quibus non indiguerunt in via, & ſunt reſervatæ in theſauro Eccleſiæ, animabus illis, ut liberentur à pœnis, applicentur. 4. Unus ſanctus poteſt impetrare ab alio, ut ſuas ſatisfactiones, quibus in vita non indiguit, applicet alicui animæ exiſtenti in purgatorio, qui modus etiam communis eſt inter viatores, & praxis Eccleſiæ id demonſtrat. Qui quatuor modi juvandi animas purgatorii, fundantur in oratione, non quatenus *ſatisfactoria*, ſed quatenus *impetratoria eſt*; temerarie ergo dicitur à Theophilo: *Quidquid vulgus exiſtimet, oratio, prout præciſe impetratoria, nullam aliunde habens vim ſatisfactoriam, inutilis eſt defunctis.*

Dixi *ordinarie*, & ex *vi præſentis providentiæ*; nam ex ſpeciali diſpenſatione tam cœlites, quam viatores eximiæ virtutis, & quibus Deus ſe ſpecialiter manifeſtat, poſſunt ſuis orationibus impetrare animabus purgatorii libertatem à pœnis quas patiuntur, & ſic oratio ut *impetratoria* erit illis utiliſſima. 1. Si à Chriſto impetrent ut huic vel illi, vel etiam pluribus animabus efficaciter applicet tantum de ſatisfactione ſua, quantum indigent, ut à purgatorio liberentur. quæ liberatio reſpectu animæ gratis fit; licet reſpectu Chriſti (quamvis applicatio ſatisfactionis gratis etiam fiat) fiat ex juſtitia, quia pœna recompenſatur lytro ſatisfactionis Chriſti: qui modus, etiam de potentia ordinaria, probabilis eſt, & de potentia abſoluta omnino certus; cum nulla in eo appareat contradictionis repugnantia. dixi, quod *de potentia ordinaria* ſit probabilis, quia Chriſtus conſtitutus eſt tanquam cauſa prima, & univerſalis ſatisfaciendi mediis cauſis ſecundis inſtrumentalibus, ſacramentis ſcilicet, & aliorum hominum ſatisfactionibus aliis applicatis; & ſic ex vi hujus providentiæ quaſi eſt alligatus ad non remittendum peccatum, & ejus pœnam immediate, ſed mediis præfatis inſtrumentis, quibus operatur ſatisfactionem: ſicut cauſa prima operatur mediis cauſis ſecundis. tamen de potentia abſoluta, & mira-

miraculoſe poteſt ſe ſolo immediate cauſare effectum, quem cauſat medio inſtrumento.

Secundus modus eſt; ſi Deus ipſe immediate ſine media ſatisfactione Chriſti, exaudiat orationem alicujus cœlitis, aut viatoris eximiæ virtutis, & ſancti, remittatque pœnam animabus Purgatorii, pro quibus oratio funditur, quæ talem pœnæ purgatorii remiſſionem impetrat immediatam. eſt enim Dominus abſolutus, qui immediate & gratis poteſt remittere debitum placandi juſtitiam ſuam læſam, abſque aliqua ſatisfactione facta, etiam ab ipſo Chriſto. Hic modus, quamvis poſſibilis ſit divinæ omnipotentiæ, tamen eſt difficilis, cum in eo diſpenſetur in pluribus quam in primo; quare iſte ſuavior eſt & communior, & quo (me quidem judice) utitur Deus miraculoſe non ſemel, dum ad petitionem ſanctorum viventium, gratis liberat plures animas purgatorii, illis applicando ſatisfactionem infinitam Chriſti: quo etiam modo plures liberat per indulgentias, ut infra enucleo. & juxta priorem modum oratio eſt impetratoria dumtaxat, quæ impetrat abſque ſatisfactione actus orationis, concurrentis per ſe ad liberationem à pœnis purgatorii. dixi, *per ſe*, quia oratio, ut ſatisfactoria, poteſt reddere ſubjectum orans magis aptum, & gratius Deo, ut exaudiatur, & impetret quod petit pro animabus purgatorii, quibus eſt *valde utilis* oratio, ut eſt impetratoria. Inanis ergo eſt propoſitio Raynaudi, quod *oratio prout impetratoria, inutilis ſit defunctis*, cujus *ſalivam* ebibit Leodegarius: ſed ego utriuſque (*ut Augiæ ſtabulum*) repurgabo, quod jam repurgatum eſt ab Eccleſia.

§. XIV.

Communio Euchariſtiæ prout impetratoria, non tenue, *ſed magnum* ſubſidium *eſt animabus Purgatorii.*

Auribus lupum (Leodegarium) mordaciſſimam belluam teneo. Jam primam amputavi; ad ſecundam venio: etenim perſuadere nititur altera propoſitione, quod *communio*

munio ut impetratoria, tenue sit subsidium animabus purgatorii in ratione actus nostri.

PARS I.

Secunda propositionis Raynaudi *propugnatio à Leodegario facta par vipenditur.*

QUam propositionem cum ego manifestissime impugnarem in Raynaudo *Resol. illa* 11. §. 5. *an.* 608. mea argumenta non callens Leodegarius, sic *Raynaudi* propositionem propugnat, in me sic insurgens, carpens, & meam sententiam adulterans. *Imo vero perceptio illa ut sic, maxime est impetratoria, reddit enim hominem valde idoneum ad impetrandum, eo ipso quo homo communicans allegat Christum, & merita ejus, quibus nihil est ad impetrandum efficacius.* Hæc ille, ut mea refert. Ut sic puti de loquatur. *Pax tecum Hurtado. Hoc non est ratiocinari, sed rudere, nam si quod reddit hominem aptum ad impetrandum, pollet vi impetrativa; ergo baptismus, & quodvis aliud sacramentum ea vi præditum est, cum conferat gratiam sanctificantem maxime opportunam ad impetrandum. Absurde vero dicitur hominem communicantem, præcise prout percipientem corpus Christi, allegare Christum & ejus merita; sed homo communicans, præcise ut communicans, sumit intra se Christum, & consequenter de effectu meritorum ejus participat: quod longe aliud est, quam petendo impetrare, aut vi impetratoria pollere. En igitur quam ad rem, & quam solide argumentetur Hurtado, cum argumentatur nervose. Cæterum quod ait, hanc impetrationem per allegationem Christi plus sublevare animas purgatorii, quam ferventissimum actum charitatis, pugnat cum iis, quæ asserit extollens actum charitatis super omnia plane subsidia mortuis per superstites subministrabilia. nimirum summus & maximus Rhetor, quidquid attingit, pro summo, & grandissimo habet, ut ille apud Senecam Senecio.* Hæc Leodegarius, *Leonis* dumtaxat *exuviis* indutus, cum re ipsa *asinus sit*, portans *mysteria* quæ sustinere non valet,

nec callere: etiamsi enim Doctoris pileolum se habere pronuntiet, rudit indecore, ea enim quæ portat,

Sunt ista folia, & stulta blateramenta,
Musea hirundinum, artis ac subversio.

Rudit utique *gentilitate sua*, & *ruditu* inepto garrit. Sed, Deo gratias, est qui *exuvias leonis* ei auferat, ut vel ridicula *simia*, vel *asinus* tectus *leonis exuviis* conspiciatur, sicque *Pseudologista* appareat.egregie ad rem Lucianus *in Dialogo Pseudologista*. *Nec opus est* (inquit) *quopiam, qui tibi leonis exuvias detrahat, quo palam fiat te canthelium esse, nisi quis sane ab ipsis Hyperboreis hospes modo ad nos pervenerit, aut usque adeo Cumanus sit, ut qui viderit non protinus intelligat, te asinorum omnium asinum ferocissimum esse, aut expectat, ut te præterea rudentem audiat.* Quid pulchrius ad tuam audaciam retundendam Leodegari? si me *rudere* dicas, accipe ut te rudentem omnes ausculteni. coactus hæc retuli, non enim par est, ut impunitus evadas.

PARS II.

Turpe locutus est Raynaudus in Leodegario, & *Leodegarius* in Raynaudo.

Sed his relictis, ad veritatem propalandam accedo, ut manifestum faciam fidelium cœtui, quam turpe locutus sit Raynaudus in *Leodegario*, & Leodegarius *in Raynaudo*, ut animabus sanctis addictis pœnarum gurgiti, magnum subsidium, & levamen quod illis advenit ex impetratoria virtute communionis & orationis, quam communicans fundit pro illis, detrahat. Ut enudavi *loco citato*: ubi dixi & probavi sanam, communem, & Catholicam doctrinam. Asserui etenim 1. quod oratio sit primum principium, & origo impetrationis formalis, in omnibus actibus nostris, sicut charitas est primum principium & origo meriti de condigno. Unde sicut sine charitate nullum est tale meritum, ita sine oratione formali aut virtuali, nulla est impetratio: sicut enim charitas imperat,

perat, & ex ejus imperio habent omnes actus virtutum quod sint meritorii de condigno, ita oratio omnes actus aliarum virtutum ordinat imperando, & ex ejus imperio habent quod sint impetratorii; quia oratio est essentialiter petitio decentium à Deo, in ordine ad quam petitionem, & cultum quem Deo defert, ordinat omnes aliarum virtutum actus: quod imperium & ordinatio propria est virtutis Religionis, cujus est proprius actus oratio. Hanc doctrinam nos docuit S. Tho. 22. *q.* 81. *art.* 1. *ad* 2. ibi. *Religio habet duplices actus, quosdam quidem proprios & immediatos, quos elicit, per quos homo ordinatur ad solum Deum: sicut sacrificare, adorare, & omnia hujusmodi. Alios autem actus habet, quos producit mediantibus virtutibus quibus imperat, ordinans eos ad divinam reverentiam, quia scilicet virtus ad quam pertinet finis, imperat virtutibus, ad quas pertinent ea, quæ sunt ad finem: & secundum actus Religionis per modum imperii ponitur visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, quod est actus elicitus à misericordia: immaculatum autem se custodire ab hoc seculo, imperative quidem est Religionis, elicitive autem temperantiæ, vel aliquid hujusmodi.*

Unde, cum oratio sit virtus, ad quam pertinet finis scilicet Deus, qui oratione colitur (quia per ipsam Deo reverentiam exhibet homo, in quantum ei se subjicit, & profitetur orando se eo indigere, sicut authore suorum bonorum) manifestum est, quod possit aliarum virtutum, etiam ipsius charitatis cæterarumque Theologicarum actus suo imperio ordinare ad aliquid petendum à Deo, & per modum petitionis & subjectionis præfatæ, illi cultum deferendum: & sic habebunt ab oratione, ejusque imperio ordinem ad impetrandum aliquid à Deo. Hac ratione communio, cum sit actus virtutis eximiæ (quis Catholicus hoc negavit?) per orationem ordinatur à communicante ad impetrandum remissionem pœnarum animabus purgatorii. quis audebit hoc inficiari? quare cum oratio pro defunctis, ut impetratoria, magnum sit illis levamen, ut monstravi. §. *anteriori:* communio

ex hac parte, ut impetratoria, non est *tenue animarum subsidium*, sed vere maximum.

PARS III.

Magna est vis impetratoria in Eucharistica communione, juxta orationis imperium.

2. Quod ibidem dixi, & probavi *ann.* 912. ita nervose (ut nec *nervum tetigerit* Leodegarius) est, quod actus aliarum virtutum, etiam ferventissimæ charitatis, non sint formaliter impetrativi, nisi quatenus disponunt hominem, ut attentius oret, intentiusque attendat ad divinam bonitatem, à qua impetrat oratio, vel quatenus personam orantem gratiorem, & amabiliorem reddunt Deo, qui magis amicos & amabiles facilius exaudit, ut postulata concedat, tam pro orante, quam pro aliis; unde, quo actus aliarum virtutum magis nos Deo conjungunt, eo magis disponunt, & reddunt orantem aptiorem, ut exaudiatur. Unde Gerson *p. 3. epist. de pia memoria defunctorum* dixit. *esto, quaso (dum communicas) memor fidelium defunctorum, & implora tanto ardentius misericordiam ejus, quanto certius retines in te pignus æternæ redemptionis.* Quibus sapienter Gerson ponit motivum ad ardentius implorandum & fidentius impetrandum misericordiam pro animabus purgatorii; quia scilicet tunc gratissimus est homo, & aptior ut exaudiatur; quum enim communicat, in se percipit, & attrectat ipsum verbum incarnatum sub speciebus, quod sibi strictissimo vinculo realiter unit, sive moraliter, sive physice, ut ex Patribus ibidem late ostendi.

Ex quorum doctrina nedum nervose, sed evidenter colligitur, quam alta, & magna possit esse impetratio illi communioni communicata ex vi ardentissimæ orationis, quam ibi exercere potest homo. Ut enim ait D. Tho. 22. *q.* 83. *art.* 1. *ad* 2. *ex parte ejus quod petitur. Hoc præcipue in oratione petendum est, ut Deo uniamur, secundum illud Psal.* 26. *unam petii à Domino, hanc requiram,*

ram, ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. ex parte vero petentis, oportet accedere ad eum à quo petit, vel loco, ſicut ad hominem; vel mente, ſicut ad Deum. Unde dicit Dionyſius cap. 3. *de divinis nominibus, quod quum orationibus invocamus Dominum, revelata mente adſimus ipſi.* & ſecundum hoc etiam Damaſcenus lib. 3. de *fide* cap. 24. *dicit quod oratio ſit aſcenſus mentis in Deum.* cum ergo ex vi communionis Deus homo ſit nobis unitus, dubio procul hæc communio, & unio magnam excitat confidentiam, ut oremus pro animabus purgatorii; eſtque *valde utilis* illis ut impetratoria, cum ſit motivum altiſſimum Deo propoſitum, ad concedendum: & nulla actio humana digniores nos faciat ad impetrandum, quod petimus. Unde egregie S. D. 22. *q. cit. art. 9. ad 5. dixit. quod oratio non porrigatur Deo, ut ipſum flectamus, ſed ut in nobis ipſis fiduciam excitemus poſtulandi. quæ quidem præcipue excitatur in nobis, conſiderando ejus charitatem ad nos, qua bonum noſtrum vult; & ideo dicimus: P. noſter. & ejus excellentiam, qua poteſt; & ideo dicimus: qui es in cœlis.*

Quibus verbis obmuteſcat neceſſe eſt Raynaudus *in ſuo Leodegario*, ſi conſiderata charitas Dei ad nos; qua bonum noſtrum vult, & deſiderat, ejuſque excellentia, quæ in cœlis eſt, his allegatis in nobis excitat fiduciam poſtulandi & orandi: qua fronte negare audet quod perceptio, & manducatio ipſius Dei, qui in nobis exiſtit, & nobis unitur vere, & proprie, unione ſacramentali ſit permaxime impetratoria fiduciæ poſtulandi, & orandi tam pro vivis quam pro defunctis? apage! quis huic credulitati aſſentiet? quis huic impietati in defunctos ſubſcribet? conſiderans charitatem, qua hoc ſacramentum charitatis Chriſtus inſtituit, qua ſuummet ſanctiſſimum corpus divinitati unitum nobis manducandum præbuit, quod etiam de facto communicantes manducamus. Quare bene dixi *ubi ſupra n.* 614. nullum actum exteriorem, fidelem in vita mortali exercere, qui ipſum magis aptum reddat, ad pro ſe, vel pro aliis impetrandum, quam Euchariſtiæ

riſtiæ in gratia facta perceptio; nullamque eſſe actionem humanam, quæ majorem excitet in nobis fiduciam poſtulandi, & majorem confidentiam impetrandi à Chriſto, quod poſtulamus, quam digne facta communio. Unde S. Angela de Fulgenio *cap.* 67. dixit. *quod virtute hujus ſacramenti oratio devota ſit impetrativa*, hoc eſt cum effectu impetratur, quod petitur. Legatur integrum caput, & videbitur clare, quam utile ſit, dignam communionem defunctis applicare.

PARS IV.

Ex Patribus firmatur eadem vis impetratoria ſacræ communionis.

Hoc liquet ex ſequentibus Patrum locutionibus, & ſententiis. Chryſoſt. *hom.*24. *in* 1. *ad Corinth.* ad illa verb. *cap.* 10. *n.* 16 *calix benedictionis.* dicit. *cum benedictionem dico, Euchariſtiam dico; & dicendo Euchariſtiam, omnem benignitatis Dei theſaurum aperio: ita ad eum accedimus, cum communicamus.* & *hom* 45. *in Ioann. ut non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa in illam carnem convertimur.* Similia habet. *hom.* 81. *ad Populum Antiochen.* quod amplius enucleat Damaſcenus. *lib.*4. *de fide cap.* 14. *communicamus per ipſam Euchariſtiam Chriſto, & participamus ejus carnem & divinitatem, & quia communicamus, & unimur invicem per illam. Nam quia ex uno pane participamus, omnes unum corpus Chriſti, & unus ſanguis, & invicem membra efficimur, incorporati Chriſto exiſtentes.* Unde Cyrillus, *lib.* 10. *in Ioannem cap.* 13. *conſiderandum* (inquit) *eſt, non habitudine ſolum, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe; verum etiam in participatione naturali. Nam quemadmodum igne liquefactam ceram alii ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcueris, ut unum quid ex utriſque factum videatur; ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti, ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo.* S. Cyprianus, *ſerm. de Chriſti nativit. ſacramentorum communicatio, per quam illius corporis ſynceritati unimur.*

unimur. & in ſerm. de cœna Domini. Qui manducat ex hoc pane, ultra non eſurit; qui bibit, ultra non ſitit: Quoniam myſterii hujus ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia, ut cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis conſummationis fine invento, Chriſti bajulus ipſum ferat in pectore, ipſum ferat in mente. Aug. *lib.* 7. *confeſſ. cap.* 10. *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me; nec me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* S. Leo, *ſerm.* 14. *de paſſione Dom. non aliud facit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quam ut in id quod ſumimus, tranſeamus.* His ſententiis Patrum innumeræ ſunt aliæ ſimiles.

Ex quibus tale formo argumentum. ex vi communionis euchariſtiæ nobis realiter unitur fons, & theſaurus benignitatis; & non ſolum per dilectionem, ſed re ipſa carni Chriſti unimur, in illam convertimur, mutamur, & efficimur Chriſto incorporati, & illius *bajuli* tam corpore quam mente: non habitudine ſolum, & affective, ſed participatione naturali. Sic loquuntur Patres adducti. ergo cum hæc nobis contingant ex vi communionis corporis & ſanguinis Chriſti, nec poſſint contingere ex vi alterius actus cujuſcumque virtutis, etiam Theologicæ; poſſumus allegare, quod ex vi illius ſimus digniores effecti, in orationibus quas fundimus, dum communicamus, tam pro vivis, quam pro defunctis: & communio hoc modo animabus purgatorii applicata non erit eis *leve*, ſed magnum *ſubſidium* & *levamen*. hoc autem modo dixi, quod communio corporis Chriſti, ut impetratoria, magis proficua poſſit eſſe animabus purgatorii, quam actus charitatis in quantum impetratorius; quia ex vi illius nequimus allegare Deo unionem, & participationem naturalem, ſed ſolum per habitudinem, & affectum, quem ſolum inducit charitas: quamvis hujus actus ſit magis ſatisfactorius, quia magis difficilis. Quod non advertit Leodegarius, dum inſimulat me *de contradictione*.

PARS V.

Duplex oratio, una expressa, altera interpretativa.

Sed ad majorem doctrinæ traditæ abundantiam, & commendationem, propono doctrinam S. Tho. *in* 4. *dist.* 45. *q* 3. *art.* 3. *in corp.* ubi tradit *quod duplex sit oratio, una expressa, dum sancti votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant. Alia interpretativa, scilicet per eorum merita, quæ in conspectu Dei existentia sunt nobis etiam suffragia, & orationes quædam; sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere.* Unde 3. *p. quæst.* 54. *art.* 4. *in corpore.* una ex quatuor rationibus, quas adfert cur in Christo manserint vulnerum cicatrices, est; *ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat.* Quare aliqui sancti & doctores dicunt, quod Christus in cœlis proprie non oret pro nobis oratione expressa, sed interpretativa, per vulnerum ostensionem. Quæ, etsi quantum ad negativam partem, quod Christus non oret, expresse falsa sit sententia; tamen quòd Christus etiam oret interpretative absque aliqua intermissione pro humano genere, pro quo vulnera, & mortem pertulit, certissimum est. Quæ oratio interpretativa, tam est pro mortuis, quam pro vivis: pro quibus non semper exauditur quoad efficaciam, &, si sit exaudita, quoad sufficientiam.

Ex qua doctrina ad propositum deduco, quod ex vi communionis Christus in nobis inhabitet corporaliter, totaque ejus divinitas in nobis sit admirabili unione; ratione cujus sumus Christo incorporati, sumusque illius speciale templum, & sedes. consequitur quod ipsa communio corporis Christi sit quædam interpretativa oratio, quatenus in conspectu Dei, ex vi illius, allegatur Christi corpus, & sanguis pro nobis effusus, qui in nobis re ipsa existit, *melius clamans quam Abel*, utpote veniam ac misericordiam, pro omnibus membris expostulans.

quis

quis ergo Catholicus poteſt dubitare, quod communicans poſſit eam applicare defunctorum animabus juſtis, & quod illis futura ſit valde proficua? quare communicans jure optimo allegare poteſt Chriſtum mortuum, quem in ſe habet unitum re ipſa, tanquam theſaurum, & finem totius benignitatis. & certe qui hoc negat, *rudit*, unuſquiſque enim allegare poteſt, ut fiducialiter petat, & exaudiatur, *quidquid* dignitatis & excellentiæ, quam ut ſibi propriam habet. quare qui communicat, non ſolum eſt particeps meritorum Chriſti per effectus, quos inde producit perſonales, & ſibi proprios, alteri incommunicabiles, quos etiam allegat, ut exaudiatur: ſed etiam habet Chriſtum Dominum ſibi unitum re ipſa, & non ſolum habitudine & affective, quem permaxime & fortiſſime allegat, ut exaudiatur, pro vivis, & defunctis. & ſic communio fidentiorem reddit communicantem, ut allegans corpus Chriſti, quod communicat, petat, & exaudiatur. Unde communio eſt quædam interpretativa oratio pro defunctis, & vivis; & ſic poteſt expreſſe ordinari ad impetrandum pro defunctis. quod ſecus eſt de aliis ſacramentis, baptiſmo, pœnitentia & aliis; iſtorum enim receptiones, quamvis poſſint ordinari ad impetrandum, ſicut & alii actus virtutum, & exerciti *prout oportet*, producant gratiam juſtificantem, qua homo, ſicut redditur aptus ad merendum, ita & ad impetrandum: tamen ſacramenta recipiens non poteſt allegare quod ex vi illorum habeat Chriſtum Dominum re ipſa in ſe exiſtentem. Lege meipſum *Reſol. cit. ann.* 610. & videbis quam leviter argumentetur Raynaudus *in Leodegario ſuo.*

PARS VI.

Temeritas locutionum Raynaudi, & crudelitas in defunctos.

Ex dictis apparet 1. temeritas Locutionum Raynaudi, & crudelitas in defunctos ſanctos purgatorii. *Si igitur* (ait) *ineatur conſilium de exequendo aliquo bono opere noſtro,*

ſtro, quod per extrinſecam operationem noſtram referatur ad impetrandum ſublevationem animabus purgatorii; optime fiet, ſi ad id eligatur actus omnium præſtantiſſimus, nempe charitatis in Deum, defœcatiſſimus, atque puriſſimus. Is enim actus omnium maxime eſt Deo acceptus, & pollebit uberrima vi impetrandi refrigerium iis animabus; ſi per voluntatem operantis, eo referatur. Longe igitur ſatius eſſet, hortari fideles ad hanc praxim ſublevandi defunctos, per amorem Dei ſuper omnia, quam per communionem; quæ nec tam frequens poteſt eſſe, quam amor ſuper omnia, nec tam expedita, cum ad ſummum ſemel in die in Eccleſia peragi poſſit, nec niſi adhibito Sacerdote: ſemper tamen, & ubi vis, & abſque arbitro & adminiſtro, in promptu ſit amare Deum. Deinde oratio longa accommodatior eſt ad impetrandum, quam quivis alius actus noſter ad impetrandum directus. Ita ut, licet alia virtutum opera impetrationem promoveant, (quod ſpectarunt Patres, qui dixerunt jejunium, & eleemoſynam eſſe alas orationis,) tamen propria impetratio in ſola oratione radicatur, eſtque ejus propria, & peculiaris proprietas: ut Suarez recte cenſuit lib. 1. de orat. cap. 23. n. 1. Vt quid ergo, ſi animæ purgatorii per impetrationem juvandæ ſunt, adhibetur ſumptio Euchariſtiæ interventu orationis, ſive voluntatis orationem adimperantis, (quo ipſo rationem habet orationis:) & non potius abſque tot ambagibus recta aſſumitur oratio, & ad eam invitantur fideles, non ad communionem? hæc *n.* 40. & §. 3. & 4. *Apologiæ.* partim *ex libris bonis,* partim *ex libris malis.* de quibus ipſe opuſculum conſcripſit, infauſtum tamen, ſicut plura hujus Auctoris; cum proſcriptum ſit, & relegatum decreto ſpeciali edito *hoc ann.* 1656. à ſupremo S. Inquiſitionis Conſilio, adhibitis prudentiſſimis qualificatoribus.

PARS

PARS VII.

Debilis Leodegarii Theologia monſtratur, & aperitur.

Adnoto frequenter in hoc auctore debilem Theologiam junctam validæ eruditioni; iſta illum rapit non potentem reſiſtere, & in præcipitium ducit, & in barathrum demergit; à quo vix erui poteſt: malus ejus genius bonum vincit, & deprimit.

——— *Immerituſque laborat*
Iratis natus diis, atque poëtis.

Cum eruditio *ancilla* ſit, quam ad arcem ſuam vocat ſacra doctrina, ut ſibi inſerviat, non ut deprimat, non ut peſſumdet; ut in præſenti facit eruditio *Raynaudi*, qua abutitur, arguens ab affirmativa particulari ad negativam particularem, ac ſi diceret: *Petrus eſt albus*, ergo *Ioannes non eſt albus*. inepta profecta illatio. Sic argumentatur ad præſens: actus charitatis, qui maxime eſt Deo acceptus, pollet uberrima vi impetrandi refrigerium animabus, ſi per voluntatem operantis eo referatur; oratio longe accommodatior eſt ad impetrandum: ergo communio, ut impetratoria *inutilis eſt defunctis*. hoc profecto eſt probare *quidlibet per quodlibet*, & *à diſparatis facere illationem*, cum affirmativa ſingularis diſparata ſit ad illationem negativam pariter ſingularem. Quare pium, ſanctum, & ſalubre eſt fidelibus ſuadere, ut ad impetrandum refugium animabus purgatorii actum eliciant charitatis, orationis, & aliarum virtutum: aſt *impium* eſt, & *temerarium* dicere, non eſſe fidelibus ſuadendum, ad impetrandam requiem, & locum refrigerii animabus iſtis, ut communicent. Etenim cum communio, quatenus eſt actus noſter, ſit ſupernaturalis, & imperatus à charitate, religione, fide, & ſpe; poſſitque nobis Chriſtum unire; quis dubitat, quod poſt actus virtutum Theologicarum ſit perfectiſſimus, & addat viatoribus ſtrictiorem unionem cum Deo homine, quam actus etiam Theologicarum virium

rium ſupernaturalium ? ſi ergo actus charitatis, ſpei, & fidei, ſicut & orationis, ſi per voluntatem operantis ordinentur, polleant uberrima vi impetrandi refrigerium animabus purgatorii, cur non communio corporis Chriſti? quare & ſuadendum eſt fidelibus, ut orent, ut diligant Deum, ad impetrandum illis auxilium, & refrigerium, & inſuper ut dum communicant, communionem applicent animabus ad eam impetrationem; ut ſic unum faciant, & aliud non omittant. Utrumque enim valde conducit illis, ad impetrandum auxiliares favores, & ſubſidia.

PARS VIII.

Raynaudus notatur de inconſtantia in dictis ſuis.

Sed ponderanda eſt hujus auctoris inconſtantia, quaſi pœnitens ejus quod dixerat, quod oratio longe accommodatior ſit, quam quivis actus noſter ad impetrandum directus, quia in oratione ſola radicatur impetratio, *n.* 41. dicit: *quidquid vulgus exiſtimet, oratio prout præciſe impetratoria, inutilis eſt defunctis.*. O inſolens doctrina! ô pernicioſa ſententia! cum omnem omnino impetrationem pro animabus purgatorii auferat. etenim actus defæcatiſſimus charitatis, & aliarum virtutum non ſunt impetratorii formaliter, niſi ab oratione, quæ eſt prima radix, & origo impetrandi, cum ſit ipſa ſola petitio; ergo, ſi oratio ut impetratoria, *inutilis ſit defunctis*, etiam actus charitatis, ut impetratorius, inutilis erit, quod & contradicit ipſi Raynaudo, & pluſquam *temerarium* eſt contra praxim, uſumque totius Eccleſiæ. Quid dicent ad hæc Raynaudus in *Leodegario*, aut Leodegarius *in Raynaudo?*

Prorſus nihil reſpondent, nec gry quidem;

Ait Ariſtophanes in Pluto. niſi, ut idem in eadem fabula:

Grunnire vero audetis, etiam perditi?

PARS IX.

Theologiæ paupertas propalatur in Leodegario.

Secundo apparet veræ Theologiæ paupertas in *Doctorello Theologo* Leodegario, qui §. 4. *suæ Augiæ, stabulo* sic *fimum facit*, quantum nec tria millia boum facerent. *Verum condonemus Hurtado hanc argumentandi ruditatem. Videamus an pœnalitas in actu orandi & amandi tanta sit, quantam ipse comminiscitur.* Oratio (inquit) *submittit nos totos Deo, amor autem roborat animam, ergo sunt actus maxime pœnales. Hoc sane non est incitare equum juxta Nysam, sed vagari extra stadium; & fabrum cædere, cum ferias fullonem; ex antiquo apud Arnobium adagio. Quid enim orationi & submissioni nostræ ad Deum formaliter & præcise loquendo? an refingenda erunt omnia dictionaria, ut Hurtadus habeat novas vocum notiones, ex quibus in rem suam compingat argum. in omnibus autem vocabulariis nomen orationis significat petitionem. Vnde ergo habet Hurtado quod denotet submissionem? submissio enim non est petitio formaliter, ac directe loquendo (ut Theologiam rude donatam loqui licet) sed est actus humilitatis, quæ longe alia virtus est quam religio, ad quam pertinet oratio.* hæc ille.

Amice heus tu? audi lugubrem cantionem, quam tibi canit Apollo. *Anus velut equus profundam habebis fossam.* quam es promeritus, dum hæc effutis. mihi prosunt *dictionaria* Theologica, utriusque Theologiæ, scholasticæ, & mysticæ; tibi *dictionaria grammaticæ*, in qua excellis, cum minus versatus sis in Theologicis, in quibus oratio essentialiter est submissio. Ausculta utrumque Tho. *S. D. 22. q. 83. art. 3. in corp. Per orationem homo reverentiam Deo exhibet, in quantum scilicet se ei subjicit & profitetur orando, se indigere. sicut auctore suorum bonorum.* & *in sol. ad 3. orando tradit homo mentem suam Deo, quam ei per reverentiam subjicit, & quodammodo præsentat.* Quæ verba egregie enucleat alter Thomas. *ibi vers. si consi-*

conſideremus (inquit) *rem petitam, ſic oratione non damus Deo, ſed ab ipſo dari aliquid poſtulamus: ſi conſideremus petitionem, ſic orando offerimus Deo, nam ipſe actus petendi eſt actus ſubjectionis, & profeſſionis virtutis. Qui enim petit ab aliquo, indiget illo, ac per hoc ſe ſubjicit illi petendo; in cujus ſignum ſuperbi potius volunt indigentiam tolerare, quam ſe humiliare petendo aliquid ab aliqua perſona. Si autem conſideremus petentem, cum homo petat per mentem (quia petitio eſt actus mentis) & mens ſit nobiliſſimum quod eſt in homine; ſic petendo ſubjicimus Deo nobiliſſimam partem noſtri, dum utimur ea ad petendum à Deo, hoc eſt, ad honorandum Deum: & ſic orando offerimus, & ſacrificamus mentem Deo; ſicut genua flectendo, genua offerimus, & ſacrificamus Deo, ipſis ad Dei honorem utendo: & hoc eſt quod auctor intendit in ſolut. ad 3.*

PARS X.

In Dictionario Theologico, *oratio eſt eſſentialiter ſubmiſſio ad Deum.*

Et quidem oratio non ſolum eſt eſſentialiter *ſubmiſſio, & ſubjectio* ad Deum, in quantum eſt petitio; ſed etiam ex ratione generica Religionis, quæ eſſentialiter & ex ſua ratione habet, quod ſit *ſubmiſſio, & ſubjectio* ad Deum: cui ob ſuam excellentiam, quam homo recognoſcit, cultum defert, & reverentiam. quod ſatis ad rem dixit S. Tho. 22. *q.* 81. *art.* 3. *ad* 2. *quod eodem actu homo ſerviat Deo & colat ipſum, nam cultus reſpicit Dei excellentiam, ſervitus autem reſpicit ſubjectionem hominis; qui ex ſua conditione obligatur ad exhibendam reverentiam Deo. & ad hæc duo pertinent omnes actus qui religioni tribuuntur, quia per omnes homo proteſtatur divinam excellentiam, & ſubjectionem ſui ad Deum.* & art. 7. hujus veritatis hanc ſubminiſtrat rationem. *Per hoc quod Deum reveremur, & honoramus, mens noſtra ei ſubjicitur, & in hoc ejus perfectio conſiſtit. Quælibet enim res perficitur per hoc, quod ſubdatur ſuo ſuperiori, ſicut corpus per hoc, quod vivificetur ab*

aëre

aëre, per hoc quod illuminetur à sole. Hæc ibi. Hinc est, quod apud Patres Religio Latine idem sit, quod λατρεία Græce, λατρεία autem idem quod servitus, qua Deum colimus: ut docent Lactantius. *lib.* 4. *instit. cap.* 28. Aug. *lib.* 10. *de civit. cap.* 1. D. Tho. 22. *q.* 84. servitus autem subjectionem, & submissionem essentialiter imbibit, ut bene S. D. 3. *p. q.* 20. *art.* 1.

Ecce Raynaude, quæ *dictionaria* ut nominum notiones teneam, perlegam & manibus teneam, in quibus veram doctrinam, & sanam Theologiam deprehendo. Latina, etsi non parvipendam, non nimium curo, quæ non tam ad Theologum, quam ad *ferularios magistros* attinent. quamvis, dum excellens Latinitas veræ & sanæ Theologiæ jungitur, æstimanda sit; non tamen in ea *ultra septa* transiliendum, sed intra *cancellos* celebranda est doctrina Theologica, ut rapiatur suaviter, & percipiatur sine difficultate: ut faciunt Patres & scholastici, quibus credendum, & quos imitari decet. alias *opera, & impensa* fere inutilis redditur, & scriptor Theologus, dum docet *Meandros*, & verborum ac nominum obscuritates quærit, quibus velut *in Labyrintho* doctrinam includit; & quæ pervia esse debet, & clara, flexuosam, & inaccessibilem reddit, inextricabilem, & *labore laboriosam:* & dum fructum colligere debet lector, scriptor laborem & *tricas serit.*

PARS XI.

Quid sit submissio? Quid proprie humilitas?

Id autem quod Leodegarius objicit, quod submissio aut subjectio sit actus humilitatis, quæ longe alia virtus est ac Religio; ad quam pertinet oratio, quæ est formaliter petitio: frivolum omnino argumentum est, ortum ex ignorantia humilitatis. Quamvis enim humi serpat (*nam serpit humi tutus nimium*) at humilitatem, quæ est specialis virtus, prorsus ignorat. agit enim D. Tho. de humilitate, prout est virtus specialis. 22. *q.* 161. & ibi enu-

enucleatiſſime D. Cajet. *art.* 1. §. *ad hujus evidentiam*, verſic. *ſi vero homo.* qui doctrinam quam tradit, ſumpſit ex Patribus. (nec enim Philoſophi morales antiqui, ut egregie Aug. modo citandus agnoverunt) S. Bernardus *epiſt.* 48. *ad Henricum Senon. Archiep. Humilitas eſt contemptus propriæ excellentiæ.* & *tract. de gradibus humilitatis, gradu.* 1. *Humilitas eſt virtus qua homo veriſſima ſui agnitione ſibi ipſi vileſcit.* Quam definitionem ſic extricat profundiſſime Cardinalis. *Si homo conſideret ſe ſecundum id, quod ſui tantum eſt, referendo ſe ſic ad Deum*; & *id quod eſt Dei, & ſecundum hoc regulet æſtimationem & affectum ſuum: puta quia ſic nihil eſt, niſi defectus, culpa, offenſa, & ſic ſe æſtimat & judicat ſe omni, quod Dei eſt, ſubjici, & ſimiliter ad omnia quæ Dei ſunt, indignum ac inutilem*; *& affectum ſuum format, ut ſubditus ad Dominum, & ut indignus, & inutilis ad occurrentia: rectiſſime homo ſe habet, ſecundum virtutem quam Dominus Ieſus mundo intulit*, &c. Hanc altiſſimam virtutem ſolus Chriſtus docuit, non enim manat niſi à Chriſto; qui cum eſſet altus, humilis venit, ut ait Aug. *enarrat. in Pſal.* 31.

Sed ſicut D. Tho. 22. *q.* 104. *art.* 2. duplicem obedientiam diſtinguit, unam, quæ eſt ſpecialis virtus, cujus objectum formale eſt præceptum tacitum, vel expreſſum ſuperioris; aliam quæ eſt generalis, quæ reſpicit voluntatem ſuperioris quocunque modo inſinuatam: ita duplex ſubjectio, & ſubmiſſio neceſſario eſt diſtinguenda; una, quæ explicite reſpicit ſubjectionem ad Deum, qua ſe judicat homo ad omnia quæ Dei ſunt, inutilem, & indignum ratione ſui, ut explicatum manet, alia, qua quis ſe ſubmittit Deo, illi exhibendo cultum, petendo aliquid ut à ſupremo, cujus potentiam agnoſcit. & hæc ſubmiſſio non eſt propria & ſpecifica humilitas, ſed larga, omnes actus Religionis & latriæ, comprehendens, illiſque eſſentialis. quam autem difficile ſit ſe ſubdere Deo, etiam ex hoc motivo liquet.

§. XV.

§. XV.

Quo ſenſu ſacra communio laica *poſſit prodeſſe*, ex opere operato *animabus Purgatorii?*

Non eſt hic repetenda extricatio terminorum, *ex opere operato, & ex opere operantis*, quam abunde peregi *Reſol. illa* 11. *an.* 563. *uſque ad* 574. nam effectus ſacramenti *ex opere operato* eſt, qui cauſatur ex vi ſuæ efficaciæ, independenter à ſanctitate miniſtri; effectus vero *ex opere operantis* eſt, qui dimanat à merito aut impetratione miniſtri. Igitur difficultas eſt, an aliqua ratione communio laica poſſit *ex opere operato* prodeſſe, quantum ad remiſſionem pœnæ temporalis, animabus purgatorii. Raynaudus *in ſuo Leodegario* ſic contra me inſurgit, quia dixi aliquomodo poſſe *ex opere operato* Euchariſtiam ſumptam à laico, illiuſque communionem animas in igne pœnali ad tempus detentas, ut depurentur, juvare.

PARS I.

Opinatio Leodegarii pro Raynaudo.

Excogitavit (ait) *Hurtado alium fructum communionis defunctis ex opere operato proficuum, qui cum hactenus nemini in mentem venerit, jure Novitius audiet, nec ſua ſe animoſitate commendabit. Cedo enim vel unum antiquum, imo etiam vel unum recentiorem Theologum, qui aliter ſacramenti opus operatum expoſuerit, quam per opus Chriſti meritis perfuſum, & ex Chriſti inſtitutione independenter à miniſtri ſanctitate fructuoſum, ſi abſit obex?* ſed audiamus naſcentem ex montibus parturientibus ridiculum murem; & poſtquam frigide, & audacter impugnavit modum quem poſui ex indulgentiarum lucratione, quem expendendum reſervo ad ſequentem. §.

Sic de alio modo, quem ibidem *n.* 641. expoſui, effutit. *Quoad alteram vero viam exponendi opus operatum perceptionis ſacramenti ad mortuos transfuſibile, imprimis*

ridicule Hurtado pro novo ſuo opere operato adducit S. Tho. qui manifeſte agit de abſterſione reatus ex opere operantis, cum dicat eam reatus abſterſionem cauſari pro cujuſcumque fervore, & devotione; qui modus loquendi præfert opus operantis, non autem opus operatum. & cum D. Tho. agat de abſterſione reatus ipſiuſmet communicantis, Hurtado D. Tho. pro ſe adducit, tanquam egiſſet de reatu defuncti. Sed hoc demus Hurtado, ſæpe vocanti ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. explodendam vero, quod ex ſuo cerebro novam quandam concomitantiam inducat, qua ex opere operato tollatur reatus pœnæ. Et poſtquam abſque comprehenſione hanc concomitantiam, quam expreſſe poſuit S. Tho. rejecit; ſubdit.

Sed gratis demus collationi unionis habitualis cum Deo per communionem factæ adjungi concomitanter remiſſionem reatus. Negandum tamen eſt, eam remiſſionem ex opere operato factam ſubeſſe communicantis diſpoſitioni, ita ut poſſit eam remiſſionem à ſe abdicare, & in alium, pro ſua voluntate, transfundere. Nam ille effectus, ſi revera confertur, procedit à perceptione corporis Chriſti, prout eſt opus ipſius Chriſti; non autem prout eſt opus hominis communicantis. Dico eſſe opus ipſius Chriſti, quia ex Chriſti inſtitutione aſſumitur ad certi effectus cauſationem; non quod Phyſice ab homine non pendeat, ſed quod perinde moraliter ſe habeat, ac ſi eſſet ipſius Chriſti operatio: ſicut gratia proveniens, quamvis Phyſice ſit actus hominis, tamen moraliter tribuitur Deo, dicitur que fieri in nobis ſine nobis. Sicut ergo actio illa, quæ propterea dicitur opus operatum, quatenus concilians gratiam, non ſubeſt hominis diſpoſitioni; ſed independenter ab ejus conditione, & voluntate exerit vim ſuam quoad primarium bonum homini collatum: ita etiam quoad acceſſoriium, hoc eſt, quoad reatus temporarii abſterſionem, ſi admittatur, eam per ſacramentum conferri. Vnde homo non eſt ejus dominus, nec poteſt de ea diſponere in alterius bonum. In quo eſt diſparitas inter actum ſatisfactionis ex opere operantis elicitum, de quo homo operans poteſt in alterius commodum diſponere, quoad vim ſatisfactivam; quia

hoc

hoc opus non est moraliter opus Christi, sed hominis divinitus adjuti. Secus vero res se habet in opere operato.

Verum non fuit cur sollicite insisterem dejiciendæ huic molitioni Hurtadianæ, ad invehendam novam concomitantiam causativam detersionis debiti pœnæ ex opere operato; cum ipsemet primus hujus inventi faber ultro fateatur, hoc totum incertum esse, & se imitatione Patrum hæreses impugnantium, ultro ad alterum extremum procurrere hac in parte: & poterat æque dicere imitari se Asotos, de quibus scriptum est: dum vitant stultivitia, in contraria currunt. Ita ille.

PARS II.

Ventosa est, & inanis.

Hæc sunt ventosa & inania *blateramenta*, quæ Raynaudus insufflavit *in suum Leodegarium*; sed utriusque novacula, dum me depilare curat, *in cotem cecidit*, in qua retunditur:

——— *Et fragili quærens illidere dentem,*
Infringit solido.

Quare factus est *uter fastu plenus*, *inani flatu*, absque ingenio tumens, ut in superioribus non semel feci periculum de utroque, quibus non incongrue aptantur versus Thimonis Phliasii:

Quæ vos seducunt rixæ, vel qui blaterones?
Ah vento si utres quos implet opinor inani est.

Ventoso enim folle inflati veram sententiam conspurcant, & fastu territant, eam defendentes; sed non est de eorum fastu timendum; *Callippideos* enim mores habent, qui cum multa se facturos & probaturos minentur, nihil re ipsa conficiunt, nisi loquendi modos inutiles, & scandalosos fidelibus.

Et, ut ab hoc ultimo quod dicit retrograde impugnationes incipiam; nunquid etiamsi adhuc sollicitior exiterit, *molitionem* meam evertit, aut dejecit? quo *ariete?* qua validi argumenti *machina?* qua authoritate Patrum

aut conciliorum, contrarium vel leviter insinuantium? fundamina enim meæ opinationis inconcussa manent, & intacta, quæ ipse nec attigit mente, aut intelligentia conspexit. volens enim Raynaudus tueri contra Catholicos, quos ipse finxit (cum nullus talis sit, qui id asserat,) quod Eucharistia *ex opere operato*, tanquam *cibus* & *potus* perceptus ex *vi perceptionis*, & usus sacramenti, prosit sacramentaliter animabus Purgatorii; velut *Asotus* stultus, vitans unum vitium, in aliud contrarium incurrit: negans tam Eucharisticam communionem, quam orationem, ut impetratoriæ sunt, *utiles* esse defunctis *ex opere operantis*. quod, quam alienum sit à pietate fidelium, & Ecclesiæ praxi, jam vidimus & rejecimus, tanquam *pannum lacerum*, cujus *ne fila* subsistunt. Unde ut vitaret extremum erroneum, amplexatus est, *ut stercora*, aliud extremum *temerarium*, & ab Ecclesia *publico decreto* proscriptum, & exsibilatum publico edicto & præconio, cujus vox ad terminos usque orbis terræ est audita, & relegati *Attabas & Numenius* benevoli defunctorum trucidatores. Melius ego, ut hanc temeritatem fugerem, in alterum me posui extremum; ut modum excogitarem, quo sanctis animabus gurgiti pœnarum addictis, possit Eucharistia sumpta à laico proficere, aliquo modo *ex opere operato* pie & Catholice expositio. Ut peregi, & amplius peragam, & enucleabo. quare Leodegarius non debebat *verrucis meis* ita offendi, quando ipse *tubera tam ingentia* habet; & meos defectus

——— *Tam cernit acutus,*
Quam ut aquila aut serpens Epidauriius:

Et videat suos *lippus, oculis inunctis.*

PARS III.

Ranauydus in Leodegario *non eſt aſſecutus mentem S. Tho.*

Progredior ad alia. Imprimis Raynaudus in Leodegario mentem S. Tho. non eſt aſſecutus *in* 3. *p. q.* 79. *art.* 5. Ubi de Euchariſtia, ut ſacramento, duo aſſerit. 1. *Quod ſacramentum habeat effectum dupliciter: uno modo directe, ex vi ſacramenti; alio modo quaſi ex quadam concomitantia; ſicut de continentia ſacramenti dictum eſt. q.* 76. *art.* 1. *&* 2. *ex vi quidem ſacramenti, directum habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum; non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum, per unionem ad Chriſtum, & ad membra ejus: ſicut nutrimentum unitur nutrito.* 2. *Eſt, quia hæc unitas fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis conſequitur non ſolum remiſſionem culpæ; ſed etiam pœnæ. Inde eſt, quod ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo conſequatur remiſſionem pœnæ; non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ devotionis, & fervoris.* Ita ibi ad verbum.

Quam profundiſſimam doctrinam Angelici Doctoris non eſt aſſecutus, ut dixi, Raynaudus *in Leodegario ſuo*; & certe delirat in his quæ dicit. 1. Quod hanc concomitantiam remiſſionis pœnæ ad principalem effectum ex vi ſacramenti, ego ex meo cerebro novam induxerim. Cum S. D. conceptis verbis eam concomitantiam remiſſionis pœnæ cum primario effectu ſacramenti Euchariſtiæ conſtituat, quam conſtituit *q.* 76. *art.* 5. inter exiſtentiam ſanguinis cum corpore ſub ſpeciebus panis, & exiſtentiam corporis cum ſanguine ſub ſpeciebus vini; ad hunc enim art. ſe remittit: atqui *ex opere operato & ex efficientia, aut efficacia* verborum ponitur ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & corpus ſub ſpeciebus vini. (neque enim à voluntate miniſtri hoc pendet, ſed ex Chriſti inſtitutione; qui inſtituit quod corpus ſuum, ut modo eſt,

poneretur ſub ſpeciebus panis; & ſanguis, ut modo eſt, ſub ſpeciebus vini.) modo autem eſt ſanguis conjunctus corpori, & corpus conjunctum ſanguini; & ſic modo efficientia verborum conſecrationis corporis cauſat corpus, & ſanguinem ſub ſpeciebus panis: & efficientia verborum conſecrationis ſanguinis cauſat ſanguinem, & corpus ſub ſpeciebus vini: quamvis ex vi ſignificationis verborum, ſanguis ponatur ſub iſtis, & corpus ſub illis.

Unde S. D. *q.* 81. *art.* 4. *ad.* 2. dicit, quod ſi tempore paſſionis Chriſti fuiſſet hoc ſacramentum conſecratum, ſub ſpecie panis fuiſſet *ſolum corpus*, & ſub ſpecie vini fuiſſet *ſolus ſanguis*. Videat ergo Raynaudus *in Leodegario*, quam turpiter errarit, dicendo me *ridicule* diſtinxiſſe *efficaciam verborum* ab *ex vi verborum*; quamvis enim verba, dum ex vi verborum ponunt corpus ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpeciebus vini, id efficaciter efficiant efficacia directa: aſt ad aliquid habent efficaciam, ad quod ſe extendunt *ex vi verborum*, ut eſt res certa ſecundum fidem, ſic definiente Trident. Synodo *ſeſſ.* 13. *cap* 3. & *can.* 1. eſt ne ridiculus homo qui doctrinam ſanam & Catholicam docet, quam nullus re ipſa negare quit? quare *fulgur ex pelvi*, ut aſſolet, jecit Leodegarius. *me enim* (ut ajebat Aug. *lib. de hareſ. ad quod vult Deus cap.* 1.) *non hoſtium turba; non quaſi vitrea fulgentia terrent arma.*

Sicut autem *ex opere operato* per concomitantiam *efficacia ſua* verba conſecrationis corporis ponunt ſanguinem, qui hic eſt connexus cum corpore, quod ponitur ex vi verborum: ita philoſophatur S. D. de remiſſione pœnæ temporalis, quæ fit per concomitantiam ex Euchariſtia ſuſcepta, *quia illa eſt connexa cum primario effectu Euchariſtiæ, qui eſt unio cum Chriſto ad ſpiritualiter nutriendum; quæ unitas per charitatem: ex cujus fervore non ſolum quis conſequitur remiſſionem culpæ, ſed etiam pœnæ. Vnde hujus pœnæ remiſſio fit per concomitantiam ad principalem effectum; principalis autem hujus ſacramenti effectus non ſolum eſt charitas, quantum ad habitum: ſed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc ſacramento, per*

quem

quem peccata venialia ſolvuntur. Vnde manifeſtum eſt, quod virtute hujus ſacramenti peccata venialia remittantur. Hæc D. Tho. *art.* 4. *cit. q.* 79. ex qua doctrina colligit *art.* 5. quod, cum veniale peccatum, quoad culpam non remittatur ſine remiſſione alicujus pœnæ; hujus remiſſio *per concomitantiam* ex conſequenti cauſetur ab hoc ſacramento. Unde prorſus contra doctrinam D. Tho. explicatur de remiſſione pœnę *ex opere operantis*, cum re ipſa ſit *ex opere operato*, per connexionem, quam habet cum effectu primario hujus ſacramenti; ſcilicet actus charitatis, cujus fervor extinguit venialia: & ex conſequenti partem pœnæ, quæ remittitur.

PARS IV.

Euchariſtia, ut ſacramentum, remittit immediate pœnam temporalem.

Addo juxta doctrinam Dicaſtilli. *tom.* 1. *de ſacramentis tract.* 4. *de ſacramento Euchariſtiæ diſp.* 8. *an.* 128. *uſque ad* 132. quod Euchariſtia ut ſacramentum, habeat virtutem remittendi immediate, & per ſe pœnam temporalem, quæ relicta eſt in homine remiſſa culpa. Sic enim fatur poſt multa *n.* 129. *Non minus verum eſt, quod ſacramentum pœnitentiæ non remittat pœnam, niſi remittendo culpam, quam quod ſacramentum Euchariſtiæ non remittat etiam pœnam, niſi remittendo culpam. Imo certius, notius, & clarius eſt, ſacramentum pœnitentiæ eſſe inſtitutum ad remittendam culpam primario, & per ſe, & ſecundario, & quaſi conſequenter pœnam ex opere operato; quam ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum primario ſit inter alios effectus, ad remittendũ venialia, & conſequenter ac quaſi ſecundario pœnam. Hoc tamen non obſtante, etiamſi quis accedat ad pœnitentiam, ſolum exhibendo pro materia peccata jam dimiſſa; per virtutem illius ſacramenti concedere debemus ex opere operato, juxta menſuram diſpoſitionis, remitti totam pœnam, aut partem illius, ſi qua adhuc reſtabat remittenda ex ipſis peccatis jam antea commiſſis. Ergo*

pari ratione dicendum est in Eucharistia: alias, quantum ad remissionem pœnæ, pejoris esset conditionis, cæteris paribus, ex parte dispositionis, qui accederet ad Eucharistiam dimisso jam veniali, quam qui cum illo accedit. Ex quibus omnibus mihi probabilissimum videtur, per sacramentum Eucharistiæ, sicut & per sacramentum pœnitentiæ, remitti ex opere operato, pro mensura dispositionis in suscipientem, pœnam ejus culpæ, quæ jam antea præsupponebatur remissa. Hæc ille satis bene.

Quæ doctrina satis conformis est D. Tho. *n.* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 1. *ad.* 3. ubi, cum objecisset sic. *Baptismus est potissimus sacramentorum, maxime quantum ad effectum, ergo baptismus, vel alia sacramenta deberent vel similiter, vel magis prodesse defunctis, sicut sacramentum altaris:* sic respondet: *ad* 3. *dicendum quod baptismus sit quædam spiritualis regeneratio; unde sicut per generationem non acquiritur esse nisi generato, ita baptismus non habet efficaciam* (nota terminum *efficaciam*) *nisi in eo, qui baptizatur, quantum est ex opere operato: quamvis ex opere operantis, vel baptizantis, vel baptizati possit aliis prodesse, sicut & cætera opera meritoria. Sed Eucharistia est signum ecclesiasticæ unionis, & ideo ex opere operato ejus efficacia in alterum transire potest, quod non contingit in aliis sacramentis.*

Certe quidem hoc testimonium manifestissimum est contra Raynaudum, quidquid ganniat, & grunniat Leodegarius. Cum enim S. D. *in corpore articuli* nullam fecerit distinctionem inter Eucharistiam, *ut sacramentum*, & *ut sacrificium*; sed de ipsa sit locutus, quatenus est sacramentum Ecclesiasticæ unionis, continens illum in quo tota Ecclesia unitur, & consolidatur, scilicet Christum, & sic Eucharistia sit charitatis origo, sive vinculum, quod habet, & ut est sacramentum, & ut est sacrificium; imo juxta communem sententiam prius habeat hoc ut sacramentum, quam ut sacrificium: (prius enim est quod Christus sit sub speciebus, quam quod sacrificetur; ideo enim sacrificatur, quia consecratur, & non ideo consecratur,

cratur, quia ſacrificatur.) & quia Euchariſtia eſt ſignum Eccleſiaſticæ unionis, ideo ejus efficacia in alterum tranſire poteſt. Ergo Euchariſtiæ non ſolum ut ſacrificium, (ut perperam interpretatur Raynaudus *in ſuo libello n.* 45.) ſed etiam prout ſacramentum eſt, efficacia in alterum tranſire poteſt: quod non contigit in aliis ſacramentis. Si enim D. Tho. ſenſiſſet, quod Euchariſtiæ, ut ſacramenti, efficacia in alios tranſire nequeat, ſed quod ſolum ſit ſacramentum; facillima erat diſparitas inter ipſam, & alia ſacramenta, dicendo, quod Euchariſtiæ efficacia tranſeat in alios, ut ſacrificium, eſt, quod non habent alia ſacramenta. at S. D. hanc rationem non dat, ſed eam quæ convenit Euchariſtiæ ut ſacramento, & ut ſacrificio; ſcilicet quia *eſt ſignum Eccleſiaſticæ unionis, & ideo ex opere operato ejus efficacia in alterum tranſire poteſt: quod non contingit in aliis ſacramentis, quæ non ſunt ſigna hujus unionis.*

PARS V.

Hæc remiſſio pœnæ temporalis ſubeſt diſpoſitioni liberæ communicantis.

Sed revenio ad id quod Raynaudus dicit *in ſuo Leodegario*, qui ſic ait. *dato, & non conceſſo, quod huic unioni cauſativæ per Euchariſtiæ ſacramentum ſit adjuncta remiſſio reatus pœnæ ex opere operato, negandum tamen eſt, ſubeſſe communicantis diſpoſitioni; ita ut poſſit eam remiſſionem à ſe abdicare, & in alium pro ſua voluntate transfundere; nam ille effectus, ſi revera confertur, procedit à perceptione corporis Chriſti pro ut eſt opus ipſius Chriſti, ex inſtitutione ipſius ad certi effectus cauſationem. Unde non ſubeſt voluntati, & libera diſpoſitioni communicantis.*

Miror valde, quod huic frivolæ rationi, & arundineo fundamento nixus Raynaudus *in Leodegario*, praxin omnium fidelium velit evertere; qui communionem applicant animabus purgatorii, propter unionem charitatis, quam cum illis habent. *Charitas enim* (ut ait *D. Tho. in* 4.

diſt. 45. q. 2. art. 1. q. 2. in corp.) eſt *vinculum uniens membra Eccleſiæ, & non ſolum ad vivos ſe extendit, ſed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt; charitas enim vita hominis non finitur, quia charitas nunquam excidit:* ac per conſequens ſacramentum Euchariſtiæ, quæ eſt ſignum hujus unionis & vinculi charitatis, in quantum cauſat pœnæ remiſſionem, quæ animabus dumtaxat poteſt prodeſſe in purgatorio, ſi illis applicetur à communicante ex liberalitate aut miſericordia, in illis abſterſionem reatus cauſabit *ex opere operato.*

Hoc explico doctrina, quæ apud me eſt certa, videlicet, quod Sacerdos poſſit alteri applicare partem, quæ ſibi obvenit *ex opere operato* ſacrificii, imo & quod pro iſta applicatione poſſit aliud ſtipendium aſſumere, quod ego docui *tom.* 1. *Moralium tract.* 2. *Reſol.* 17. *an.* 170. *& ſequentibus.* & quamvis, quantum ad aſſumendum aliud ſtipendium, præter illud quod accipitur pro applicatione ſacrificii, quoad effectum medium, retractabo in Apodigmate, quod de me ipſo facio; tamen quod Sacerdos poſſit vivis, aut defunctis fructum, quem alias habet ut celebrans, & ſacrificans, *ex opere operato* ſacrificii applicare, mihi certiſſimum eſt. Ita Navarrus *in Manuali cap.* 25. *n.* 92. Nunnus 3. *q.* 83. *art.* 1. *pag.* 489. *&* 491. Moara *in exami. p.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. Miranda *tom.* 1. *Manualis q.* 41. *art.* 4. *concluſ.* 1. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 21. *n.* 7. *&* 8. Molfeſius *tom.* 1. *ſummæ tract.* 3. *cap.* 15. *n.* 40. Bartholo. ab Angelis *in exami. Dialog.* 5. *n.* 507. Diana *q.* 1. *tract.* 14. *Reſol.* 14. Hos citavi loco citato; quibus addo noſtrum Remigium, *in ſumma* ſatis practicata & recepta. *tract.* 5. §. 6. *n.* 2. Joannes de Soria *in epilogo ſummarum p.* 2. *tract.* 1. *ſect.* 5. *diſp.* 2. §. *circa* ſtipendium. Philibertus Marchin. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 16. *n.* 7. *&* 12. probabilem tenent. Homo bonus *p.* 2. *examinis tract.* 4. *cap.* 3. *q.* 225. & multi graves viri, quos eam docuiſſe dicit Naldus *in ſumma verb. Miſſa n.* 12. Philiarchus *de officio Sacerdotis p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. Fernandez *in examine p.* 3. *cap.* 5. §. 2. Scotus *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 5. Scorcia *de ſacrificio Miſſæ lib.* 1. *cap.*

cap. 9. n. 2. nec ab hac ſententia recedit doctiſſimus P. Antoninus Diana *p. 11. tract. 7. Reſol. 27.* quantum ad hoc, quod poſſit Sacerdos partem ſacrificii *ex opere operato* ſibi obtingentem alteri, ſive vivo, ſive defuncto applicare; ſed quantum ad hoc, quod poſt Decretum Urbanum maxime poſſit quis pro hac applicatione aliud ſtipendium ſumere. Primus enim inter modernos ſcriptores, qui negavit hujus partis poſſe fieri alteri applicationem (quamvis fieri poſſe, judicet probabile) fuit P. Franciſcus Suarez. *tom. 3. in 3. p. diſp. 79. in fine*, quem aliqui ſunt ſecuti ex ſocietate, & alii extra ſocietatem: ſed non in tanto numero, in quanto ſunt noſtram ſententiam ſecuti.

Ex hac doctrina hoc efficax deduco argum. à quo non facile ſe liberabit Leodegarius. Sacerdos partem fructus, qui ſibi reſpondet *ex opere operato* ſacrificii poteſt alteri vivo, aut defuncto applicare, non obſtante quod actio ſacrificii proveniat à Chriſto Domino, ut à principali offerenti, fructuſque iſte ſubeſt liberæ diſpoſitioni ſacrificantis; ergo fructus ſanctificationis, qui ex concomitantia, aut immediate cauſatur ab efficacia ſacramenti Euchariſtiæ in communicante, poteſt ab illo applicari ſive vivis, ſive defunctis. & ſicut in ſacrificio, ſuppoſita liberali applicatione, & abdicatione ſacrificantis, ſacrificium *ex opere operato* cauſat hunc effectum in eo cui applicatur, & in quem ceditur jus ad illum fructum: ita Euchariſtia *ex opere operato* illam ſatisfactionem operabitur in anima purgatorii, cui ceditur & liberaliter donatur. quare ſi ſit neceſſaria operatio libera applicans, tamen ea poſita *ex opere operato* cauſat, ſicut libere applicatur ignis combuſtibili, tamen *ex opere operato* comburit.

PARS VI.

Pœna temporalis duplex remiſſio.

Sed notandum eſt, ut hoc penitus comprehendatur, quod pœna dupliciter poſſit remitti. Primo ex vi remiſſionis culpæ, cum qua ita eſt neceſſario connexa, ut nun-

nunquam possit subsistere reatus pœnæ, nisi existente remissa culpa, & talis est pœna æterna debita peccato mortali, & hujus pœnæ æternæ remissionem nullus potest alteri applicare per modum aliquem, sive *ex opere operato*, sive *ex opere operantis*; quia nullus potest se subjicere pro alio pœnæ æternæ, quæ non debetur nisi mortali peccato. quare ista *ex oper[illegible]erato* ita abstergitur, ut hoc sit beneficium irrenuntia[illegible]e in alium. Secundo potest remitti pœna ex vi remissionis culpæ, quod illà pœna alias non habeat connexionem immutabilem cum culpa; sed sine ista possit existere illa pœna, imo & major, temporalis tamen: & talis est, quæ debetur peccato veniali. quamvis enim ex vi remissionis culpæ venialis, pars pœnæ purgatorii illi debitæ *ex opere operato* per concomitantiam remittatur, tamen potest quis libere cedere huic remissioni pœnæ, volens eam luere in purgatorio, ut anima quæ ibi existit immersa gurgiti pœnarum, ea relevetur à tormentis: quia quod hæc remissio sit *ex opere operato*, non obest, ut in sacrificii fructu vidimus ex tot, tam gravibus doctoribus. Unde fit, quidquid dicat Suarez *ubi supra*, quod possit quis satisfactionem, quam acquirit ex adimpletione pœnitentiæ sibi impositæ à confessario, non in quantum est medicinalis, sed in quantum est satisfactiva pro pœna relicta ex peccatis applicare animabus purgatorii; volens ex charitate illam ibi pati, quam quod anima ibi existens patiatur, confidens quod aliis mediis Deus remittet gratis, per indulgentias, aliisve modis absolvet. Ecce Leodegari quomodo ex te, occasionaliter, *ridiculo mure*, exierit mons aureæ doctrinæ, qua

Icurio stolidam præbet tibi vellere barbam
Iuppiter.

Quando *vulsum* me & *depilatum* vocitas.

§. XVI.

§. XVI.

Convenit excitare fideles, ut pro animabus purgatorii communicent, ut fructum ſacrificii ſibi obtingentem, ex opere operato, *applicent.*

Sancta Tridentina Synodus. *ſeſſio.* 22. *cap.* 6. ſic fatur. *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus ſacrificii fructus uberior perveniret.*

PARS I.

Communicans digne participat fructum ſacrificii.

Ex quibus liquet, quod qui ſacramentaliter digne communicat, participet fructus hujus ſacrificii *ex opere operato*; id quod nullus Catholicus negare audebit, quod confirmat Sancta Eccleſia in collectis, quibus utitur in Miſſis poſt communionem, & ſecretis quas dicit Sacerdos nomine illorum, qui participarunt Euchariſtiam, eamque ſacramentaliter participabant in *Secreta Dominica* 16. *poſt Pentecoſten.* precatur Sacerdos: *munda nos, quæſumus, Domine, ſacrificii præſentis effectu. & in poſt communio.* in feſto S. Hilarii. Ut *nobis Domine tua ſacrificia dent ſalutem*, &c. unde paſſim ſacramenta, quæ ſumunt fideles, ſacrificia nuncupat, id eſt, ſacrificii participationes. & ratio eſt perſpicua, quia fideles, cum communicant, participes fiunt ſacrificii, quod illorum nomine fecit Sacerdos, tanquam miniſter publicus. Unde neceſſum eſt, ut, ſi non ponatur obex, participent fructum ſacrificii, quem cauſat *ex opere operato.* Unde, etiamſi communicans non adſtiterit Miſſæ, in qua percipit Euchariſtiam, vel communionem accipiat à Sacerdote non celebrante (ut quotidie contingit, & frequens eſt, cum infirmus

firmus recipit viaticum) adhuc est particeps fructus sacrificii, quia particeps est sacrificii illius, in quo consecratum est corpus Christi, quod oblatum est pro omnibus fidelibus. Et sic, quicumque communicat, cum sit Ecclesiæ membrum, participat de fructu sacrificii, & non solum sacramenti.

PARS II.

Etiam de eodem fructu participat, in quantum est specialis offerens.

Rursus communicans in Missa, cui assistit, habet alium specialissimum, & non parvum fructum ipsius sacrificii, in quantum scilicet est specialis offerens sacrificium medio ministro publico. quod, ut intelligatur, notandum est cum Dicastillo, *tract. 5. de Euchar. disp. 3. n. 139.* offerentes Missæ sacrificium esse in quadruplici differentia. Primo est principalis offerens Christus. Secundo sunt Sacerdotes, qui proxime offerunt tanquam proprii ministri ad id deputati, qui in persona Christi sacrificium conficiunt, & offerunt. Tertio fideles, qui per aliquem actum externum concurrunt ad hoc sacrificium, videlicet petendo, aut procurando ut fiat, vel inserviendo sacrificanti, aut consentiendo, ac moraliter cooperando. Quarto offerentes sunt omnes fideles, quatenus constituunt unam Ecclesiam, qui remote, & per quandam denominationem extrinsecam dicantur offerre hoc sacrificium; sive quia, sicut corpus dicitur operari id quod manus facit, quia per suum membrum facit, ita dicitur Ecclesia præstare per suum membrum, quod est Sacerdos; sive quia Sacerdos, quatenus talis, constitutus est ut minister publicus, ad præstanda Deo totius Ecclesiæ munera.

De primo & secundo offerente non est dubium. de quarto *tom. 2. de congrua sustent. Ecclesiast. omnium digressione de valore Missæ late* dixi. de tertio tamen offerente, ita certum est concurrere ad sacrificium, ex illoque habere *ex opere operato* fructum, ut negari nulla ratione possit:

possit: sive fructus iste *ex opere operato* sit immediata remissio pœnæ temporalis, ut volunt Suarez. *disp. 79. cit. sect.* 8. Henriquez *lib. 9. de Missa cap.* 20. *n.* 2. & multi alii, quos citavi. hic autem effectus sacrificii *ex opere operato* erit major vel minor, secundum majorem vel minorem dispositionem offerentium; quia ut isti percipiant hunc fructum, necessaria est bona dispositio offerentis. ex D. Tho. *3. p. q. 79. art. 6. & 7. q. 83. art.* 4. *ad.* 8. ibi. Petit Sacerdos, ut sic hoc sacrificium acceptetur à Deo ex devotione fidelium, sicut antiqua accepta fuerunt à Deo; sive effectus & fructus iste sit impetrationis, est tamen *ex opere operato*, ut vult Cardinalis de Lugo. *disp.* 19. *de Eucharist. n.* 237. quia omnes per Sacerdotem orant, & ipse Sacerdos etiam orat, & offert ad impetrandum pro omnibus. Unde ipse Sacerdos offerens sacrificium nomine omnium circumstantium, quorum fides cognita est, & nota devotio, *ex opere operato* sacrificii impetrat per orationem id quod petit ipse, aut petunt offerentes: cumque possint petere remissionem pœnæ animabus purgatorii, illam *ex opere operato* impetrabunt, juxta doctrinam Lugonis, quam seq. *Vazquez* 3. *p. disp.* 231. *n.* 12. & consentit Coninch. *q.* 83. *dub.* 9. *n.* 162.

Sed opinio Suarez verior est, & omnibus Antiquis conformior: est enim eadem ratio in fructu impetrationis sacrificii *ex opere operato*, ac in fructu remissionis pœnæ *ex opere operato*; quodcumque enim *opus operatum* sacrificii incruenti oritur ex Christi institutione, quatenus Sacerdos offert nomine Christi, ex quo titulo habet quod sit oblatio munda. Cujus efficaciam fundat *Trident. sess.* 22. *cap.* 2. quia *eadem* est *nunc oblatio incruenta, & idem offerens Sacerdotum ministerio se ipsum, in oblatione cruenta se obtulit in cruce.* quæ ratio æque valet in quocumque fructu *ex opere operato*, sive sit remissio immediata pœnæ, sive sit impetratio ejus, quod petitur: non enim petit Sacerdos, nisi vel nomine Ecclesiæ, quæ est munda, sive nomine Christi. cumque oblatio hujus vel illius personæ *laico modo* offerentis radicetur in oblatione

quam

quam facit Sacerdos, ut minister publicus, offerens nomine Christi; virtute hujus radicationis & conjunctionis vim habet, ut *ex opere operato* habeat effectum remissionis pœnæ, sicut habet oblatio Sacerdotis: nam causa subordinata alteri, operatur in virtute subordinantis.

PARS III.

Praxis fidelium applicantium communionem bene fundata est.

Ex quibus liquet, quam bene fundata sit praxis fidelium applicantium communionis fructus tam uberes, quos habet communicans, animabus purgatorii; nam habet fructum *ex opere operato*, in quantum participat de sacrificio; habet etiam fructum *ex opere operato* sacrificii, in quantum concurrit cum Sacerdote, & est offerens inferior cum illo; sicut enim Sacerdos offert in virtute Christi, qui est principalis offerens; ita laici offerentes offerunt in virtute Sacerdotis, qui respectu illorum est principalis offerens, ut minister publicus ad id deputatus ex institutione Christi, ex vi ordinis Sacerdotalis. Unde laicus qui offert sacrificium, ipsum petendo, dando eleemosynam, si insuper ministret Missæ, & in illa communicet, triplicem habet fructum sacrificii *ex opere operato*, quantum ad remissionem pœnæ; & quia dat eleemosynam, qui est specialis modus offerendi, & quia ministrat, & quia communicat, & fit particeps sacrificii. quos omnes fructus supra cum magna gravissimorum testium nube, dixi posse applicari animabus purgatorii. quare dicere *consulendum esse, ne laici communicent pro animabus purgatorii*, omnino caret pietate, cum illas privet tot ac tantis fructibus, qui juxta magis probabilem sententiam illis possunt applicari; hoc enim securius est, & nullum inducit inconveniens, si fiat, & alias potest esse magnum juvamen animabus afflictis vehementibus tormentis: & ad minus illas hoc modo juvare, magna est misericordia, & pia affectio, & erga defunctos memoria.

Unde

Unde *inepte* Raynaudus ſuam *opellam* concluſit dicens. *Ab illis idoneis ſubſidiis (quibus juvantur fidelium defunctorum animæ) procul abeſt, cum communio, attento opere operato ſacramenti, tum alia pleraque falſa, & vana ibidem diſcuſſa. de quibus jure repetito principio, illa Innocentii uſurpabo: falſa ſunt abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora.* nunquid eſt *verum periculum*, tot ac tantorum virorum ſequi piam ſententiam de applicatione fructus, quorum numeravi ſeriem, & quos cauſat ſancta communio *ex opere operato?* nunquid eſt verum periculum amplecti fidelium praxim? nunquid eſt *falſum remedium*, quod poteſt cauſare ſalutem? nunquid abjiciendum *remedium*, quod pro ſuo juvamine, & ſubſidio expectant & petunt afflictæ animæ, ut revelatum eſt pluribus viris & fœminis in ſanctitate conſtitutis? Quare Raynaudus principio Innocentii præclaro & illuſtri abutitur, ad ſuam confirmandam audaciam. *Eburneis raſtris ſolum vertit, ligonibuſque aureis terram putidam fodit.*

§. XVII.

Qualiter communio à laico celebrata, injuncta ad lucrandam indulgentiam proſit fidelium defunctorum ſanctis animabus ex opere operato?

Ego ad doctrinæ abundantiam, & ut univerſalis illa fœtida Raynaudi, quod communio facta à laico, & applicata defuncto, *parum aut nihil juvaminis illis conferat*, dixi *Reſol. illa cit. an.* 676. quod ſi Pontifex concedat indulgentiam defunctis applicabilem, ea conditione, ut qui eam lucrari voluerit, faciat opus bonum communicandi; hæc communio indulgentiam cauſabit *ex opere operato*, non ex mera liberalitate, ſed ex juſtitia. pro qua ſententia, quæ certa eſt, plures doctores citavi; quibus adjungo Gabrielem Henao, magnum Raynaudi defenſorem, qui, *tomo de Euchariſtia diſp.* 13. *n.* 52. *Neque negandum eſt, ait, ſumptionem Euchariſtiæ prodeſſe poſſe ex opere etiam operato animabus purgatorii, ſi indulgentia à Pontifice conceſſa ſu-*

mentibus Eucharistiam valide, ex ipsius Pontificis facultate, applicetur prædictis animabus. Nam opus injunctum ad lucrandam indulgentiam concurrit ex opere operato ad illam. addidi posse hoc fieri ab his, qui sub Monarchiæ Hispanæ, quæ est fidei tutela, & hæresum ruina, imperio degunt, habentes *bullam cruciatæ.*

PARS I.

Conceptionis Leodegarii abortus.

In hanc sententiam debili judicio ab illo conceptam sic fatur *in Leodegario suo.* §. 6. (notentur opprobria quæ in me jacit, ut Lectores agnoscant, quo jure in eum insurgam aliquando acriter) *Hic* (ait Leodegarius *Raynaudi*) *rursus Hurtado de more saltat extra chorum, & pro solemni sua prærogativa quidlibet infert ex quolibet. Cum enim agamus de fructu perceptionis corporis Christi, quorsum introducit indulgentiam? At bone, non omnis qui communicat, consequitur indulgentiam, præsertim mortuis applicabilem? sed inquit, bulla cruciata est pro omnibus. Iterum dico, ô bone, num tuis dumtaxat Iberis eam bullam ad manum habentes scribis? An putas nullos esse alios fideles ad sacram mensam accedentes, quam qui trans Pyrenæos degunt? Gallia orbis oculus, Anglia, Germania, Polonia, Lithuania, & major pars Italiæ, quæ sit bullæ cruciatæ, vix de nomine norunt; tantum abest, ut ex ejus facultate indulgentias defunctis applicabiles: vix sunt ad manum nisi beneficio icuncularum æneorum, aliorumve hujusmodi pietatis instrumentorum Pontificia benedictione initiatorum, quibus omnino multi fideles destituuntur. Quomodo ergo communio illorum juvabit defunctos ex opere operato? Itaque prorsus extra rem Hurtado poscenti trullam, porrigit cœmentum, & pro sacramenti perceptione, de qua quæritur, adducit indulgentiam, quæ non nisi per accidens perceptioni illi adjungitur. In toto igitur Hurtado manifeste est magnus Nugipolyloquides.* hæc Leodegarius.

PARS

PARS II.

Evellitur ut indecora verbis & doctrina.

O *fatue Leodegari!* si ea deliria, quæ his verbis profers, essent persequenda, vix multorum annorum scriptiones sufficerent ad ea impugnanda, pauca adnotabo, ut tuam agnoscas inscitiam. 1. Sit, quod dicis me *extra chorum saltare* (possem, quia chorista sum, quod tu non poteris, cum *extra chorum* semper sis) quia ad probandam Eucharistiam posse adducere fructum *ex opere operato*, eam introduxi, cum designatur ut opus, ad lucrandam indulgentiam defunctis applicabilem, quam causat communio *ex opere operato*. hoc enim ita certum est, ut tu negare nequires, nisi, ut multa negas, temerarie contra fidelium praxim, & usum Ecclesiæ. Unde ex hoc rursus inferebam: ergo perceptioni Eucharisticæ non repugnat causare effectum extra sumentem, in animabus scilicet purgatorii; si ergo potest communio ex *institutione* Pontificia, quantum ad indulgentiam causandam *ex opere operato*; ruunt tota illa machinamenta, quibus uteris ad persuadendum, quod perceptio Eucharistiæ ex institutione divina nulli prosit nisi sumenti: tum quia est medicina, quæ solum prodest sumenti; tum, quia est cibus, & vita animæ, ipsius nutrimentum, quod solum prodest sumenti; si enim hæc attributa præcise habet Eucharistia, respectu eam percipientis ex *divina institutione*, nullatenus posset Pontifex facere, quod *ex opere operato* causaret remissionem pœnæ in animabus purgatorii media indulgentia; quia Pontifex nequit statuere contra divinam institutionem. Si ergo statuit, manifestum est quod communio non prosit solum percipienti, & sumenti Eucharistiam. & hoc probare fuit intentum illius mei manifesti argumenti; quare tibi poscenti *trullam*, ad liniendum porrexi *cæmentum* sanum & Catholicum; &, cum non movenda moves, *cœnum* è trivio colligas, quo veritatem conspurcas: ut nunquam fere, quod bibas, invenias; Lym-

pham limpidam, & cryſtallinam porrigo, ſed in aqua optima hæres, ſiquidem à vero aberrans, verborum *fucis & ſtrophis* rem veriſſimam confundis, & involvis.

Ut facis in ſecundo, quod noto, taxans verbis parum decoris bullam *ſanctiſſimæ cruciatæ*, ob tot juſtiſſima motiva Regibus Catholicis à ſummis Pontificibus conceſſa contra fidei adverſarios. falleris, dum dicis apud exteras nationes illas, quas enumeras, vix de nomine, quæ ſit bulla *cruciatæ*, noſci, cum ea notiſſima ſit apud omnes Catholicos, quamvis non omnibus conceſſa ſit, niſi Hiſpanis & Sicilianis, qui non in parvo numero ſunt, tam in Hiſpania, Luſitania, inſulis adjacentibus, Sardinia, Majorica, & Minorica, novo ampliſſimo Orbe, India Orientali, & aliis: ut poſſit ex horum communionum applicatione ad lucrandam indulgentiam defunctorum ſanctis animabus Purgatorii, magnum & ingens ſubſidium, & relevamen accreſcere; & ſic ſanctum erit, pium, utile, & ſalutare, his omnibus perſuadere, ut communicent pro defunctorum animabus ſublevandis. quare tibi apto Horatianos verſus.

Verum ita riſores, ìta commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere ſeria ludo.
Ne quicunque Deus, quicumque adhibebitur Heros,
Regali conſpectus in auro, nuper & oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas:
Aut dum vitat humum, nubes, & inania captet.

Dum enim auro & oſtro eruditionis veſtitus conſpiceris, migras *in obſcuras* multarum opinationum *tabernas*, & vitas humum, & viam planam, & Regiam,

Nubes turbinum, & inania captas.

§. XVIII.

§. XVIII.

Ex aliis Catholicis, & piis motivis persuadenda communio pro animabus purgatorii.

Non sunt spernenda alia Catholica motiva, quibus non suadeantur fideles in praxi, ad applicandam sanctam Eucharistiæ communionem animabus sanctis, in purgatorio pœnas sustinentibus, ut ab illis releventur, ut videat Raynaudus, quam audacter protulerit *in suo opusculo. n.* 8. *contraria sententia, qua communionem pro mortuis in sensu, de quo agimus, hoc est, ita ut eis prosit ex opere operato, & vi sacramenti, habet pro explorata abusione, mihi certa est.* Quæ verba, si intelligantur de primario effectu *ex opere operato*, & vi sacramenti, Catholica sunt; ut vidimus: si tamen excludant effectum consequentem, & per concomitantiam, & eum, quem habent communicantes, quatenus respicientes Eucharistiam, sacramentaliter fructum uberiorem sacrificii percipiunt, quem possunt applicare animabus; omnino sunt falsa: sic enim communicare pro defunctis, non *explorata abusio*, sed exploratissimus bonus usus hujus sacramenti est, quem persuadere fidelibus sanctissime possunt, & ex pietate debent, Prædicatores.

PARS I.

Monendi sunt, & excitandi fideles, ut communionem defunctis applicent, ut magis crescat sacramenti altaris veneratio.

Ad hoc enim, præter dicta, duo habent altissima motiva; unum, quod dum fideles ex motivo sublevandi à pœnis animas in emundatorio, crescit sacramenti veneratio & devotio, dum fideles agnoscunt, non solum sibi prodesse in vita existentibus, sed etiam defunctis, ut abstergantur, & citius fruantur vita æterna. Veneratio enim, cum sit actus Religionis, quæ respicit Dei excellen-

tiam, quanto præsentantur plures rationes ad illam agnoscendam, tanto major est erga illam veneratio, ardentior emittitur oratio, jucundior devotio, & animus magis erigitur, & confidentius accedit ad sacram *synaxin*. Sicut enim ex visibilibus rapimur ad invisibilia, & quo visibilia sunt pulchriora, eo efficacius fit hic raptus; ita ex rationibus, quibus magis innotescit Dei excellentia, & potestas, intensius adoratur & colitur, & facilius frequentatur.

Hoc argumentum ponit Raynaudus, cui Resp. quod eo liberius repudiari debeat, quod *eam pietatis larvam* præferat, *quam hæretici prope omnes suis blasphemiis obduxerunt*, quod confirmat larga & superflua manu multis hæreticorum exemplis. & sic concludit *n.* 57. *vides quam merito dixerim, rationem admittendæ communionis ex opere operato fructuosæ defunctis, ductam ex majore Christi honore, & hujus sacramenti venerabilitate redolere genium Hæreticorum; eoque fidentius repudiandam esse?* & relatis hujus sacramenti admirandis fructibus & effectibus, addit. *in tanta numerositate fructuum eximiorum hujus sacramenti, quid attinet illi ex fictitiis effectibus decora augere, & quasi non satis per se niteat, fucum illi adscititium appingere? hujusmodi commenta decorum vertuntur in probra. Vt enim recte censuit Cassianus lib.* 1. *de Incarnat. cap.* 2. *Non minoris erroris est Domino Iesu Christo impropria addere, quam propria derogare. Quidquid de illo non ita dicitur ut est, etiamsi honor videatur, injuria est. Pari insulsitate bene multi hac ætate: quasi honor Reginæ judicium non diligeret, ut monuit jam olim Bernardus epist.* 174. *dum B.V. gloriam frivolis, & ementitis titulis effundere & erigere satagunt, quasi sanctuarium Dei inopia, vel paucitate solidorum decorum laboraret. Deiparæ honorem, pro quo improvide sunt solliciti, revera deterunt, se autem effuse ridendos propinant. quæ de re plene in Diptycis Marianis.*

Hæc bona sunt, sed *non ad rem*, & inutilis est eruditio istæc. quid conducit tot testimoniorum copias *extra pugnam* adducere? cum de re inter Catholicos bene intellecta, bene practicata agatur, & ut praxis sancta augeatur, & re-

& refrigerium animabus purgatorii piis actionibus crescat, fructum, quem Catholice enucleavimus, communioni Eucharisticæ tribuere, non est *impropria Christo* dare, sed illi valde consona, & perceptioni corporis ejus existentis sub speciebus conformia, & afflictis animabus valde utilia, cum ea quæ diximus sensum orthodoxum & consensum fidelium habeant, cur repudianda? cur excludenda? Hæretici sub specie pietatis Christo aut propria auferebant, aut indigna & impropria dabant, & contra id quod Ecclesia Catholica edocebat. de quibus loquitur Gregorius Magnus. *lib.* 12. *Moral. cap.* 14. *sæpe Hæretici* (ait) *dum quasi Deum honorant, ejus mysteriis contradicunt, & humilitatem putant, si veritatem negent. Sunt namque nonnulli, qui Deo se injuriam irrogare existimant, si eum vere carnem assumpsisse fateantur, & hunc veraciter pro nobis carne mori potuisse crediderint. Cumque Deo quasi plus honoris conantur tribuere, coguntur laudes veras bonitatis illius negare. Quid enim est ei in charitatis sua laude potentius: quam illa sibi digna ad susceptionem pro nobis facere, quæ ei videntur indigna? Sancta autem Ecclesia veram carnem, veram mortem illius confitetur; sed hæc dicens ab Hæreticis irrogare Deo contumeliam creditur. Vnde nunc dicitur: & imiteris linguam blasphemantium.* Quæ verba Leodegarium carpunt, & reprehendunt, cum putet communioni sacramentali injuriam irrogari, si mortuis applicetur; cum nihil sit in charitate Christi potentius, quam quod fructus carnis ejus in sacramento posita, & à fidelibus percepta, non solum percipienti beneficia conferat, sed extra ipsum ad animas purgatorii extendatur.

PARS II.

Etiam, ut ardentius frequentent Eucharisticam communionem.

Alterum motivum est, ad persuadendum fidelibus, ut animabus istis communionem Eucharisticam applicent, quia fideles ex misericordia in animas fidelium defunctorum tam acerbis cruciatibus adligatas; dum sciunt se illas posse adjuvare & relevare à pœnis suis communionibus, frequentius adibunt Ecclesias devoti accedentes ad sacram *synaxim*. quis enim prudens dubitabit, si maxime devotus fœmineus sexus instruatur, quod sacra communione possit subsidium adferre matri aut patri, fratribus, consanguineis, propinquis, & benefactoribus defunctis; quod hoc non parvum sit incentivum ad frequentius adeundum ad sacram mensam, ut fructu sacramenti, quod recipit, à peccatis expientur, & *lucis perpetuæ recipiant beatitudinem?* Hinc est quod Beda *lib.* 4. *Hist. cap.* 14. refert visionem factam divinitus cuidam puerulo, quam veram fuisse, eventus mortis futuræ ejus pueri prædictæ & prænuntiatæ confirmavit, in qua dictum est illi, ut pro eis (id est defunctis in bello) quasi pro suæ gentis advenis supplex oraret ad Dominum, & cuncti convenientes ad Ecclesiam fratres communicarent sacrificiis cœlestibus. ergo quod communio laica possit prodesse defunctis, sanctum est motivum ad frequentius accedendum ad Eucharistiam, ex qua recipiens tot fructus sibi sumenti acquirit.

Ad hoc argum. sic conatur satisfacere Raynaudus in *suo libello n.* 58. *ultima* (inquit) *pro adversariis ratio sordet indignitate non ferenda. Quasi non habeamus plus satis illiciorum, & incentivorum ad frequentationem Eucharistiæ, adornatur pia fraus, & objecta esca falsi fructus, invitantur fideles ad crebram sacræ mensæ aditionem. Non eget Christiana pietas his commentis, nec admittit hujusmodi tutoria, synceritas, & veritas. Semper Catholica Ecclesia strophas etiam pratextu promovendæ pietatis est detestata,*

& eos,

& eos, qui vel confictis miraculis, vel excogitatis revelationibus piæ plebi imposuisse sunt deprehensi, male multatos rejecit: in Tridentina aliisque Synodis contestata nihil adeo se desiderare, quam ut Deo, qui summa veritas est, ablegato omni falsæ pietatis fermento, in summa synceritate, puro ac veluti azymo cultu serviatur. Itaque facessant conficta pietatis erga Eucharistiam incentiva, &c.

Dum hæc lectitabam, subito venit in mentem antiqua parœmia, *Pejus Bavius tibia canit*, quæ aptatur iis, quorum exercitatio semper vergit in pejus, ut in *præfato opusculo* contigit Raynaudo. bone & eximie Theologe, nunquid quia suppetunt plura motiva ad frequentiam sacræ mensæ, inane est motivum propositum? quod usque ad te prædicavit antiquitas, confirmavit Ecclesiæ praxis, manifestavit cœlestis revelatio, solidavit miraculum, & pietas syncera, & sine superstitione auget? *quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis*, ait Aquinas Angelicus *in sequentia corporis Christi* ab Ecclesia Canonizata. Si ergo data qualibet laude, quantumcumque eximia, semper alia & alia possis laudare, quia laudare non sufficis, cur, etiamsi sint tot admirabilia incentiva ad frequentiam communionis, quæ bene refers, & alia innumera posses referre, cur, inquam, non potest attrahere ad frequentiam Eucharistiæ pietas in defunctos fideles? quibus ejus fructu potest subsidium impendi, *qua indignitate sordet?* quod fermentum falsæ pietatis? quæ stropha, in proponendo hoc pientissimo motivo fidelibus? hujusmodi enim phrases & locutiones modi latinitatis sunt, quibus assolent Hæretici verbositate adornata delinire simplices, ut sua deliria, quæ exteriora sunt, amplexentur. audi Arnob. *lib.* 1. *adversus Gentes*, qui hanc Hæreticorum versutiam advertit, hac eleganti sententia. *Ne sua artes* (inquit) *intereant, ac ne stipites exiguos à consultoribus excutiant, si quando rem in invidiam comperiunt; indignantur, clamitantque, jacent antiquæ derisui cœremoniæ, & sacrorum quondam veterini ritus religionum novarum superstitionibus occiderunt. me-*

rito humanum genus tot miseriarum angustiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis. Hæc ille. Videas, si horum Hæreticorum genium habeas, cum sub prætextu veritatis, falsitatis venenum propinas; fisus eleganti modo dicendi, quæ est alia Hæreticorum vafricies. audi Lactantium, *lib.* 1. *instit. cap.* 15. *horum levitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est, quantas mendaciorum nebulas excitaverit.* Quare ea quæ tua levitas evomit, ut spurcet, tam altum incentivum dicendi facultati & copiæ nititur, non veritati. Quare quod hoc motivum sanctum & pium sit, non est tuo cerebro regulandum, quod *levi regula* passim utitur, sed ex praxi Ecclesiæ & Doctorum judicio, quod pro me est.

§. XIX.

Vtrum animæ in purgatorio degentes spiritualiter communicent corpus, & sanguinem Iesu Christi?

De communione spirituali plura dixi non inutilia *Resol. illa.* 11. *an.* 655. *usque ad finem Resolut.* ubi adnotavi quam utile sit remedium animabus purgatorii pro illis spiritualiter communicare, quantumque illis prosit, non quidem *ex opere operato* (quod non intervenit, ubi non est sacramentalis perceptio sine obice) sed *ex opere operantis*; sunt enim excellentissima opera, quibus spiritualiter dumtaxat hoc sacramentum percipitur: ut ait Trident. *sess.* 13. *cap.* 8. ibi. *illi tantum spiritualiter percipiunt, qui nimirum voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt. Qui tamen* (addit vir pietate & doctrina celeberrimus) *pro desiderio, & intentione sua gratiam, id est* fructum *multo fortasse consequuntur uberiorem,* quam alii sacramentaliter percipientes. Quare addebant, fideles excitandi sunt, & monendi, ut assuefiant ad hanc spiritualem communionem, & eam applicent animabus purgatorii, quibus *ex opere operantis* valde

erit

erit fructuosa, quando (ut ait vir ille prudentissimus Joannes Thaulerus, *serm. 4. in festivit. venerab. sacram.*) *hoc modo vel centies in die bonus quisque, ubicunque etiam locorum sit, tam ægrotus, quam sanus ipsum sumere possit, non sine immenso fructu, copiosaque gratia, modo sancta desideria, piaque devotio.*

PARS I.

De communione spirituali defunctis applicabili.

Hanc communionem spiritualem animabus fidelium defunctorum in agone pœnarum excoquendis igne emundatorio applicandam, non attigit Raynaudus, neque *in suo libello*, neque *in suo Leodegario*. quare nulli Catholicorum potest esse dubium, quod hæc communio *ex opere operantis* possit applicari animabus, & quod illis erit *non leve juvamen*, sed eximium refugium. unde ego sic arg. qui communicat sacramentaliter digne, uberiorem sacrificii fructum percipit, ut ait Trident. *sess. 22. cap. 6.* ergo si defunctorum animabus purgatorii applicetur *ex opere operantis* communio, non est illis *tenue & perexiguum subsidium*, sed maximum & excelsum. etenim perceptio sacramentalis Eucharistiæ, quando pertingit ad spiritualem, non dividitur contra spiritualem, sed includitur ab ea; sacramentalis autem quæ non pertingit ad spiritualem, ut contingit in peccatoribus, dividitur contra eam, ut egregie adnotavit D. Tho. *3. p. q. 80. art. 1.* Quare, si perceptio sacramentalis Eucharistiæ ad spiritualem perveniat, & in ista includatur; manifestissimum est, quod sicut communio spiritualis defunctis applicata magnum est animabus subsidium, ita & sacramentalis in illa inclusa. quis enim suadet fidelibus ut sacramentaliter solum percipiant corpus Christi? apage à Catholico. *qui enim manducat & bibit indigne*, etiam si sacramentaliter, *judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus & sanguinem Domini.* sed suadet ut sacramentaliter & spiritualiter simul communicent, ita ut sacramentalis perceptio

ptio ab ſpirituali, & includatur, & imperetur; ut ſic autem applicata animabus purgatorii, maxime illas juvat, & à pœnis relevat *ex opere operantis.* & hoc intendunt Doctores Catholici, dum è ſuggeſtu, in confeſſionali, in familiaribus locutionibus ſuadent fidelibus, ut ſuas communiones applicent animabus purgatorii, ſimul etiam ex aliis titulis, quos ſupra dedi.

PARS II.

Vindicati Cabaſilas, & Herbetus, & qualis fueris Theodoretus oſtenditur.

De Cabaſila ſic mendaciter dicit contra me Raynaudus in Leodegario, §. 8. *Ruditatis ac imperitiæ ſpecimen in Hurtado tenemus, cum Cabaſilam à Raynaudo ſchiſmatis ac Hæreſeos inſimulatum purgat ab utraque nota, fretus authoritate Gentiani Herbeti, quem videtur habuiſſe pro aliquo veteri Eccleſiæ Patre, cum tamen nuperus ſit ſcriptor, nec alio titulo, quam R[illegible] menſis canonici, & aliquorum librorum Græcanicorum in Latinam Linguam interpretatione conſpicuus. quod vero Raynaudo repoſiturus Theodoretum ab ipſo allegatum ſchiſmaticis græticis adducat Hurtado; næ ſuam peritiam ſacræ Hiſtoriæ dat expreſſam uncialibus literis, cum conſtet quot ſeculorum centuriis Theodoretus ſchiſma Græcorum auctore Photio inductum præceſſerit, & nitentis ejus doctrinæ ab omni Hæreſi alienæ locuples teſtimonium perhibuerit, qui eum ſibi ſupplicem factum texit Leo Magnus.* hæc ibi.

Sed Leodegarius *thunnum & boves clibano coctos porrigit*, & *quis rogo conſpexit unquam clibano coctos boves?* ait Ariſtophanes. Ut panem in clibano paſſionis coctum defunctorum animabus auferat, fructiferum coquit Herbetum, coquit & Cabaſilam integrum in clibano ſui judicii, in quo Theodoretum ita purificat ab omni Hæreſi, & nitentem in doctrina proponit, & Herbetum coctum parum pendit, & Cabaſilam ſpurcatum ſchiſmati & Hæreſi tradit, dicens me ab utraque labe ipſum liberaſſe *reſol.*

illa.

illa. 11. in quo mendacio manifesto se allegat, cum hoc mihi nec in mentem venerit. solum ego ibi *n.* 663. hæc dixi. *Dicit Raynaudus n.* 45. *quod Cabasilas fuit schismaticus & Hæreticus, siquidem consentit cum Græcis, in his, quæ ab Ecclesia Latina dissentiunt; sed quamvis hoc ita sit, ut advertunt Doctores Colonienses in præfatiuncula posita ad præfatum librum: Contra tamen Gentianus Herbetus in præfatione ad lectorem Antistitem, hunc pium & doctum dicit, & quidem ejus auctoritas in his quæ opposita non sunt, Ecclesiæ Latinæ documentis, præceptis, & moribus, non est spernenda, sicut non spernitur auctoritas Tertulliani, etsi Hæretici, qua utuntur passim scholastici; nec auctoritas Theodoreti, etsi schismatici, qua utitur ipse Raynaudus n.* 46. *in fine. quare auctoritate Cabasilæ utuntur Vazquez tom.* 3. *in* 3. *q. disp.* 222. *n.* 39. *& multi alii.* hæc ibi ego. Videat Lector, quam manifeste mentiatur Leodegarius, dum dicit me Cabasilam liberare ab Hæresi & schismate. quid est hoc, obsecro, quam strophis ludere, dolis variis uti, ad callide & vafre decipiendum lectores? ebibit enim Leodegarius è fonte Theophilino restrictionis mentalis venenum, ut se à mendacio excuset; at non se excusabit à duplicitate cordis, quæ decipit: quod est execrabile facinus, ut Homerus:

Haud secus ac orci portas homine[illegible]xecror illum,
Quisquis corde aliud celans, aliud sonat ore.

Sed venio ad vindicandum Gentianum Herbetum, & Antistitem Cabasilam. De Gentiano, quis obsecro, revelavit Raynaudo in Leodegario me existimasse, & habuisse illum pro aliquo veteri Ecclesiæ Patre? habui enim ipsum pro Doctore recentiore, in Theologia Patrum, lectione, intelligentia valde docto, & eruditissimo in humanis literis, quibus oceanum illum variæ lectionis, quæ reperitur in libris tam Pædagogi, quam stromatum, Clementis Alexandrini tranavit, & nobis dedit & remos & vela, ut per illum secure navigaremus. plus enim profuit Ecclesiæ Gentianus Herbetus his doctissimis & eruditissimis commentariis, quam Raynaudus tanta librorum progenie.

nie. Quare de Gentiano sic fatur Antonius Possevinus, *Gentianus Herbetus Aurelianensis Gallus vir admodum eruditus, & Linguarum Græcæ & Latinæ peritus, Theologus Parisiensis, cujus opera refert pia, docta, plena religione contra Hereticos. floruit anno* 1564.

Quantum autẽ profuerint ejus scripta, & commentaria doctissima in Clementem Alexandrinum, manifeste constat ex themate quod tractat, enucleat, extricat, & quod è tenebris in lucem tradit, vel melius, facit *de tenebris lumen splendescere*; modo enim loquendi abstruso Clementis nihil est ad sanam doctrinam pertinens, quod in pædagogo & stromatum libris non contineatur: in quibus, ut in viva tabula, Catholicæ Ecclesiæ mores, & disciplinam invenire est expressam, ut erudite prosequitur Cardinalis Baronius, *tom. 2. Annal.*..... conferat ergo quisque prudens Herbeti opera eorumque utilitatem cum operibus & utilitate, quam invexerunt Theophilus Raynaudus, & Leodegarius; & Gentiana opera digna judicabit *obelisco*, & ut *Areus in Olympia* stet, summoque pretio comparandus, opera vero Theophilina illorum comparatione nec *vitiosa nuce emenda:* at doctrina sana (in libris qui apud me sunt) & eruditione, ut Pater in literaria progenie venerari debet, synceritate loquitur Catholica, & non artificiosis & dolosis verbis.

Cabasilam omnino deprimit Leodegarius, tanquam sit *oboli homo*, & nullius prorsus Ecclesiasticæ auctoritatis, omnique prorsus laude indignus: cum de eo sic loquatur Cardinalis Bellarminus: *Cabasilas Græcus vixit tempore Ioannis Cantacuzeni Imperatoris, vel potius Tyranni, vivebat anno* 1300. *fuit vir valde doctus, & Archiepiscopus Thessalonicensis, sed schismaticus.* & advertit ipse Cardinalis in præfatione ad Lectorem, *se in suo catalogo non ponere nisi eos, qui sapientiæ Ecclesiasticæ laude floruerunt.* Dignus ergo est Cabasilas laude Ecclesiasticæ sapientiæ. de ipso honorifice loquitur Joannes Cantacuzenus *lib. 3. cap. 73. suæ Historiæ*, dicens, quod fuerit *vir valde clarus*. fuit illi coætaneus, & historiam conscripsit post abdica-

abdicationem imperii, monachus jam factus. & quidem si Nicolaus Cabasilas nullius esset auctoritatis, cur in fere omnibus Patrum veterum Bibliothecis reponitur à Margarino Bignæo in *sua tom.* 6. & in *Agrippina tom.* 14? cur tanta cura in eo traducendo de Græco in Latinum? uti traduxerũt aliqua ejus opera pia, *Alexander Bruvolus*, & *Gentianus Herbetus*. quare etsi schismaticus, tamen non est spernendæ auctoritatis, qua uti licebit non inutiliter in iis, quæ pia sunt, & consona Ecclesiæ Latinæ praxi, moribus, & consuetudini.

Exaltat Raynaudus Theodoretum, sive Theodoritum, qui fuit octingentarum Ecclesiarum Pastor & Rector ac Episcopus Cyrenensis, vir procul dubio eruditus, & plane doctissimus; sed suos nævos etiam habuit non mediocres, nam docuit Spiritum Sanctum *nec esse à filio*, neque *per filium*, sed à *solo Patre:* quod Cherubin positi antè Paradisi portas, non fuerint custodes ad custodiendam arborem vitæ à Deo constituti. fuit aliquo tempore acerrimus defensor *Nestorii*, ita ut impugnaret Anathematismos Sancti Cyrilli, quos edidit contra Nestorium, & sequaces: quamvis ab hoc errore Nestorii reductus fuerit ope Sancti Leonis Papæ I. qui ipsum de doctrina laudat, & sic ei restituit Ecclesiam, à qua fuerat expoliatus à Dyoscoro Episcopo Alexandrino. Theodorum Mopsuestinum Hæreticum summis laudibus extollit, *lib* 5. Historiæ. Non agnoscit Eusebium Papam, nec Marcellum, qui vere fuere Petri legitimi successores, quos Optatus Milivet. *lib.* 2. *contra Parmeni.* & Aug. *epist.* 165. & alii fere omnes tam veteres quam moderni agnoscunt. Quare jure optimo agnomen *sancti*, quod illi tribuebatur impressione suorum operum, & ei tribuit Sixtus Senensis *lib.* 4. *Biblioth. sub proprio nomine* in fine. quare, si tot nævos non aspicit in Theodoreto Theophilus, non est cur *oculos lynceos* habeat ad inspiciendum Cabasilam; neque ego dixi schismaticum Theodoretum schismate nupero Græcorum, ut falso mihi imponit Leodegarius; sed quod fuerit schismaticus, & Hæreticus, ut re ipsa fuit ante conversionem, dum Nestorium

pro-

propugnabat, & anathematiſmos Cyrilli turpiter impugnavit. quæ impugnationes cum ſuo auctore tunc vivente damnatæ ſunt, *in quinta Synodo actio* 5. una cum ſcriptis Theodori Mopſueſtani, quem, ut dixi, ſummis laudibus extollit Theodoretus ipſe, *lib. 5. Hiſtoriæ*, ut vidimus, & ſic non totaliter ex animo videtur retractaſſe Hæreſin illius, maxime cum nullibi inveniatur Palinodiam cantaſſe circa impugnationes anathematiſmorum Cyrilli, qui approbati fuere *in S. Synodo*. Hæc dicta ſint in gratiam Cabaſilæ.

PARS III.

Ex hoc gravi authore deducitur, quod communio ſpiritualis ſit applicabilis defunctis.

EX Cabaſilæ doctrina inferebam, *n.* 662. eſſe probabile animas Sanctas purgatorii ſpiritualiter communicare, & fructum communionis ſpiritualis, qui eſt remiſſio venialium *ex opere operantis*, participare; animæ enim iſtæ venialium abſterſionem promerentur actibus charitatis; & fidei, quæ per dilectionem operatur, ut expreſſe tenet D. Tho. *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *ad.* 4. cujus verba expreſſe dedi ibi *n.* 665. cujus ſententiam defendunt ibi Bergomenſis. *dub.* 889. & probabilem reputat Suarez *tom.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 11. *ſect.* 4. *n.* 15. & multi alii. de hoc nec verbum Leodegarius.

Sed quia invehitur in Antiſtitem Theſſalonicenſem, in ejus patrocinium adduco virum Catholicum valde doctum, qui in hac parte omnino ſequitur Cabaſilæ ſententiam. Hic eſt Bartholomæus Valverdius ſuo ævo celebris tam in Theologia, quam linguarum peritia, contra Hæreticos efficacia, & pietate inſignis: interque *varia opuſcula*, quæ edidit, eſt eruditum Apologeticum pro *igne purgatorio, ſanctorum interceſſione, ſuffragiis, & oblationibus*, &c. *Catholicæ Eccleſiæ cultibus, & ceremoniis.* in quo Apologetico aliquantulum ante finem ſic proponit Hæreticorum argumentum. *De victima illa ſalutari*

dictum

dictum est, nisi quis manducaverit carnem filii hominis, &c. *atqui defunctorum animæ, cum neque comedere, neque bibere possint, utilitatem istam percipere non possunt; ergo deteriori essent conditione mortui quam viventes. Cui argumento sic respondeo: & quis modum intelligat, quo seipsum Christus illi communicat? Nam si eos qui in desertis errabant montibus, & speluncis, & foraminibus, qui altare & Sacerdotem habere non poterant; Deus tamen invisibiliter sanctificabat (vitam enim in se habebant quæ in sola hujus sacrificii participatione consistit: ait enim, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.) quid mirum, si animabus corpore exutis hujus mensæ fructum, quo ipse novit modo, impertiat? An homo mortali corpore indutus, immortale, & divinum corpus comedet, anima vero substantia immortalis, ejus quod est immortale, & arcana sua sapientia nullo modo particeps existet? Equidem si corpus habere, pedibus ad mensam currere, manibus sancta accipere, ore sumere, comedere, bibere, sola essent causa sanctificationis, nullus eorum esset, qui hæc præstant, salutis, vitæ, & sanctificationis expers; sed cum animæ purgatorii in Deum dilectio, fides, desiderium, alacritas ad participationem, fervensq; expetitio, & si quæ alia sunt, quæ sanctificationem adferunt, ab anima potius, quam à corpore petenda sint; neque ad sanctificationis susceptionem habeat anima opus corpore, sed illud ea potius; cur sunt magis mysterii participes quæ corpus habent; quam quæ exutæ sunt à corpore? An quod Sacerdotem vident? & ab eo mysteria sumunt? Atque illæ habent æternum Sacerdotem omnibus omnia factum, in cujus potestate est sanctificare, & perficere quod ipse vult, semper & seipsum impertire desiderat, qui & iis qui ex vivis vere sumunt, impertit. Non enim omnibus quibus dat Sacerdos, vere, (id est digne) sumunt, sed illi omnino soli, quibus dat ipse Christus. Sacerdos enim omnibus, Christus autem iis solum dat, qui participes esse digni sunt.* Hactenus ille vir Catholicus contra Hæreticos, cujus ultima verba explicatione indigent: *Christus enim omnibus dat; qui-*

bus dat Sacerdos, ſed Chriſtus ſolum dat hujus ſacramenti fructus iis qui digne accedunt.

Ecce Raynaude, qua ratione animæ purgatorii ſpiritualiter communicent, quia ſpiritualis communio conſiſtit in deſiderio manducandi orto ex charitate, & fide, quæ per dilectionem operatur in membris Eccleſiæ, inter quæ adhuc ſunt animæ ſanctæ defunctorum, quæ adhuc non ſunt in Eccleſia triumphanti; (quamvis etiam iſtæ aliquatenus ſpiritualiter communicent corpus Chriſti, ut mox explicabo:) ſed in emundatorio exiſtunt. Unde Angeli non communicant proprie communione ſpirituali corpus Chriſti, cujus ſacramentum ſolum eſt inſtitutum pro hominibus, pro quibus, tam vivis, quam defunctis, paſſus eſt Chriſtus; qui illis dumtaxat dixit: *hoc facite in meam commemorationem, & pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quare quum Aug. *Concione* 1. *in Pſal.* 32. dixit, quod *Angeli manducent, & ſuperna virtutes ſaginentur cibo ſempiterno*; ſumit *cibum* hunc pro divinitate ipſa, quam intuentur, non pro cibo, qui eſt *verbum caro factum, ut inhabitet in nobis.* Quare omnes Beati divinitatem intuentes, neceſſario illam ſpirituali modo communicant. Aſt Angeli ſpirituale cibum Euchariſtiæ non ſumunt ſpiritualiter, quia pro ipſis non eſt inſtitutus, & ſic nec ex opere operantis fructum ejus percipere poſſunt, ſicut animæ purgatorii.

Quid? etiam Patres antiqui, ſaltem virtualiter, & implicite corpus Chriſti, & ſanguinem manducarunt, & ſicut participarunt fructum Redemptoris, ratione fidei implicite ſaltem, ita & fructum hujus ſacramenti & ſacrificii, ratione ſpiritualis mãducationis, juxta Aug. &S. Tho. & communem intelligentiam, ut videre eſt in Cornelio à Lapide. nam Paulus 1. *ad Corinth.* 10. *n.* 3. dicit de Patribus antiquis, *omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt* (ſcilicet manna,) *omnes eundem potum ſpiritualem biberunt* (aquam ſcilicet, quæ ex petra bis percuſſa manavit) quæ figura fuerunt corporis & ſanguinis Domini; & ſic omnes Antiqui in figura, ſive manna, ſive alterius ſacrificii,

crificii, hujus ſacramenti fidem implicitam habuerunt, in vi cujus, unitatem cum Chriſto, & aliis Eccleſiæ membris habebant: ſed de hoc alias.

PARS IV.

Quos effectus habeat communio ſpiritualis in animabus purgatorii?

Solum in præſenti dicam, quod animæ purgatorii poſſint hanc ſpiritualem communionem percipere, & ſpirituali affectu communicare, ut *ex opere operantis* duos hujus ſacramenti præcipuos effectus conſequantur. Primus eſt vita æterna, juxta illud *Ioann.6.n.56. ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; qui de communione ſpirituali poteſt intelligi, juxta doctrinam Aug. *tract.* 26. *in Ioann.* & ibi S. Tho. *lect.* 7. & 3. *p. q.* 73. *art.*3. & Tolet. *annot.* 25. *in præfatum locum Ioannis.* unde S. D. *in ſol. ad* 2. explicans illud *Aug.*7. *confeſſio. cap.*10. *Nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*, dicit. *poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam ſine hujus ſacramenti perceptione.* unde *art.* 11. *q.* 80. adfirmat, quod ſpiritualis manducatio fit Chriſto incorporari. dupliciter autem fit hæc incorporatio & unitio; aut per fidem, quæ per dilectionem operatur, & hoc modo animæ purgatorii, quæ adhuc per fidem ambulant, incorporantur Chriſto; quamvis enim, prout in illo ſtatu, non poſſint ſumere ſacramentum ſacramentaliter, ut ex opere operato uniantur Chriſto, ſicut faciunt viventes; aſt habent votum & deſiderium uniendi ſe cum Chriſto in cœlis clare viſo in ſe: quæ erit perfectior unio, quam quæ fit in ſacramento per fidem vivam, quia erit unio æterna, & vita æterna, juxta illud Joann. *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.*

Unde longe perfectius communicant animæ purgatorii communione ſpirituali. Angeli vero, etſi in patria clare Chriſtum videant in ſe, non tamen communicant

Eucharistiæ sacramentum, nec illud percipiunt; ut adnotavit D. Tho. 3. *p. quæst.* 80. *art.* 2. *in corpore.* Quamvis communicent ipsum Christum; in quantum ei uniuntur fructione charitatis perfectæ, & visione manifesta, tamen spiritualiter non communicant Christum, prout est sub speciebus hujus sacramenti: quomodo solum spiritualiter communicat, qui credit in Christum, cum desiderio sumendi hoc sacramentum, quale desiderium habent animæ in purgatorio existentes; quia quantum est ex se, possunt recipere corpus Christi in sacramento, si corpori mortali reunirentur, ut est possibile, quod Angeli nequeunt; & sic nunquam, etiamsi corpora assumant, possunt vitaliter manducare Eucharisticam hostiam. Unde fit quod animæ purgatorii spiritaliter communicent in ordine ad fructum sacramenti consequendum, quæ est *vita æterna.*

Secundo animæ purgatorii spiritualiter communicant, ad consequendum alium hujus sacramenti fructum, & effectum, qui est corporum resurrectio. Juxta illud *Ioann. 6. n. 55. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego suscitabo illum in novissimo die:* cum enim primarius effectus sit perfecta incorporatio cum Christo, & non sit extensive omnino perfecta sine corporum resurrectione; ad hoc sacramentum pertinet, tanquam illius fructus, & effectus proprius, corporum resurrectio glorioſa. quare sicut animæ purgatorii, imo & Beatæ expectant gloriam corporis, possunt spiritualiter communicare; illæ per fidem, istæ per claram visionem in ordine ad consequendum hunc effectum, quem desiderant: quia quamvis certissimæ sint de illius desiderii impletione, tamen illud desiderant in ordine ad Eucharistiam, quæ est propria causa, ex Christi institutione.

Unde constat quam parum Theologice locutus sit Raynaudus *n.* 46. versic. *ex hoc porro.* contra Cabasilas, qui non dicit quod animæ purgatorii sanctificentur accipiendo augmentum gratiæ, sed sanctificationem appellat

lat *abſterſionem maculæ* peccati venialis, quam in animabus purgatorii fieri per actum charitatis, & fidei, quæ per dilectionem operatur, dixi ex D. Tho. ſupra. rurſus non dicit, quod hæc ſanctificatio fiat ab Euchariſtia ſpiritualiter percepta *ex opere operato*, ſed ſolum *ex opere operantis*; ſicut cætera ſacramenta, quæ in voto recipiuntur, ſuos effectus cauſant, non *ex opere operato*, quod reipſa non recipitur, ſed ex *opere operantis*.

§. XX.

Antidoti ultima manus.

PARS I.

Verba Raynaudi, quibus ultimo complet venenum ſuæ doctrinæ.

Colophonem & ultimam perfectionem *veneno ſuo*, quo defunctos iterum trucidat & interficit, Raynaudus impoſuit, *n.* 62. his verbis. *Cum item ſublevare fideles vita functos placuerit, ne nobis & illis falſo hoc & inani ſubſidio uſurpando illudamus, ſed veris mediis à Chriſto inſtitutis adhibendis debitam erga eos charitatem, & commiſerationem prodamus. Tale eſt ſuper omnia Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium, talis in ſuo genere & ordine oratio, & infra ſeptenarium ſolidiorum ſubſidiorum, hoc verſiculo comprehenſum:*

Fle, pete, jejuna, vigila, da, redde, celebra.

Multipliciter illuſtrat Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 53. n. 15. & plene quoque ac luculenter de eiſdem idoneis pie defunctorum adjumentis Thyreus in opere de locis infeſtis à cap. 74. uſque ad 82. contulimus & nos ſymbolas noſtras non indiligenter tractato eo argumento in opere, cui titulus, Iuſta, & inferiæ piis Manibus adverſus novitiam hæreſin pietatis, quæ aſſeritur. quamvis, ſi quis ſuffragari defunctis velit, vere illis ſit profuturus, ut fide ſanctum eſt; præſtare tamen, & ad perfectionem ſpectare, nolle ſuffragari, ne divinæ juſtitiæ leges temerentur, & leves culpas non

curantium licentia foveatur, amoto frano, quo coerceri possent, nempe exsolvendarum integre usque ad novissimum quadrantem pœnarum, illis nubeculis ab ultore justo reponendarum, quam imperfectus, & nullus sit hic pro Dei justitia, & peccatorum coercitatione zelus, evincitur multipliciter in prædicto opere; subnectiturque series idoneorum subsidiorum, quibus ex magna perfectione, & charitate juvari possunt fidelium defunctorum anima; ab illis idoneis subsidiis procul abest, tum communio, attento opere operato sacramenti, tum alia pleraque falsa & vana ibidem discussa, de quibus jure repetito principio, illa Innocentii III usurpabo: falsa sunt abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora. hæc ultima manus confectionis Veneni.

PARS II.

Astute illud, & juxta regulas perficit.

Et quidem satis juxta artem veneficia conficiendi, & ipsum confectum propinandi; *qui enim* (ut ait Nyssenus *orat. de fato*) *veneficia exercent; lethale pharmacum melle reddunt dulce, non eo animo, ut comedentis gustum oblectent, sed ne lethale esse sentiatur.* & de propinante illud salite Juvenalis:

Nulla aconita bibuntur
Fictilibus; tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato salinum ardebit in auro.

Quos versus sic quasi commentatur Origenes, qui *hom. 2. in Hieremiam*, ad illud: *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians*, sic loquitur: *Nabuchodonosor volens decipere homines per calicem Babylonis dolosum, non miscuit in vase fictili, quod parabat potari, sed neque in paulo meliori & æreo vase, vel stanneo, & quod ista præcellit, argenteo; verum eligens vas aureum, in eo poculum temperavit: ut quis videns decorem auri, dum radiantis metalli pulchritudine delectatur, & totus oculis hæret & inspicit, non consideret quid intrinsecus latitet, & accipiens calicem, nesciat esse calicem Nabuchodonosor. Intelliges autem calicem*

cem aureum in præsenti nominatum, si animadvertas pessimarum doctrinarum verba mortifera, qualem habeant compositionem, qualem decorem eloquentiæ, qualem rerum divisionem. Cognosces quomodo unusquisque poëtarum, qui putantur apud nos disertissimi, calicem aureum temperarit, & in calicem aureum venenum injecerit turpiloquii, venenum eorum quæ animam hominis interimunt, venenum falsi nominis scientiæ; sed meus Iesus *contra fecit: sæpe vidi aureum calicem in pulchro sermonis ornatu; & dogmatum venenum considerans; deprehendi calicem Babylonis.*

Utrumque fecit Raynaudus, veneni, (contra purgatorii animas) confectionem conficiens, illud porrigens in vase *non fictili*, aut *æreo* aut *stanneo*; sed *in aureo* doctrinæ, quam tradit adversus illam novitiam opinationem affirmantium perfectionis esse, non suffragari illis per nostras satisfactiones, & sacrificia, & alia opera pia; quæ mille detinet, non ut gustum fidelium delectet, sed ne lethale animabus sanctis sentiant esse pharmacum, quod propinat, scilicet communionem pro mortuis *leve, tenue, exiguum* futurum *levamen*; & sic satius esse simpliciter negare communionem laicorum prodesse defunctis: & *quidquid vulgus existimet, oratio prout præcise impetratoria, & nullam aliunde habens vim satisfactivam, inutilis est defunctis*; quod omnia suffragia mortuorum septenario numero dumtaxat comprehendat; quæ comprehensio si præcise intelligatur, ut jacet in versu, omnia alia bona fidelium excludens, error est manifestus in fide, contra praxin, & traditionem Ecclesiæ à Christo & Apostolis incipientem: si autem omnia ad *illa* septem referantur, res bene se habet, nam ad sacrificium refertur communio laica, quia est ejus participatio & sacrificii extensivum complementum; non secus ac extensiones ad novas scientiæ conclusiones, ad habitum scientiæ pertinent, quamvis iste sine *illis* persistat: sic sacrificium altaris sine communione laica perfectum in sua perfectione subsistit, tamen si adsit præfata communio, hæc ad *illud* pertinet per se extensive, cum sit illius formalis partici-

patio, ejuſque ſacrificii fructus uberior *ex opere operato* perceptio; rurſus eſt in communicante, qui ſacrificio aſſiſtit, ſpecialis oblatio, ratione cujus effectum alium & fructum ſpecialem habet *ex opere operato* ſacrificii, quod participat.

PARS III.

Praxis communicandi pro defunctis enucleatur Catholice.

Quamvis enim perceptio ſacramenti, quatenus eſt manducatio corporis Chriſti, ſub hac explicita ratione ſoli ſumenti profit, quantum ad effectum primarium; tamen cum non ſolum ſit manducatio corporis Chriſti, ſed participatio ſacrificii (quod negare eſſet *error in fide,*) ſitque communicans Miſſæ, in qua communicat, particularis offerens, & ex utraque ratione fructus ſacrificii uberrimus, juxta ſuæ devotionis menſuram ei obveniat, hunc fructum poteſt defunctis applicare, quantum ad remiſſionem pœnæ in mundatorio, juxta ſententiam innumerabilium Doctorum, quos ſupra dedi. Itaque negare, pium & ſanctum eſſe animabus purgatorii communionem *laicam* applicare, & ad hanc piam commiſerationem non eſſe monendos fideles, *temerarium* & *impium* eſt: & multo magis nota erroris eam admonitionem ſigillare, & inurere.

Ut enim egregie Decanus ille, pariter Cancellarius Pariſienſis (utrumque enim habuit mea ſent.) dicere ſolebat (ut notat D. Philippus Camerarius *in Meditat. Hiſtor. cap.* 43. ex Zaſii *lib.* 2. *de origine juris*) *temeritatis notam eſſe, viros ſapientiæ gloria conſpicuos, vel ſtatim erroris inſimulare, vel quod temperata reſolutione placari poterat, ſubvertere velle. Id in eos compegit vagabundos & audaculos cenſores, qui, neſcio unde emergentes, tam pertinaciter ſua monſtruoſa placita, & præcoces opiniones (habentes plus admirationis quam utilitatis, plus famæ quam ſoliditatis; quarum auctores opinioni vulgi aliquando magnos*

gnos humana magis fecit gratia, quam divina) in ſpecie vanæ mentis ipſorum conceptas magno cum ſcandalo bonorum, contra ſuam conſcientiam obſtinate defendunt, aliiſque omnibus, etiam invitis, de quibus ipſimet hæſitarent, & in ſeſe digladiantur, neglectis vel rejectis prudentiorum ſcriptis, & monitis ſalutaribus, obtrudere ſatagunt. hæc ille. Quæ apprime Raynaudo, tam in ſe, quam in *ſuo Leodegario* quadrant. hic enim viris ſapientiæ gloria conſpicuis *erroris popularis* notam inurit, quia prudenter ſcripta & monita ſalutaria, de communione *laica* defunctis applicanda, mundo fideli dedere, & ſatagit obtrudere monſtruoſum ſuum placitum, & præcocem opinionem negativam, plus eruditionis quam utilitatis, plus vanæ famæ, quam ſoliditatis habentem; pertinaciter contra publicam Eccleſiæ Romanæ in congregatione *de indice*, prohibitionem, hujus venenoſi *libelli* in totum conatur *apologia* contra me edita, ſub mentito nomine *Leodegarii* defendere. *Deſinant ergo eorum auditores* (verba ſunt Peluſiotæ *lib. 2. epiſt. 90.*) *anticipata dumtaxat opinioni fidem facere, atque adverſus veritatem impetum facere; ne alioquin magnum, omnique ſermone præſtantius Salvatoris facinus, quantum quidem in ipſis eſt, inane atque infrugiferum faciant.* Relinquamus *vanitates has, falſaſque doctrinas, & ad illud quod traditum eſt nobis à principio, verbum (traditionem) revertamur.* ait Polycarpus *in epiſt. ad Philippenſes.*

PARS IV.

Verbis Patrum caſtigatur Leodegarius Raynaudi.

Termino confectionem Antidoti aliquorum Patrum dictis, quibus non mediocriter caſtigatur hujus opinationis Auctor. bene illos, & ſimiles Clemens Alexand. *lib. 1. ſtromat.* ſic carpit. *ſeipſos erigentes, calumnias verbis addere contendunt, contentioſas comparantes quæſtiones, diſtinctiuncularum venatores, puſillarum quarundam*

actionum æmulatores, jurgiorum consarcinatores. Ob hæc efferentes se sophistæ infelices, canoris quibusdam suis nugis garrientes, cum in nominum delectu, & certa dictionum compositione, & connexione tota vita laborent, cicadis apparent loquaciores. hæcille. & *cum tale sit* (connecto verba Irenæi, *lib.2. adversus hæres. cap.1.*) *principium doctrinæ ipsorum, quam neque Prophetæ prædicarunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt; de qua gloriantur se plus aliis, de rebus universis, cognovisse; cum ex iis, quæ scripta non sunt, pronuntient ac studeant: ut vulgo dici solet, ex arena testes connectere conantur, ad faciendam fidem iis, quæ dicta sunt, aut parabolas Domini, aut sermones Apostolorum, ne ipsorum figmentum testimonio carere videatur. Qua in re transiliunt ordinem & seriem scripturarum, ac quantum in ipsis est, dissolvunt membra veritatis. Transferunt enim, & transformant, & dum aliud ex alio faciunt, multos fallunt sapientia male concepta ex dictis Domini, quæ errori suo aptant*, &, addit Nazianzenus *orat.1. de fuga sua, veritatis doctrinam adulterant.*

Quibus Patrum sententiis, *epigraphis* continetur, quantum Raynaudi sententia, tam *in opusculo*, quam *in Leodegario*, sit adulterium veritatis, quot jurgia consarcinet, quantas canoras nugas nominum delectu, & dictionum compositione (qua magis delectatur, quam solida doctrina,) quot abusus sententiarum Domini, & Catholicorum Doctorum, ut ejus figmentum testimonio non carere videatur; quale falsæ opinationis monstrum vestibus & infulis sacris indutum, spretis prudentum scriptis, & monitis salutaribus, obstinate proponit, obstinate defendit, obstinate obtrudere fidelium cœtui conatur, quanta confidentia inani? quanta convitiorum garrulitate?

Quid barbiton crocoto loquatur, quidve lyra calanticæ,

de re vere absurda, nihil consoni habente, quam tot strophis & jactis improperiis defensat? sed *Isthmum sinapi bibit*, & dicacitatis suæ pœnas luet, dum mordacitas sua mordacitate medebitur; non enim æquum est permittere, ut

Det veniam corvis, vexet censura columbas.

Columba

Columba enim vexata habet iram ſuam, qua facit leonem derelinquere umbraculum ſuum. Hiere. 25. *n.* 38. ut quid ergo columbam ſedentem Leodegarius irritat, niſi ut recipiat mercedem dicacitatis ſuæ, & compeſcat ejus ineptam loquacitatem? & *tunc cantabunt cygni, cum graculi tacuerint:* ut in ſimili adducit parœmiam Nazianzenus *epiſt.* 1. *ad Celcuſium*, addens ad propoſitum elegantem ſententiam, quam cygni garrulis hirundinibus dixere. *At cygni* (inquit) *quod earum garrulitatem exoſam haberent, vix quidem eas ſermone dignas duxerunt. Vt autem dignas duxerunt, at, ô præclaræ, (inquiunt) cauſa noſtra in ſolitudinem quoq; quiſpiam libens ſe contulerit, ut muſicam audiat, cum Zephyro pennas noſtras inflandas permittimus, ut ſuave quiddam, & concinnum inſpiret. Quare ſi non multum, nec apud multos canimus, at illud certe in nobis pulcherrimum eſt, quod modum in canendo tenemus, nec Muſicam tumultibus permiſcemus. Vos autem & in ædes admiſſas homines faſtidiunt, & canentes averſantur, idque optimo jure; quippe quæ nec exciſa lingua ſilere queatis; verum ipſæ amiſſam vocem & calamitatem veſtram lugentes, quavis alia ave profuſa lingua prædita, & canora loquaciores ſitis. intellige quid loquar; ait Pindarus.* Hactenus S. D. & ego tibi Raynaude in *Leodegario* repeto, intellige quid loquar, & ſilentium meum inepte carpere, ac inſectari deſine. cur ſiluerim? poſt tres integros annos non reſpondi ad tuam Leodegarinam loquitandi facilitatem. reſponſum dedi ſupra ante antidotum, & ejus procraſtinationis cauſam. Quare jam ſine meo periculo & leonem raſi, & barbam tibi Raynaude depilavi; ne me de timiditate taxes, ſicut taxas plures alios, quos gloriabundus dicis tibi non redactivare, non quia non poſſent, ſed quia vilipenderunt argum. tua, ſicut &ego parvi æſtimo: at ob cauſam piam animarum defunctorum tibi oſtendo inſcitiam tuam, ne apud imperitos invaleſcat,

——— *Quoniam immenſis affligitur inclyta proles*
A viro inerte, leonem ut ſi hinnulus urgeat acrem.

Et

Et cum longe inferior ſim, laceſſo potentiorem ; & multis partibus indoctior certo cum eruditiſſimo. finem impono operi verbis Joannis Sarisberienſis in prologo *libro* 8. Policratici. *Non ergo, quis, ſed quid, quave de cauſa ſcribam, diligens Lector attendat; & ubi maledicta invenerit ſyncerus Iudex, neque invidia, nec odii, vel alterius affectionis concuſſus teſtimonium de malo perhibeat, & ubi bene dixero, non me cadat.* Terminavi Hiſpali die Jovis ſanctiſſimo ſacramento Altaris dicata, dum defunctorum officium in Choro celebraretur 1. *Iunii* 1656. *ætatis meæ* Anno 70. incepto verſibus his:

Quidquid id eſt, ſilveſtre licet videatur acutis
Auribus, & noſtro tantum memorabile pago;
Dum mea ruſticitas, ſi non valet arte polita
Carminis, at certe valeat pietate probari.

Bibliologium, Appendix Antidoti Operum prohibitorum R. P. Theophili Raynaudi, ex decretis Sanctæ Inquisitionis.

Tot sunt libri compositi (utinam essent digesti) hujus Auctoris facilitate, qua pollet, & multiplici lectione, ut fere sine numero creverint: & certe de nullo hujus ætatis melius dictum Ecclesiastæ, *cap.* 12. *n.* 12. *faciendi plures libros nullus est finis*, verificatur: ponit enim novam *epigraphen* & *titulum*, sub quo claudit, & quasi renovat, quæ sub clarioribus titulis, alii scripserunt; & cum in libris conscribendis verba sapientium sint, *sicut stimuli*, & *quasi clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno:* (Ecclesiast. *ubi supra n.* 11.) ipse aliquando Consilium Magistrorum datum *à Pastore uno* spernens, in *altum*, *haud legitimum* stimulum impingit, & à sapientium stylo divertens misere prolabitur, & ad *Tricas*, & *Apinas* prorsus inutiles divertitur, quibus ita tenaciter adhæret; ut vix divelli possit. ne tamen quis ignorantia ductus, incidat *in laqueum* malæ doctrinæ, qua aspersi sunt aliqui libri Theophilini, Bibliologium hoc appendi Antidoto, ut tanquam simplex illius compositionem ingrediatur.

Romæ summo Pontifice *Innocentio* X. prohibitus est in totum, & igni traditus liber, cujus titulus est: *disquisitio Theologica Theophili Raynaudi de Martyrio per pestem, ad martyrium improprium vulgare comparato.* Item ejusdem *discursus*, cujus titulus est: *Error popularis, communio pro mortuis*, etiam in totum prohibitus, & combustus anno 1647. die 11. Martii, ob defensionem novitatis insolitæ, & perversæ.

Item *Romæ* passa est non leve naufragium *Hoplotheca calumniæ*; delata enim est ad sacrum Tribunal Inquisitionis librorum prohibitorum, ut mihi scripsit vir vere illustris scientia & eruditione D. D. Laurentius Ramirez de Prado, Regius consiliarius in supremo Castellæ consu-

latu,

latu, nondum ſcivi an perierit in naufragio: merito enim proſcribi deberet, quia ſine publica utilitate congerit in unum omnia improperia, maledicta, crimina, & ſcelera, quæ ab improbis & Hæreticis fœtide ſunt dicta, & impoſita Patribus Eccleſiæ, & ſanctis ejus. & cum jam exoleta eſſent, & in oblivionem abierint, renovat, & revocat ad hominum memoriam, non cum parvo ſcandalo; ex quo anſam deſument Hæretici maledicendi Catholicis, ſpernendi Patres, & contemnendi Sanctos, quos colimus, & arma ſumendi contra Eccleſiam: eſt enim hæc *Hoplotheca* oppoſita *Turri Davidica*, *ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium* ad debellandos Hæreticos. Quare, ut contraria pietati, everti debet Hoplotheca Raynaudi, eaque *tympanum* (non *cymbalum*) *mundi* dici poteſt, cum famam det Patribus, at non honeſtam; quare jure optimo & ex zelo ſancto & prudenti naufragium eſt paſſa *Hoplotheca iſta calumniæ*. Utinam & demergeretur *ſub aquis vehementibus!* eſt enim *Pharaonis exercitus* contra filios Iſraël conjunctus. Quare *opella hæc* per ignem incidit; utinam & in cineres verteretur! bene Horatius *in Odis:*

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per igneis
Suppoſitos cineri doloſo.

Quare vehementer cupio ut *Hoplotheca*, in qua ſunt *Diaboli armaturæ*, ſale exarata & demolita pereat; de hac enim aliquid dixi in *Apologetico pro decore Antiquæ doctrinæ contra ignominiam & dedecus novitatis.*

Mantuæ Carpentanæ Curiæ *Philippi* 4. *& Regum Catholicorum*, Conſilium ſupremum ſanctæ & Generalis Inquiſitionis, ex matura deliberatione, & qualificatorum prudenti, & docta cenſura, edidit decretum, quo damnatus eſt liber (quouſque corrigatur) Theophili Raynaudi, cujus titulus eſt: *de libris bonis & malis.* Continet enim ſcandaloſa multa, & temeraria; & ſic jure optimo relegatur, quouſque explicetur, & expurgetur à *ſpinis*, per quas ejus Auctor incedit.

Rurſus

Rurſus damnatus eſt *juxta Regulas expurgatorii libellus compoſitus*. à Leodegario Quintino Heduo, ſacræ Theologiæ Doctore, *Apologeticus* in defenſionem doctrinæ Raynaudi, *in reſolutione controverſia de communione pro mortuis:* in quo damnatam Raynaudi doctrinam de hac materia defendit, tuetur, & propugnat. quare eo ipſo damnatus eſt, vel declarari debet damnatus, & in totum prohibitus & igni tradendus, ut *ardens in veſte ſit* incenſus, ejuſque flos cinis appareat; eſt enim *Naphthea* materia, ad quam flamma ex longinquo tranſvolat, *& alibi aliorum Raynaudi operum erit prohibitio, quæ ad meam notitiam non pervenit.*

Quare Raynaudo in *ſuo Leodegario* reſcribo epiſtolam Peluſiotæ, quam ſcripſit *Theodoro Scholaſtico lib.* 3 *epiſt.* 41. *Quidam te ob ingenii acumen, ac dicendi facultatem admirantes, ut contentioſum atque ad audiendum difficilem & moroſum accuſant. Nam cum ad inferiores te dimittere debeas; tamen contra, ne ſuperioribus quidem ac præſtantioribus cedis. Quocirca, ne eruditionem eam, quæ in te ſumma eſt, per animi ſiniſtritatem, atque improbitatem, probro ac dedecore affice. Verum egregiæ indoli benignitatem, & eloquentiæ, morum ſuavitatem, & facilitatem admiſce, quo utrumque laudem & nominis celebritatem concilies.* hæc ille; & vere quidem: nam gloriam ex librorum multitudine quærere, & ex hoc pruritu, ſtudiorum laboribus incumbere, non utilitatis & veritatis capeſſendæ, ſed gloriæ vanæ, & ambitionis deſiderium eſt: quod bene & vere Juvenalis:

——— *Tenet inſanabile multos*
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde ſeneſcit.

Quare libri magis à profectu, quam ab Authore penſandi ſunt. Egregie id dixit S. Salvianus, *in proœmio lib.* 1. *de Avaritia. Sed requiret forſan aliquis, quis auctor ſit? Poteſt hoc quidem quari, & recte quaritur, ſi inquiſitio valet ad fructum aliquem pervenire. Cæterum, ſi infructuoſa eſt, quid neceſſe eſt ut laboret curioſitas, cum profectum curioſitatis non ſit habitura cognitio? in omni enim volumine pro-*

fectus

fectus magis quæritur lectionis, quam nomen Auctoris. ſed tam imbecilla ſunt judicia (multorum) hujus temporis, ac pene tam nulla, ut hi, qui legunt, non tam conſiderent quid legant, quam cujus legant; nec tam dictionis vim aut virtutem, quam dictatoris cogitent dignitatem. Quare optime Theophilus Cyprius (ut refert Socrates, *lib. 6. Hiſtoriæ cap.* 15.) dicebat *libros Origenis ſimiles eſſe prato, omnium florum generibus referto; idcirco, ſi quid reperio in illis boni, illud decerpo. ſin ſpinoſi quicquam; hoc, utpote aculeis pungens, miſſum facio.* Sic ego libros Theophili *Galli* lego & perlego, eos qui bene floridi olent, amplector; at ſpinoſos, ut ſunt præfati, abjicio & repello. *Explicit Bibliologium librorum prohibitorum Raynaudi.*

Antidoti

Antidoti Primæ Syllabus Titulorum.

ANTICIUM I.

Titulus libelli Leodegarii pro defenſione Raynaudi diſcurſus.

ANTICIUM II.

Reſponſio pro epiſtola dedicatoria, quam mittit Leodegarius.

ANTICIUM III.

Ratio procraſtinatæ Antidoti.

ANTICIUM IV.

Oratio ad Ieſum.

ANTICIUM V.

Antidoti Catholicæ Proœmium.

§. I.

Præludium I. Theophilus in ſuo Leodegario caſtigatus, & objurgatus à S. Gregorio Nazianzeno. Pag. 1

PARS I.

Capitula literarum Gallicarum Raynaudi. 2

PARS II.

Reſponſio ad capitula Gallicana. 4

§. II.

Præludium II. Magni Nazianzeni doctrina, Raynaudi in ſuo Leodegario exprobrantur maledicentiæ, & opprobria contra me edita. 7

PARS I.

Ea quæ de me ſugillat Leodegarius, in medium adduco. 9

PARS II.

Flocci penduntur iſtæ ſtrophæ. 11

PARS III.

Doctrina Nazianzeni non me comprehendit. 13

PARS IV.

Leodegarius Berengario Apologiſtæ pro Abaylardo comparatus. 15

PARS V.

Res noſtræ in univerſum vindicantur. 18

PARS VI.

Vindiciæ minutiarũ ſigillatim. 19

PARS VII.

Proſequuntur vindiciæ contra Leodegarium. 20

PARS VIII.

Admittitur laus Patris noſtri Generalis Raphaëlis Averſa. 22

PARS IX.

Sugillatio mearum Grammaticationum, ſophiſma eſt puerile. 22

PARS X.

Qui me, etſi indignum, honoribus cumulent. 25

§. III.

Præludium III. Theophilus Raynaudus in Leodegario expolitus, raſus, & expurgatus, ex decreto Apoſtolico edito à ſacra congreg. Eminentiſſimorum Card. de Indice librorum. 27

PARS I.

Decretum ſacræ congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium de Indice librorum. 29

PARS II.

Verba Leodegarii de ſtatu controverſiæ de communione pro mortuis. 31

PARS III.

An opinio Raynaudi ſapiat Hæreſin Arii & Lutheri? 32

PARS IV.

Secundum nodum arundineo cuneo curat rumpere inani conatu Leodegarius. 34

PARS V.

Nec tertium nodum extricat. 35

§. IV.

Reponitur ſenſus duplex controverſiæ de communione pro mortuis. 38

PARS I.
Aperitur primus sensus 39
PARS II.
Est erroneus. 40
PARS III.
Secundus sensus Catholicus. 41
§. V.
Recopilatio sententiæ Raynaudi facta à suo Leodegario Quintino Heduo. 41
§. VI.
Castigatur Raynaudus in suo Leodegario Apologista compendiatore. 44
PARS I.
Verba D. Tho. Lect. 6. in Ioannem non intellexit Raynaudus. 45
PARS II.
Perverse intelligit usum antiquum, quod in missis defunctorum non communicarent fideles, & cur hoc? 46
PARS III.
Carpitur modus loquendi Leodegarii. 48
PARS IV.
Reprehenditur quod dicit, satius esse jejunare pro defunctis, quam illis communionem applicare. 49
PARS V.
Evanescit exemplum quod adducit de aliis sacramentis. 51
PARS VI.
Expugnatur quod asseritur, animas Purgatorii incapaces esse solatii, & consolationis. 53
§. VII.
Vtrum animæ existentes in Purgatorio capaces sint consolationis & lætitiæ? 54
PARS I.
Affertur Raynaudi in suo Apologista opinatio, & impugnatur ad hominem. 54
PARS II.
Enucleatio sententiæ Raynaudi posita à Leodegario. 55
PARS III.
Raynaudus in suo Apologista vulsus, & depilatus. 58
PARS IV.
Positis duobus fidei principiis, elicitur conclusio Theologica contra Leodegarium Raynaudi. 61
PARS V.
Aliis argumentis eadem veritas firmatur & stabilitur. 63
PARS VI.
Oscitantia Leodegarii aperitur, & veritas à priori monstratur. 64
PARS VII.
Ex unione extatica, quam habent animæ purgatorii, eadem veritas propugnatur. 66
PARS VIII.
Ad fundum animæ existentis in purgatorio, non accedet dolor & amaritudo. 68
PARS IX.
Depilatur Raynaudus in Leodegario, circa id quod dicit de officio Sacerdotis in Parasceve. 70
§. IX.
Raynaudi doctrina, de non communicando pro mortuis ex Patribus, & conciliis sacris præcluditur. 72
PARS I.
Ex Patrum sententia stabilitur major. 72
PARS II.
Ratione à priori D. Tho. monstratur veritas. 73
PARS III.
Vis minoris clara est. 74
PARS IV.
Magnus labor satisfactorius in sumptione hostiæ consecratæ. 75

PARS

PARS V.

Eadem laborioſitas communionis ex alio Patrum principio oſtenditur. 77

PARS VI.

Quia Euchariſtia, etiam ut ſacramentum, eſt ſignum unitatis membrorum Eccleſiæ cum Chriſto. 79

§. X.

Rationibus & argumentis firmiſſimis S. Petri venerabilis Abbatis Cluniacenſis evertitur opinatio Raynaudi in Leodegario ſuo. 81

PARS I.

Prima Hæreſis Petro-Bruſiana ex Abbate Cluniacenſi. 82

PARS II.

Secunda Hæreſis Petro-Bruſianorum ex eodem Abbate. 82

PARS III.

Hanc Hæreſin ſapit Leodegarii opinatio. 84

PARS IV.

Argumento primo, quo S. Abbas Cluniacenſis Petro-Bruſianos, ego Leodegarium comprimo. 87

PARS V.

Argumento ad hominem ipſum premo. 92

PARS VI.

Sumptioni Euchariſtiæ ineſt magna energia ad impetrandum. 93

PARS VII.

Ex re oblata idem oſtenditur. 94

PARS VIII.

Ex illo ad Corinth. 1. cap. 15. alioquin quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? *efficaciter idem oſtendit S. Petrus Cluniacenſis.* 95

PARS IX.

Ex Hugone Ætheriano firmatur ſententia fidelium. 97

PARS X.

Ex Gennadio Scholario Patriarcha Conſtantinopolitano. 99

PARS XI.

Ex Luca Tuitienſi Epiſcopo. 100

§. XI.

Ex ritu antiquo Eccleſiæ communicandi fideles in miſſa poſt Sacerdotem eadem veritas comprobatur. 101

PARS I.

Quia communio laica eſt ſacrificii participatio, & ſic applicabilis defunctis fidelibus. 103

PARS II.

Dum Patres priorum ſeculorum dicunt, quod fiant ſacrificia pro defunctis, ſub ſacrificii nomine communionem laicam comprehendunt. 106

§. XII.

Ex revelationibus perſonis ſanctitate eximiis factis, eadem veritas ſtabilitur. 110

PARS I.

Revelationes factæ perſonis, quarum ſanctitas eſt vindicata, efficaces ſunt ad probandam veritatem. 111

PARS II.

Non ſic factæ, dum perſonæ, quibus revelatum eſt, vivunt; aut poſt mortem earum ſanctitas non eſt vindicata. 113

PARS III.

Adducuntur pro hac veritate Revelationes divinæ. 115

§. XIII.

Oratio pro defunctis facta, etiam ut impetratoria eſt, multum illas juvat, ut à pœnis purgatorii liberentur. 116

PARS I.

Oratio, prout præciſe impetratoria,

ria, valde utilis est defunctis, & contrarium est error. 117

PARS II.

Sancti in cœlo existentes pro mortuis orant. 119

PARS III.

Ecclesia militans impetrat oratione pro defunctis. 121

PARS IV.

Est sensus & consensus Patrum. 122

PARS V.

Oratio est prima radix impetrationis. 124

PARS VI.

Qua ratione Oratio nitatur fide? 125

PARS VII.

Oratio, ut impetratoria, multis modis est utilis animabus purgatorii. 126

§. XIV.

Communio Eucharistiæ, prout impetratoria, non tenue, sed magnum subsidium est animabus purgatorii. 128

PARS I.

Secundæ propositionis Raynaudi propugnatio Leodegarii parvi pensa. 129

PARS II.

Turpe locutus est Raynaudus in Leodegario, & Leodegarius in Raynaudo. 130

PARS III.

Magna est vis impetratoria in Eucharistica communione juxta Orationis imperium. 132

PARS IV.

Ex Patribus firmatur eadem vis impetratoria sacræ communionis. 134

PARS V.

Duplex Oratio. una expressa, altera interpretativa. 136

PARS VI.

Temeritas locutionum Raynaudi, & crudelitas in defunctos. 137

PARS VII.

Debilis Leodegarii Theologia monstratur, & aperitur. 139

PARS VIII.

Raynaudus notatur de inconstantia in dictis suis. 140

PARS IX.

Theologiæ paupertas propalatur in Leodegario. 141

PARS X.

In Dictionario Theologico oratio est essentialiter submissio ad Deum. 142

PARS XI.

Quid sit submissio? quid proprie humilitas? 143

§. XV.

Quo sensu communio laica possit prodesse ex opere operato, animabus purgatorii? 145

PARS I.

Opinatio Leodegarii pro Raynaudo. 145

PARS II.

Ventosa est, & inanis. 147

PARS III.

Raynaudus in Leodegario non est assecutus mentem D. Tho. 149

PARS IV.

Eucharistia, ut Sacramentum, remittit immediate pœnam temporalem. 151

PARS V.

Hæc remissio subest dispositioni liberæ communicantis. 153

PARS VI.

Pœnæ temporalis duplex remissio. 155

§. XVI.

Convenit excitare fideles, ut pro animabus purgatorii communicent. 157

PARS

PARS I.
Communicans digne participat fructum sacrificii. 157
PARS II.
Etiam de eodem fructu participat, in quantum est specialis offerens. 158
PARS III.
Praxis fidelium applicantium communionem, bene fundata est. 160
§. XVII.
Qualiter communio à laico celebrata, injuncta ad lucrandam indulgentiam prosit defunctis ex opere operato? 161
PARS I.
Conceptionis Leodegarii abortus. 162
PARS II.
Evellitur, ut indecora verbis, & doctrina. 163
§. XVIII.
Ex aliis Catholicis, & piis motivis persuadenda communio pro animabus purgatorii. 165
PARS I.
Animandi & excitandi sunt fideles, ut communionem defunctis applicent, ut magis crescat Sacramenti altaris veneratio. 165
PARS II.
Etiam ut ardentius frequentent Eucharistiam. 168
§. XIX.
Vtrum animæ in purgatorio degentes spiritualiter communicent? 170
PARS I.
De Communione spirituali defunctis applicabili. 171
PARS II.
Vindicati Cabasilas, & Herbetus, & qualis fuerit Theodoretus ostenditur. 172
PARS III.
Ex hoc gravi Auctore deducitur, quod communio spiritualis sit applicabilis defunctis. 176
PARS IV.
Quos effectus habeat communio spiritualis? 179
§. XX.
Antidoti ultima manus. 181
PARS I.
Verba Raynaudi, quibus ultimo complet venenum suæ doctrinæ. 181
PARS II.
Astute illud, & juxta Regulas perfecit. 182
PARS III.
Praxis communicandi pro defunctis enucleatur Catholice. 184
PARS IV.
Verbis Patrum castigatur Leodegarius Raynaudi. 185
Bibliologium, Appendix Antidoti, operum prohibitorum R.P. Theophili Raynaudi ex Decretis Sanctæ Inquisitionis. 189

Syllabi Titulorum finis.

ANTIDOTVS ALTERA,

Adverſus venenum, quod ex eodem fonte Theophilino

SECUNDO HAUSIT

Leodegarius Quintinus Hæduus Buccafœtidus:

Et effudit circa Controverſiam de vero Martyrio charitatis,

IN APOLOGIA,

Cui Titulus: Theologia antiqua de veri Martyrii adæquate ſumpti notione:

Ad ſpumoſam καινολογίαν, & fragoſum Taratantara Thomæ Hurtado Buccaferrei de Seyr iterum vulſi, ac depilati:

ITERATO

Propugnatore eodem,

D. Didaco Sanchez del Aquila, M. T.

ANTIDOTUS ALTERA.

Vox incantantis ſapienter adverſus recens venenum Aſpidis ſurdæ, quod ex fonte Theophilino denuo ſcaturiit, & inſipientibus iterato propinat Leodegarius Raynaudi.

Hoc anno 1656. fervens ab Aquilone olla ſuccenſa ſuppoſitis ſpinis ſonum vanum, & ſtrepitum inanem flamma ſua edentibus, velociori curſu, etſi non feliciori termino ad Hiſpanas oras advenit, fumos putidos calumniarum, ſycophantiarum, detractionum exhalans, ſpirans Lernæum fœtidum virus in Eccleſiam, contra veram, ſanamque doctrinam, jam vindicatam à cenſoribus fidei eminentiſſimis Cardinalibus, nihil continens niſi ſtreperas voces, ſtridores inanes buccarum tumidarum, & crepitantium; qui viris cordatis ingrati ſunt & moleſti, evomunt enim virus acerbitatis, & impudentiæ ſuæ, malumque venenum ingerunt, & addunt *ſerpentibus atris*, id eſt Hæreticis. Quare olla hæc Aquilonaris frigida nihil decoquens, ſed ſtridens, plena eſt malelogiis, cacologiis, improperiis & ſeſquipedalibus verbis inutilibus; coctor eſt auctor ille, qui hanc Apologiam pro Raynaudo non cum

parvo Eccleſiæ ſcandalo in publicum̀ edidit: de quo verificatur, quod de ſimilibus dicit Dominus Oſeæ cap. 5. n. 1. *Laqueus facti eſtis ſpeculatiöni, & rete expanſum ſuper Thabor.* id eſt, ut explicat Latine ludens P. Cornelius à Lapide, ibi. *Vos ſpeculatores facti eſtis expilatores, aut ſpiculatores, vos tutores, traditores; vos curatores, proditores, vos defenſores, direptores. Ita Synodus Generalis 5. actio. 5. ex verbis S. Cyrilli hunc Oſeæ laqueum ait eſſe Theodorum Mopſveſtenum, & ſimiles Hæreſis & falſitatis Doctores.* Hæc vir ſapiens, & quidem appoſite. Nonne Leodegarius Raynaudi, cum *ſpeculator* deberet eſſe magnitudinis doctrinæ ſanæ, & ſemper (quidquid ganniat) in Eccleſia receptæ, de vero & unico martyrio fidei ſanguine ſanctorum rubricato; hujus depoſiti factus eſt *expilator*, imo *ſpiculator*, ſpicula & ſagittas in illud mittens? cum eam tueri deberet, tradit oblivioni, & cum ſperare ab inimicis, illis prodit; & cum defenſor eſt conſtitutus, direptor illius evaſit, falſitatis, & deceptionis Doctor, qui factus eſt *rete expanſum ſuper Thabor*, id eſt Eccleſiam, inſidias tendens, ad capiendas aviculas innocentes. Verum, ut dicit Salomon Proverb. 1. n. 17. *fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* rete ſcilicet *malæ doctrinæ*; dicit ibi *inter linealis*: &, ut Lyran. *ante aves acute videntes periculum, & vitantes per volatum malum*, & perverſam doctrinam, quæ venenum aſpidis continet; quam breviter *incantare ſapienter* decrevi, ne diffundatur contagium

tagium falsitatis, & insulsæ doctrinæ; non enim decet protelare responsionem.

§. I.

Variæ transformationes Leodegarii Raynaudi, *quibus subdole arietat sanam doctrinam, & impetit veritatem jam in Ecclesia vindicatam.*

Velut Polypus petrarum, quibus adhæret, aut Chamæleon ludens corio suo, Leodegarius Raynaudi de corio alieno colores mutat, & in varias formas se transmutat velut alius Protheus, ut ludificet legentium oculos, lugubrem accipit colorem, dum mortuorum animas malevole trucidat, impediens ne subsidium laicæ communionis animabus in purgatorio existentibus suffragetur: quod figmentum jam evanuit, in prima hujus Antidoti parte; nisallor, non callide, aut politico artificio, sed Theologicis rationibus simpliciter juxta principia fidei à Patribus Ecclesiæ, & doctoribus observata; quæ dum convellere nititur Leodegarius Raynaudi, *subula leonem excipit*, & lapides in se jactos mordet, at non lædit mortuos adlatrans. Modo in hoc secundo abortu purpureum colorem, qui testibus Cardinibus fidei sacris Martyribus, qui sacro cruore effuso Christianismum Catholicum confirmarunt, debetur, illisque Sancta Mater Ecclesia privative ad omnes alios purpuram adaptat; ipse ex proprio cerebro, *sine duce*, & *sine luce* primus eos, qui inserviendo peste infectis vitam finiunt *dibapho* & *cocco* tegit, laureolam veri martyrii illi imponens. Sed in hoc secundo, sicut in primo desipis Leodegari Raynaudi, nam *tinctor in mora fuit*, & semper erit; & cum simul *aure, mente, & oculis cæcus sis*, de coloribus judicare non vales: habes enim *Bœoticum judicium*, & *aurem Batavam*, & *oculum justitiæ acrem, rectum, immotumque non possides*, & sic juxta tuum liberum placitum transmutaris, ut *fœnus vento fabuleris*.

Ciebis irritos fidium ſonos,
Iejuna & indonata pulſans carmina.

Et dum ſub forma leonis (quæ fuit prima Prothei tranſformatio, ut ait Clemens Alexan. lib. 2. Pædagog.) magna & fortia polliceris, ſub forma muris ridicula exhibes. audi Syneſium in epiſt. ad Anaſtaſium. *Cum inclamaſſet* (ait) *in illum* (in me) *bis aut ter, ac de plauſtro, quod aiunt, convitiis inſectatus, nihilque non in eum eſſet vociferatus, deinde murem pro leone exhibuit. Quod deſumptum à Beſtiariis* (proſequitur Manuvius) *qui multa polliciti, quaſi leonem immanem & inſolita magnitudinis emiſſuri, mox murem emittunt.*

Igitur Leodegarius hic Raynaudi, ut liberius convitiari poſſit, & doctrinam alias in Eccleſia & ab Eccleſia excluſam tueatur, novus Protheus larvis diverſis in varias ſe transformat figuras, & varie veritatem impugnat, ſed inſipide & frigide.

Sed frena mordens, pullus indomitus velut
Ferociens pugnas habenas vincere.

Cum enim Sacra Congregatio de Indice Eminentiſſ. Cardinal. Raynaudo frænum impoſuerit, habenaſque reſtrinxerit, ne veros martyres efficeret, niſi quos tales veneratur Eccleſia, & antiqua ſanaque Theologia; figuram leonis aſſumpſit ut frænum hoc morderet, & habenas pugnis laxarat ferociens, ut *pullus indomitus*, contra veritatem in me recalcitrans verbis mordacibus & indecoris. Unde ipſe verius buccaferreus eſt, cum frænum Eccleſiæ ſibi impoſitum non ſentiat, ſed præceps *dente maligno* mordeat & contemnat, & tanquam ſtruthio devoret, at non valebit digerere, quia immutatum, & acre perſeverabit, & dum *ferrum ſuum natare docet*, ſubmergetur *ſub aquis vehementibus*, vel flammea cenſura à rubigine defæcabitur: at ſi totum eſt rubigo, totum in cineres & ſcoriam abibit.

Et, ne aliud quærat, quam Eccleſia inſtituit, & decernit, hanc foſſam (cenſuræ) Leodegario Raynaudi determinavit, extra quam egredi non debet. quidquid enim

contra

contra illam ſuis transformationibus dicat, *cantilena eſt ex ſcholis*, plane nugatoria, & nullius utilitatis; eſt namque *Teſtamentum Grunii Corocottæ Porcelli*, quod *decantabant in ſcholis puerorum agmina lacrymantium*, ut ait Hieronymus *in proœmio lib.* 8. *in Iſaiam*, & *Apologia* 2. *contra Rufinum*. *Cyrrathorum turba Mileſiorum in ſcholis figmenta hæc occinent*, & quidem nonniſi qui Mileſio gaudet ſermone, qui aures demulcet ut à veritate avertat auditum; his fabellis Leodegariis gaudebit, aut *Cyrrathi juvenes, qui ſub ferula degunt*. Viri enim prudentes & cordati has transfigurationes, ut novitates introducantur, etiam rejectas, fugiunt, ſimplicem & illarvatam veritatem diligentes.

Sed miror, cur Auctor Apologiæ ſe in Leodegarium transformarit, & non in Leonem Byzanticum, an quia patriæ contra Philippum defenſorem? cur non in Leocharem? an quia nobilis ſtatuarius fuit cælator ſepulchri Regis Cariæ Mauſolæi, & ipſe non vult officium Beſeleel aſſumere, qui antiqua cælat, ornat, & ſculpit, ſed nova vult facere omnia cum contemptu & incuria antiquæ, ſanæque doctrinæ? cur non in Leonem Cenechrium? qui veneno ſuo velut ſacculo jacto transfigit animantia ſaltu, ut refert Avicenna, *Fen.* 6. *tract.* 3. *cap.* 40. alias *ſerm.* 44. *qui* (ut ait Nicander Galeni magiſter, & Doctor inſignis ſuæ ætatis) *more Leonum greſſilium*, *cum ipſe ſit ſerpens virulentiſſimus*, *ſanguinem animantium fugit*, *relictis aliis eſcis?* an quia in veris martyribus ſanguinem quem fugat non invenit? & contra naturam ſuam, facit ſine ſanguine martyres, quos præfert martyribus murice purpureo ab Eccleſia decoratis? Unde Leodegarium ſe introducit, Auctor Apologiæ, Quintinum Heduum, ut induat larvam illius Quintini Hedui, quem in 1. p. hujus Antidoti diximus anteſignanum fuiſſe & primum introductorem Hæreſis Libertinorum in Gallia, à qua eſt oriundus *Leodegarius Quintinus Heduus*. Unde pulex cum ſit, leonem agit, ſed cum lagine enecabitur. Vel melius cum Euſebio Cæſarienſi *adverſus Hieroclem*.

Abibit

Abibit nobis quidem Theologus. Caterum asinus intectus pelle. & satis apte Lucianus *in Dialogo Philosepde. Tantum temporis non animadverti eum sub leonis exuviis ridiculam quandam simiam tectam habere.* Vere quidem Leodegarius iste simia est sine purpura purpurata; ut parum attentos & imperitos fallat, sed apud prudentes semper manebit simia, etsi aurea gestet insignia: vel si simia non est, erit *apud Cumanos asinus fugitivus*, apud quos pro leone se gessit. de quo satis ad rem Lucianus in *Dialogo Piscator*, cujus verba refero, quia Leodegario aptantur. sic enim ait:

Apud Cumanos asinus quispiam pertæsus servitutem, abrupto loro in sylvam aufugerat, illic forte repertas leonis exuvias corpori applicabat suo. Atque ita pro leone se gerebat, homines pariter, ac feras voce, caudaque territans. Nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquandiu personatus hic asinus, pro leone immani habitus, ac formidatus; donec hospes quidam Cumas profectus, qui sæpe numero viderat leonem, & asinum, atque ob id non erat difficile dignoscere aurium prominentium judicio, neque non aliis quibusdam conjecturis, asinum esse deprehendit, ac probe fustigatum reduxit, Dominoque agnoscenti reddidit. Interim tamen risum non mediocrem concitabat omnibus Cumanis asinus jam agnitus, quos, dudum creditus leo, metu propemodum exanimaverat.

Apologi applicatio satis congrua est Leodegario huic, qui pertæsus servitutem & obedientium decretorum Ecclesiæ, lorum, & habenam rumpit, & aufugiens in eruditionis vanæ sylvam, personatum se ostendit leonem, habitu in ipsum se transformat, quo Cumanis stolidis, scilicet formidabilem se exhibeat. Sed gratias Deo, quod sint, qui *ex aurium prominentium indicio* Cumani (Itali) ingenio & doctrina perspicaces non leonem, sed asinum inepte rudentem agnoverunt, & censuris fustigatum veritati reduxere, ut qui *larvatus leo territabat*, *asinus agnitus ad risum moveat rudentis sibilo.* Quare *lemures* sunt, & *nocturna larvæ*, quibus puerulos terret Leodegarius,

rius, omnes hæ transformationes, quare in nocte lucens, luce inutilis est, cum inter indoctos novitatum amicos aliquid esse videatur, & inter eruditos nihil sapiat; colligit enim ex *Tantali horto fructus*, ea consectando, quæ nusquam fuerunt in Ecclesia, sed ipse solus emit venenum, & apud ipsum solum venditum cum magno Ecclesiæ & veræ doctrinæ detrimento; habet enim calamum liberrimum, & ipse solus hoc monopolium instituit in labem Ecclesiasticæ disciplinæ, vivis hoc vendendo.

Sed spatiatim ad te eloquium meum, Apologista stolide, qui ut liberius ferias, & audacius impetas veritatis defensores, ut eos depiles, & vellas; non secus ac illis alter anonymus, qui turturem Gravinæ, cujus vox audita est in Ecclesia, deplumare tentavit. Verum sicut ille, ita & tu quidquid objiciis, in tuam congeris perniciem, & *vestem ac cutem perdis*, dum deplumare, & depilare intendis. Quare apud recte sentientes, ego te, & deglabrabo, ac folia ficulnea, quibus nuditatem tegis, igni tradam; defendam enim polymitam & purpuratam Christi vestem, quam in vestitu deaurato, circumamicta martyrum fidei varietate, induit sponsa Christi Ecclesia: & tu proscindis, & dividis, ac tanquam leo rugiens dilaceras, novos martyres creans, quos lasciniis induis; quas, dum à veris martyribus surripis, *Graculus inter muscas existis*, indoctus penitus, & de Hæresi suspectus inter doctissimos, ostentatione falsæ doctrinæ te jactas, atque viris Catholicis, & eruditis, obstrepis odiose, & imprudenter,

—— *Argutos interstrepis anser olores.*

Anseres enim molesto stridore obganniunt; quare dum tantam congeris materiam (pus potius alicujus *bubonis pestiferi*,) ut tuum novum martyrum genus introducas, tua verbositate tempus extrahis, eloquentiam ostendis, at sapientiæ nihil; sed semper dum garris, næniis *supra clepsydram* loqueris, & tanquam *novus Palephatus* fabulas scribis, rerum omnino incredibilium. quare libellus iste tuus τ' ἀπίστων dicitur, & nova μυθολογία dici debet, volens magister non tantum reputari, quam discipulus

verita-

veritatis (contagium hujus temporis) quo infecti multi nuperi ſcriptores, & ipſi alios inficiunt, ingerentes animoſitatem, ut ſemper aliquid novi meditentur, etiamſi in perniciem diſciplinæ Eccleſiaſticæ vergat. Hoc deplorabat prudens ille Plinius Junior, *lib.* 8. *epiſt.* 23. loquens de Avito, *ad Marcellinum. Ita* (inquit) *me diligebat, ut me quaſi Magiſtro uteretur. Rarum hoc adoleſcentibus noſtris. Nam quotus quiſque vel ætati alterius, vel auctoritati, ut minor cedit? ſtatim ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipſi ſibi exemplar ſunt. ſed non Avitus: cujus hæc præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur; hæc præcipua eruditio, quod diſcere volebat.* Hactenus Plinius. quod per tranſennam dixerim, ut notetur quanta inducatur pernicies in Eccleſia prurigine novitatum, quam vehementer ſuſtines Leodegarie Raynaudi.

Bene de te S. Proſper Aquitanus, *in præfatione reſponſionum ad capitula objectionum Vincentianarum*, ait. *Quidam Chriſtianæ, ac fraternæ charitatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram quoquomodo ſtudent lædere, ut ſuam ſe evertere, nocendi cupiditate non videant; contexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt prodigioſa mendacia, eaque oſtendenda & ingerenda multis, publice, privatimque circumferunt, aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia continentur indiculo. quæ falſe in nos, ad excitandam invidiam jactitari, facile & ſufficienter ſubſcriptione unius probaremus anathematis, niſi malignitas eorum, qui ſe gravari putant, ſi de nobis bene ſentiatur, ipſam ſubſcriptionis noſtræ brevitatem ſuſpectam eſſet habitura*, &c.

Videas & attendas, obſecro, Leodegari Raynaudi, attendas, iterum obſecro, an præfatio Aquitanica te comprehendat; ego enim, etſi aliquod verbum aſperum contra tuum Raynaudum dixerim, imitatus ſum Patres, qui contra auctores novitatum verbis acribus ſunt locuti, ut verborum acrimonia cauterizatas eorum conſcientias penetrarent, qui gravari ſe exiſtimantes, ut prodi-

gioſa

gioſa mendacia ingererent multis ſimplicibus, impugnantium exiſtimationem quoquo modo ſtudent lædere; ſicut tu meam, nullum lapidem immotum relinquens. *ſed non idcirco, frater chariſſime,* (verba ſunt Cypriani epiſt. 55.) *relinquenda eſt Eccleſiaſtica diſciplina, aut Sacerdotalis ſolvenda cenſura, quoniam convitiis infeſtamur, aut terroribus quatimur, quando occurrit & monet divina ſcriptura, dicens: à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in ſtercus & vermes. Neque enim, quia pauci temerarii cæleſtes vias Domini derelinquunt, ideo & nos divinæ traditionis immemores eſſe debemus, ut majorum eſſe furentium ſcelera, quam Sacerdotum judicia recenſeamus, aut exiſtimemus plus ad impugnandum poſſe humana conamina, quam ad protegendum prævaleat divina tutela. An ad hoc, frater chariſſime, deponenda eſt Catholicæ Eccleſiæ dignitas, Sacerdotalis quoque auctoritas & poteſtas?* &c. quæ infra ponderabo, dum vindicabo cenſuram datam in Romana Curia à Sacra Congregatione Eminentiſſ. Card. *de Indice lib. prohibitorum.* Modo tamen ea adduxi in conſolationem eorum, qui perſecutionem patiuntur propter veritatem tuendam, quæ in ſequentibus luce clarius elucebit. Hæc tamen quaſi pro præfatione ſufficiant, *ut facile vel tenuis diligentiæ advertat inſpector, quam injuſtis opprobriis Catholici Scriptoris, pro veritate vindicata in Eccleſia decertantis ſententia carpatur, & in quod peccatum cadant, qui aliena inſtigatione commoti, illum potius habeant culpare, quam noſſe,* ajebat Proſper alicubi.

§. II.

Expenditur titulus opellæ Leodegarii Raynaudi.

Elegans profecto eſt antiqua Paræmia *de aſini proſpectu,* de qua Lucianus, *in Aſino ſuo*, & Apuleius, *lib. 9. ſuæ Metamorphoſeos* dici ſolita, in eos *qui ridendo titulo quempiam calumniantur.* Huic eſt ſimilis alia, *ſuo ipſius judicio perit ſorex.* Ut enim Donatus, *proverbium dicitur in eos,*

eos, qui ſuapte voce perduntur, exiſtimant enim ductam eſſe metaphoram, quod ſoricum proprium ſit, vel ſtridere clarius quam mures, vel ſtrepere magis, cum obrodunt frivola, (nam ſolida non attingunt.) *ad quam vocem multi ſe intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfigunt eos.* vere quidem titulus, quo me calumniatur Leodegarius Raynaudi, *aſini eſt proſpectus*, quo terrificare vult ſimplices aves, & ipſe Leodegarius *ſorex eſt*, qui frivola mei operis rodens judicio ſuo periit, & dum ſtrepit, ſeipſum manifeſtat ut *transfigatur*, aut capiatur. Quare dum ſtridet rumore rodens papyros, nugas agit, fruſtraque conatur effectus ineptiarum Antiſtes, & frivolarum næniarum Author; delirat enim, & deſipit ſannas blaterans, & anicularum fabulas: ut enim ait Plato, *in Thæto*, dum titulum ſtupidum ponit, mihi videtur *ignavi galli in morem triumphum ante victoriam canere. Sed ſcarabæus iſte aquilam quærit*, quæ ipſum vincere vel dedignatur. *Sunt enim quidam homunculi malitioſi, non minus atri quam ſcarabæi, nec minus putidi; qui tamen pertinaci quadam ingenii malitia, cum nulli omnino mortalium prodeſſe poſſint, magnis etiam ſæpenumero viris faceſſant negotium. Territant nigrore, obſtrepunt ſtridore, obturbant fætore, circumvolitant, hærent, inſidiantur, ut non paulo ſatius ſit, cum magnis aliquando viris ſimultatem ſuſcipere, quam hos laceſſere ſcarabæos, quos pudeat etiam vicisſe, quoſque neque excutere poſſis, neque conflictari cum illis queas, niſi diſcedas contaminator*, ait Lucianus *in Dialogo Icaro Menippo.*

Igitur in epigraphe libelli Leodegarii Raynaudi hæc ſunt verba. Theologia *Antiqua, de veri martyrii abſolute ſumpti notione, ad ſpumoſam καινολογίαν & fragoſum Taratantara Thomæ Hurtado Buccaferrei, de Seir, iterato vulſi & depilati, à Leodegario Quintino Heduo S. T. D.* Titulus iſte titivilitio eſt æſtimandus, & omnino contemnendus: ſed ne impunis evadat ejus inventor, ſingula verba ponderanda, ut *caput* Auctoris, *etſi celebre*, tamen *ſine cerebro*, inveniatur, *minus habens.*

PARS

PARS I.

Est libellus famosus adversus Congregationem eminentissimorum Card. de Indice, & adversus doctissimos Romanos Consultores.

Libellus famosus, ut bene notat Sylvester *verbo libellus n. 4. q. 4.* est compositio in scriptis facta in infamiam alicujus juxta glossam cap. qui in alterius 1. 5. q. 1. ubi Adrianus Papa cap. 40. alias 50. inter Carolinos, dicit: *Qui in alterius famam in publico scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur.* Ubi glossa: *Quæsitum fuit ab Adriano, quam pœnam debeat ille pati, qui libellum scribit famosum, vel alia turpia in alterius injuriam, & respondet: si apparet, & non probat, debet verberibus flagellari: unde manifeste tenetur de actione injuriarum* toto titulo *D. de injuriis, & libellis famosis.* Unde Imperatores Valentinianus & Valens, *leg. unica. C. de famosis libellis* decernunt, capitali sententia plectendos, qui publicant famosos libellos alicujus opinionem lædentes. Quare libellus famosus, idem est quod diffamatorius, & lædens innocentem, & innocuum in opinione & bono nomine fictis nominibus, quibus irrogatur injuria famosis scriptis publicatis, ut Suetonius, *in Domitiano & in Augusto. cap.* 55.

Unde qui publice nocentem libellis impetit, non facit injuriarum actionem, sed rem laude dignam. Ita Paulus Jurisconsultus *leg.* 18. *D. de injuriis & famosis libellis, eum qui nocentem infamavit, non esse bonum, æquum ob hanc rem condemnari, peccata enim nocentium nota esse & oportere & expedire.* ad quæ verba Gottefredus. *liter. A. infamare possum nocentem, etiam non convitiantem, si modo diffamatio mea vera sit, idque ex communi opinione probat Clarus lib. 5. q.* 10. *Gay. lib. 2. observat.* 99. *& multo magis convitiantem diffamare possum.* Hæc ibi. Quare Cajus. *leg. Consultus. leg. item apud Labeonem* 15. *eodem §.* 23. ait, *Meminisse oportebit, non omnem qui ad-*

ſectatus eſt, hoc edicto conveniri poſſe; neque enim, ſi quis colludendi, ſi quis officii honeſte faciendi gratia id facit, ſtatim in edictum incidit, ſed qui contra bonos mores hoc facit. quid autem ſit juxta bonos mores, aut contra illos facere, explicat alter Juriſconſultus Pomponius, *leg.* 33. D. *eodem. Quod Reip. venerandæ cauſa fit* (id eſt, *ob publicam ſive communem diſciplinam*, explicat ibi Gothofredus) *ſecundum bonos mores fit etiam, ſi ad alicujus contumeliam pertinet.* & Cajus *leg.* 15. §. 38. D. *eodem.* prius dixerat. *At dicitur adverſus bonos mores, ut non omnis omnino qui verberavit, ſed qui adverſus bonos mores verberavit, teneatur; cæterum, ſi quis corrigendi animo, aut ſi quis emendandi, non tenetur.*

Attende, Leodegari Raynaudi, doctrinam utriuſque juris, canonici, & civilis, qua & monſtratur titulus iſte eſſe libellus famoſus, contra ſacram Eminentiſſimorum Cardinalium ſententiam damnatoriam *tuæ opellæ de martyrio per peſtem* (nec mireris quod opellam dicam, ſic enim & tu appellas in prologo 3. p.) & contra cenſores Romanos, & me, dum publica ſcriptura verba contumelioſa confingis, ut meam bonam opinionem & famam carpas, contra bonos mores, & diſciplinam Eccleſiaſticam, & obedientiam, quam profiteri teneris ſacris fidei cenſoribus & judicibus integerrimis, qui magna conſideratione, & duorum ſummorum Pontificum conſultatione (ut infra §. 3. monſtrabo) librum tuum *de hoc vere ficto martyrio*, & igni, & oblivioni perpetuò dedere: & cur verba aſpera, & improperioſa quæ contra te, velut ſagittas correctionis jacio, libellus famoſus non ſint, ſed laudabilis, & ex bono zelo dimanans. Quare juxta ſacros canones flagellis cædi dignus exiſtis, & juxta leges imperatorum capitali ſententia; quia *adverſus bonos mores*, cum adverſus juſtam ſententiam, quam, ob publicam & communem Eccleſiæ diſciplinam, Purpurati judices tulere, garrias, & *vulpino more gannias*. Cæterum ego, etſi te verberem, quia non *contra bonos mores*, ſed eos propugnans, libellator injurioſus non ſum, nec contra me

habes

habes *injuriarum actionem*, ad quam non omnis, qui verberat, ſed, qui adverſus *bonos mores verberat* (ut tu) tenetur; *nam ſi quis corrigendi animo, aut emendandi verbis verberet, non tenetur.*

Nunquid non eſt libellus famoſus infamatorius, denigrans Purpuratam Eminentiſſimorum ſupremam dignitatem, quæ nullam niſi Pontificiam recognoſcit ſuperiorem? dum aſſertionem, quam ut *novam* & *temerariam*, utpote in re graviſſima contra omnes antiquos ſcriptores damnant & relegant; ipſe Leodegarius Raynaudi *antiquam Theologiam de veri martyrii adæquate ſumpti notione* dicit. Hoc autem quid aliud eſt, niſi eminentiſſimos Cardines Eccleſiæ, dum è *cardine* loquuntur in congregationibus ſuis, conſultis ſummis Pontificibus, ignorantia & inſcitia notare, & hac nota illos infamare & diffamare? ut infra amplius.

Nunquid non eſt libellus infamatorius contra ſapientiſſimos fidei cenſores, & conſultores Romanos, titulus ille, *Theologia antiqua?* quia rejectus eſt, & ab ipſis damnatus, quia novella introductio novi baptiſmi Peſtis ſupra tres antiquos, & in Eccleſia receptos ſanguinis, flaminis, & fluminis. Quare ſicut iſte ſolus eſt verus baptiſmus, & alii duo per ſimilitudinem, ut ait D. Tho. 3. p. q. 66. art. 12. ita baptiſmus ſanguinis eſt proprium martyrium, & nulla alia mors, etiam ex charitate. Quod argum. ut manifeſtum infra vindicabo. Quod Leodegarius pag. 41. dicit ſibi dictum fuiſſe ab eminentiſſimo Card. Eſpada Congregationis Præfecto: in eo factam fuiſſe magnam vim à Cenſoribus *libri de Martyrio per peſtem*, ut revera fieri debet, ſi profunde intelligatur & penetretur; quam ipſe ſpernens concludit argumenti ſolutionem, *& non puduit eas nugas objicere?* ecce injuriam libelli Leodegarini. nugatores appellat ſapientiſſimos fidei cenſores, & doctrinæ ſanæ defenſores, genio Hæretico actus; mos enim eſt Hæreticis & nugas dicere Patrum ſaniſſimam ſententiam, & ſuas novitates antiquam fidem & doctrinam. O ingens audacia! ô atrox injuria! fundamenta ſolidiſſima,

lidiſſima, quibus Patres Purpurati moti ſunt ad condemnandum ſententia & decreto publico librum, nugas dicere! nugis nixi ſunt judices integerrimi, ad ſententiam libri hominis alias Catholici damnationis in totum? apage! quis hoc dicet, niſi qui *de libertinorum* Hæreſi multum ſapiat, cujus criſta per fas nefaſque ſemper ſurgere curat? ſed eſt qui criſtas detrahat. *Gratias Deo* iterum *atque iterum Deo gratias.*

Nunquid titulus iſte non eſt libellus famoſus contra me, in quo tot verba contumelioſa contra meam opinionem, & bonum nomen publicum continentur? quia vindico Decreta Romana edicta à Sacra Congreg. contra novitates Raynaudi, ob hoc me *Buccaferreum de Seir*, *& piloſum* nominat, *iterato vulſum*, *& depilatum.* Cur Buccaferreum? an quia conſtanter veritatem vindicatam in Eccleſia decreto publico tueor? an quia ex ore meo naſcitur gladius ex utraque parte acutus, quo mortuorum animas purgatorii, & privilegium veri martyrii ab initio naſcentis Eccleſiæ privative ad omnem aliam mortem, niſi ob fidei defenſionem, defendo? quod his veritatibus eſt oppoſitum, damnatum eſt, conſultis ſummis Pontificibus; ſi ob hoc Buccaferreus de Seir vocor, quia pro veritate tuenda, quam omnes Patres noſtri docuerunt, injuriam patior, gaudeo, & lætor, ſic Apoſtoli gaudebant, dum pro defenſione Chriſti *contumeliam* patiebantur, *& ibant gaudentes à conſpectu Concilii* malignantium.

Nunquid Buccaferreus, quia in ore ſemper fero Eminentiſſ. Cardinalem Spada Præfectum congregationis, quæ publica ſententia *librum de vero martyrio charitatis, & miſericordiæ* damnavit, & damnatum publicavit, *per vicos & plateas Vrbis & Orbis?* acuta & penetrans *Spada, penetrabilior omni gladio ancipite* linguæ Leodegarinæ, pertingens uſque ad dimiſſionem compagum, quas ſibi adſciſcit ex omni recentiori gente, quæ ſub cœlo eſt. Sed in vanum, quia Spada congregationis eſt gladius Gedeonis, qui caſtra Madian ſubvertit, perſonuit enim tuba non *fragoſo Taratantara Ennii* (ut tuum taratantara, eſt

enim

enim ſonus & vox *tubæ corneæ* aptus, quo utuntur grunnientium paſtores, ut veniant ad depaſcendas glandes) ſed ſonitu argenteo & ære canoro, quo per circuitum clangit & conclamat ad præliandum Dei & Eccleſiæ prælia, & ut omnes audiant proſcriptionem *ficti veri martyrii charitatis & miſericordiæ*, quæ ab Eminentiſſimo Spada ſubſcripta eſt, & omnibus innotuit truncata ſententia; quamvis aliis ſubſcriptionibus emendicatis corroborari prætendatur, ſed incaſſum, quia *melior eſt racemus Ephraim vindemiis Abiazar*. Si propter hæc Buccaferreus dicor, valde lætor, quia defendo *Gladium Domini & Gedeonis*. Quidni? nonne eſt mihi magnum ſolatii motivum, dum pro tuenda ſententia congregationis Cardinalium *è cardine ſuo* loquentium, tot improperia, tot injurias, tot atroces contumelias patior, & ſuſtineo à propugnatore falſitatis Leodegario Raynaudi? ſimiles effutiunt Hæretici contra Baſilios, Nazianzenos, Chryſoſtomos, Auguſtinos, Hieronymos, Hilarios, Athanaſios. Quare ſicut iſti ob turpem garrulitatem novatorum à veritate non ſe avertere, & ab impugnatione falſitatis; ita neque ego. egregie enim Epiphanius *Hæreſi 79. contra Collyridi*, hujuſmodi farinæ homines, *qui per contumeliam novas opiniones in cogitationes hominum ſeminant*, dicit *imitarî cantharidem, forma quidem aureo colore, altam vero & volantem, venenaque jaculantem, & virus in ſeipſa habentem.*

PARS II.

Non antiqua Theologia, ſed nova Mataeologia, quam publicat de notione veri martyrii Leodegarius Raynaudi.

Proprium novatorum genium, infames ſuas novitates antiquitatis honorifico titulo colorare, ita inviſa eſt in doctrinis novitas, ut niſi perſonata antiquitate videri placide nequeat, ſicut adnotat Martyr Irenæus, *lib. 3. adverſus Hæreſes cap. 1. cum tale* (inquit) *ſit principium*

doctrinæ ipſorum, quam neque Prophetæ prædicarunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt, de qua gloriantur ſe plus quam alios de rebus univerſis cognoviſſe; cum ex his, quæ ſcripta non ſunt, pronuntient, ac ſtudeant, ut vulgo dici ſolet, ex arena teſtes connectere, conantur ad faciendam fidem iis quæ dicta ſunt, accommodare aut parabolas Domini, aut dicta Prophetarum, aut ſermones Apoſtolorum, ne ipſorum figmentum teſtimonio carere videatur. Qua in re tranſiliunt ordinem, & ſeriem Scripturarum, & (quantum in ipſis eſt) diſſolvunt membra veritatis. Transferunt enim & transformant, & dum aliud ex alio faciunt, multos fallunt ſapientia male compacta ex dictis Domini, quæ errori ſuo aptant. Hactenus Iræneus. Hanc eandem vafriciem & malum dolum agnovit Vincentius Lirenenſis *lib. contra prophan. Hæreſum novitat. Captant* (Hæretici) *plerumque* (ait) *veteris cujuſquam viri ſcripta paulo involutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate, dogmati ſuo quaſi congruant, ut illud neſcio quid, quodcumque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur.* Hæc Lirenenſ.

Quorum graviſſimorum Patrum veriſſima doctrina ad amuſſim quadrat Leodegario Raynaudi, qui teſtimonia Chriſti, Apoſtolorum, Eccleſiæ inviolabilem praxim, ſanctorum Patrum ſententias traducit, ut nævos ſuos, ſtipulas, & paleas ſuæ ſententiæ ab ſcholis trajectæ habeant. Neque enim hanc ſententiam Raynaudi, Dominus docuit, aut Apoſtoli tradidere, aut Eccleſia practicavit, quod aliquis ſine morte violenta à Tyranno occaſionata in odium fidei, vere & proprie ſit martyr, martyrio proprio & privilegiato, univoce & ſimpliciter dicto; hoc enim nullus Patrum ſomniavit: ſed Raynaudus, & ejus Apologiſta Leodegarius gloriantur, ſe pluſquam alios de hoc cognoviſſe, pronuntiant & introducunt *verum & proprium martyrium charitatis*, ex his quæ ſcripta non ſunt, ſed ex ſuo conficta cerebro, *ſtudent ex arena teſtes connectere*, captantes ſcripta veterum paulo involutius edita, quæ pro ſua obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant, ut

illud

illud neſcio quid, quodcumque proferunt, *neque primi neque ſoli ſentire videantur*. Nullus veterum, uſque ad Raynaudum non ſolum dixit, imo neque inſinuavit, verum & proprium eſſe martyrium, ubi non eſt tyranni perſecutio à qua originetur mors violenta, ob fidei defenſionem & confeſſionem. Si enim aliquas Patrum ſententias pro ſe adducunt Raynaudus & Leodegarius, *ex arena teſtes connectunt*, ne ipſorum figmentum teſtimonio carere videatur, & ne in illo amplectendo *ſoli & primi eſſe videantur.*

Hoc ita eſſe liquido conſtabit, ſi quis legat ea omnia teſtimonia tam ſacræ paginæ, quam Sanctorum Patrum, ac Tabularum Eccleſiaſticarum, quæ adducit Raynaudus tota *parte* 3. *de martyrio per peſtem*, ut late & evidenter oſtendi *tom. de vero Martyrio fidei Reſol.* & in ſequentibus conſtabit: ſed pro ſua obſcuritate, & difficili locutionis modo dogmati ſuo quaſi congruere videntur; niſi dicat Leodegarius Raynaudi quod hoc, *quaſi*, Lirenenſe ſit idem quod *vere*, ſicut judicat de quaſi poſito in martyrologio de ſanctis Alexandrinis: ſed utrumque ridiculum.

Verum audiamus Raynaudum, qui ubi ſupra, *p.* 3. *cap.* 6. *n.* 2. poſt multa ſic loquitur. *Itaque omnia argum. quæ in ſententiam noſtram intentantur ab auctoritate, admodum frigent; eo enim reducuntur omnia, quod auctores (ſaltem priſci, & quorum auctoritas eſt ineluctabilis) hujuſce martyrii non meminerint; ſed ejus dumtaxat, quod ex doctrina revelatæ odio infertur: quod argumentandi genus, cum ſola auctoritate negativa nitatur, futile eſt. Neque enim nimium debet accedere, quod auctores fere non meminerint alterius martyrii, quam ejus, quod pro fidei doctrina & teſtificatione ſubitur. Hoc enim eſt martyrium frequentiſſimum, & quo tempore Patrum plerique ſcribebant quotidianum, eamque ob cauſam videtur antonomaſtice dictum eſſe martyrium: Cum econtra hoc martyrium pro quo pugnamus, ſit admodum infrequens, & interdum vix in pluribus ſeculis alicubi locum habeat: De raro autem contingentibus non eſt ſcientia. Plerique etiam egiſſe videntur de martyrio*

tantum quoad vocis corticem ſpectato. Quia enim Martyr juxta vocis notionem, idem eſt quod teſtis, & ii formaliſſime Deo atteſtantur, qui minante licet mortem tyranno, perſtant in fidei confeſſione inconcuſſi, inde factum videtur, ut receptiſſimus uſus martyrum nomen ſolis fidei profeſſoribus adſcriberet, non excluſa tamen ſortis paritate apud Deum, quo ad eos, qui æque morte propter Chriſtum defunguntur in aliis negotiis, etiamſi minus explicite, minuſque formaliter teſtes eſſe videantur.

Cæterum hæc ſolutio innumera continet abſurda, & ineptitudines plures, & ignorantias de nominum propria notione, quam transfert, & transformat (Protheus iſte) ut ajebat Irenæus, & dum aliud ex alio facit, multos fallit ſapientia male compacta. Igitur contra ſolutionem ſic argumentor 1. quia in rebus ad dogmata & diſciplinam Eccleſiaſticam & praxim Eccleſiæ attinentibus, argumentum ab authoritate negativa (quia res aut doctrina, quæ introducitur, à nullo Patre aut loco Scripturæ eſt edocta aut tradita) valde efficax eſt, & nervoſum valde ; quo utitur Irenæus loco citato dicens contra novatores, *quod principium doctrinæ ipſorum, neque Prophetæ prædicarunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt, de qua gloriantur ſe pluſquam alios cognoviſſe, & ex his quæ ſcripta non ſunt pronuntiant, ac ſtudent, ut vulgo dici ſolet, ex arena teſtes connectere, ne ipſorum figmentum teſtimonio carere videatur.* Quibus verbis ex authoritatis negatione, quia Scriptura & P. P. non dicunt, colligit manifeſte figmentum eſſe, quod aſſeritur, etſi accommodet quis *parabolas Domini, dicta Prophetarum, ſermones Apoſtolorum, & alicujus viri veteris ſcripta paulo involuta*, ne ſine fundamento figmentum appareat, aut ejus auctor *primus aut ſolus eſſe videatur.* Unde ſine temeritate, & ſumma ineptitudine negari nequit, quod argum. ab auctoritate negativa Patrum, in iis quæ ad dogmata, praxim Eccleſiæ, & Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent, ſummæ ſit energiæ & efficaciæ ; ut infra iterum probabo in parallelis Monachorum Scythiæ, & Leodegarii Raynaudi.

Hujus

Hujus veritatis rationem nobis tradidere Sancti, Generalia Concilia, quæ sanctorum Patrum vestigiis semper insistunt, non alterantium nominum notiones, quas à suis primis impositoribus habuerunt. Unde Athanasius, *in libro de decretis Nicænæ Synodi*, ait: *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstravimus: vos autem, ô novi Caiphæ filii, quos tandem nominum vestrorum ostendere potestis progenitores?* Assigna Leodegari progenitorem aliquem notionis veri, & proprie, & simpliciter martyrii charitatis, & misericordiæ: semper enim appellant martyres hos cum particula diminuente, *quasi*, *velut*, *aut*, *videntur*. Quod si non assignas, novator es, & insolens novitatis introductor. Ast ego (verbis utar Basilii *lib. de S. S. cap.* 29.) contra quos, cum plures Patrum sententias adduxisset, ait: *non sum innovator, & recentium verborum architectus, qui totas nationes, civitates, & consuetudinem omni hominum memoria vetustiorem, insuper & viros Ecclesiæ columnas, & omni scientia, & virtute spiritus venerandos, duces & auctores hujus vocis* (Martyris proprie) *exhibeam.* unde *cap.* 30. quia veneranda Patrum authoritas in nominum proprio significatu, & notione conculcatur, novis introductis, ait: *Hæc vero tempestas Ecclesiarum, qua tandem marina procella non est atrocior? In qua tota Patrum dictio commota est, ita omne fundamentum, & dogmatum munimentum convulsum est.* Recte quidem, quia cum nominum notiones signa sint conceptionum intellectualium, illis ad libitum mutatis, istæ necessario mutantur, & sic ritus, praxis, observantiæ introducuntur ad libitum, quæ nunquam visæ sunt nec auditæ in Ecclesia.

Unde egregie Thomas Waldensis *contra VVicleph. tom.* 1. *in Præfatione*, dixit: *Quod major pars Patrum à tempore Apostolorum successive usque ad nos sentit & tradidit, irrefragabile est, à qua confessione nullus, sub pœna perfidiæ potest declinare fidelis, nec Papa, nec Generale Concilium*; Atqui major pars Patrum à tempore Apostolo-

lorum uſque huc, notionem veri martyrii non agnovit, niſi interveniat perſecutio, & in odium fidei inferatur à manu violenta mors, ut 4. parte monſtrabo: ergo hæc notio veri martyrii, & non alia irrefragabilis eſt, & eum qui eam non habet, nec Papa, nec Concilium generale, legitime congregatum, poteſt verum & proprium martyrem vindicare.

Sed tu Leodegari, aſtute & verſipellis, admittis hanc notionem, ut aliam introducas novam, quam nullus Patrum agnovit, & oppugnes traditionem & diſciplinam, quam privative in martyribus fidei ritus, cæremonias, & Eccleſiaſtica officia exercent, & ad alios novos tuos martyres extendas, paternis abutens doctrinis, ſicut Rabſaces patria voce contra Judæos abuſus eſt, ut difficile nequitia ejus poſſit ſentiri; ſic & tu proprie inſidiaris, nec in honorem Patrum, quos ſpernis ad libitum, ſed in ſimplicium, ſicut ille Judæorum, perniciem, hoc callide peragere niteris. Ex Martino Papa in Concil. Later. conſultat. 3. Imitaris Hæreticos, qui aliquando Patres laudant, ut fecit Lutherus in Comm. epiſt. ad Galatas; &, ut ſiniſtre eos interpretetur, vilipendit & impugnat.

2. Sic argum. quia cum nominum ſignificatio ſit ad placitum ex hominum libera impoſitione, eorum notio, & propria ſignificatio ex uſu hominum recte loquentium in lingua, cujus ſunt voces, inveſtiganda eſt, & contra illam nullus libere quit propriam ſignificationem, & notionem propriam proprie extendere ad aliam, ab ea qua uſi ſunt illi, qui primi notionem propriam introduxere; id enim conſtat ex linguis variis cujuſcumque gentis & nationis, in quibus ſemper manent immutatæ nominum notiones, alias commercia omnia perirent, expoſita falſitatibus & ſeductionibus. Atqui, ut ipſe Raynaudus ait, hujus vocis, *martyr*, &, *martyrium*, propria notio in primis ſeculis, & in Apoſtolorum, & Chriſti temporibus erat, quod quis eſſet teſtis Dei; atqui formaliſſime Deo atteſtantur, qui minante licet mortem tyranno, perſtant in fidei confeſſione inconcuſſi, & in teſtimonium fidei patiuntur

tiuntur mortem à tyranno in illius odium; ergo in aliis negotiis, etiamsi quis propter Christum moriatur voluntarie, & non à tyranno, non est ibi vera & propria martyrii notio, sed impropria & similitudinaria. consequentia est evidens; quia nullus antiquorum hanc notionem agnovit veri martyrii simpliciter talis; sed sicut extenderunt ad martyres patientiæ, quos absolute martyres nuncuparunt, imo & Job Protomartyrem ob eam dixere: ita ad martyres charitatis & misericordiæ.

Quod Raynaudus ipse probat, *p.* 1. *cap.* 2. ex multis Patribus, qui clarius & expressius dixere martyres patientiæ, quam alii martyres *misericordiæ*, & *charitatis*, istis addidere particulam diminuentem perfectam notionem martyrii, quod non fecere *in martyribus patientiæ*, quorum martyrium absolute perfectum martyrium dixere. Sic S. Ephrem, *in orat.* 2. *Laudatoria S. S. Martyrum: illi palam martyres fuere, at tu in secreto martyrem perfectum te præbe: illi in aperto certamen consummarunt; perfice tu quoque certamen in occulto, ut in die retributionis, corona cum ipsis doneris.* Ecce *perfectum martyrem* vocat, *martyrem patientiæ*; & nullus eorum Patrum, quos pro Sanctis Alexandrinis adducit Raynaudus, ipsos *perfectos martyres* appellat, sed *quasi, veluti* martyres. Legendus est S. Gregorius, *hom.* 35. *in Euangel.* Ubi distinguit duo martyria, unum in mente, & apud Deum, alterum in mente simul & actione. Hoc esse *verum & simpliciter martyrium*, aliud vero *improprium & large* sumptum, ut interpretatur ipse Raynaudus *illo cap.* 1. *n.* 10. Unde de Stephano Abbate concludit S. D. *fuisse propter martyrium patientiæ sanctis martyribus associatum: nullo gladio percussus occubuit, tamen coronam patientiæ, quam in mente tenuit, in egressione percepit. Probamus quotidie verum esse, quod ante nos dictum est, quia sancta Ecclesia electorum floribus plena, habet in pace lilia, in bello rosas.* Nota Leodegari, quod Ecclesia non habeat nisi in bello persecutionis *rosas*, etsi *lilia habeat in pace*, hoc est, similitudinaria martyria, de quibus loquitur Thomas à Kempis in spirituali

cantico

cantico de patientia ſervanda. *totiens* (ait) *martyr Dei* (id eſt apud Deum) *efficeris, quotiens pro Deo pœnam pateris:* ſi ergo martyres *miſericordiæ vere & proprie* martyres ſunt apud Deum; cur martyres patientiæ, ſi in ſuſtinendo pœnam uſque ad mortem permaneant, *vere & proprie* maſtyres apud Deum non erunt? at hi non ſunt, ergo nec illi.

PARS III.

Eadem καινολογία Leodegarina Raynaudi expugnatur exemplis.

Accedo ad virus Lernæum, quod evomit Leodegarius Raynaudi obſtinatus in ſua *Αὐλογία*. etenim Raynaudus (quem tuetur Proletarius hic Doctorellus) *ubi ſupra* poſtquam dixit quod martyres fidei, & in ejus odium à tyranno occiſi, ſint *antonomaſtice* martyres, addit: *Non excluſa tamen ſortis paritate apud Deum, quoad eos, qui æque morte propter Chriſtum defunguntur, in aliis negotiis etiamſi minus explicite, minuſque formaliter teſtes eſſe videantur.* circa quæ verba, quæ indefinita ſunt, & multa continent negotia, in quibus lex veri martyrii obſervetur, & de facto obſervatur ab iſtis architectis novi martyrii, ex illiſmet explodenda eſt novitas iſta.

Nunquid negotium hoc, in quo viget lex veri, proprii, & privilegiati à Chriſto Domino, & ejus Eccleſia martyrii, (cujus non eſt excluſa ſortis paritas apud Deum cum iis, qui antonomaſtice ſunt Martyres celebrati) eſt, dum quis non vult ab infirmitate mortali ſanari, ſed potius mori, quam uti medicinis contra legem naturalem & divinam? ſic aſſerentibus medicis, quorum exempla plura adfert Raynaudus, *p. 3. cap. 1. an. 7.* ut de S. Tho. Epiſcopo Eboracenſ. in Anglia. Jacobo Roſſa Cardinal. & Archiepiſ. Uliſipon. iſti enim jure dicebant, & remedium execrabantur. Væ ægritudini, cui talis competit medicina! Unde mortem appetebant ob virtutem caſtitatis tuendam, cujus ſplendor æque revelatus eſt, ac charitatis

in

in proximum. quod confirmo doctrina Chrysostomi, *orat. 4. de valetudine adversa*, ubi sic eleganter loquitur: *cum igitur in gravem morbum incidens, & multi adfuerint qui cogent, alii quidem incantationibus, alii amuletis, alii porro alius quibusdam mitigare malum; tu vero propter timorem Dei, generoso, & infracto animo tuleris, & omnia pati malueris, quam ut ejusmodi quidquam facere sustineas, hoc tibi martyrii coronam affert.* & hujus rationem tradit. *& ne dubita; quemadmodum enim ille tormentorum cruciatus fert fortiter, ut ne adoret simulacrum, ita & tu morbi dolores perfers, ut ne illius rei ab illo* (incantatore) *indigeas, neque facias ea quæ imperat. At vehementiores illi sunt, verum hi diuturniores. Quocirca par exitus* (ecce Leodegari Raynaudi sortis paritas.) *Nam, en, febris ardor intus molestus est & urit, tu vero aliis hortantibus, nonne coronam martyrii induisti?* similia habet *hom.* 8. *ad Philippens. & orat. contra Iudæos.* & fere eisdem verbis eandem prorsus sententiam docet Aug. *serm.* 39. *de diversis cap.* 8. & concludit: *fit martyr in lecto coronante illo, qui pro nobis pependit in ligno.* & tamen hos non fuisse veros martyres Ecclesiasticos, qui privilegiis Christi vero martyrio concessis gaudeant, nemo est qui non videat; & ipse Raynaudus, *p. 3. cap. 6. n. 6.*

Sed omnino inconsequenter ad suam de martyrii veri absolute sumpti notionem, quam ponit Apologistes Leodegarius, *pag.* 3. ubi ait: *Antiqua & hactenus apud Theologos recepta martyrii notio fuit, mors oppetita propter Christum, sive ob aliquam veritatem revelatam; id enim est quod Christus insinuavit, constituens præmium iis, qui perdiderint animam, id est vitam temporalem in Dei causa, & propter ipsum Christum. Qui modus loquendi fert supernaturale quippiam, ut liquet ex ea phrasi, gratia Christi. Hæc cum sit antiqua apud Theologos, & Ecclesiæ approbata veri martyrii notio,* &c. sed quidquid sit de hac notione, *Buttubata!* (liceat mihi uti voce inventa à Festo Pompejo, ex Nævio, sicut & Leodegario licuit uti voce Enniana *Taratantara*; sed ego magis ad rem, quia *Buttubata* rem nugato-

gatoriam & nihili æſtimandam denotat, & nullius valoris, qualis eſt hæc notio & ratio veri martyrii) ſi nihil aliud addatur, ut *p.* 4. *&* 5. oſtendam *Titivilitium* eſt, & extremus ultimuſque contemptus gradus : ſed ea admiſſa,

Argum. contra Leodegarium Raynaudi, ipſumque Raynaudum. Iſti, qui, ne aſſentiantur incantatoribus & veneficis dantibus amuleta ad ſalutem, utentibus Dæmonum ope ad ſalutem, vel medicis, qui verius conſulunt, ne deficiat vita, oppetunt mortem propter Chriſtum in Dei cauſa, volentes potius mori, quam rebus illicitis uti; quibus ſi uterentur, vel prolongaretur vita, conſumpta infirmitate veneficiis, & incantationibus, quibus non utuntur ob Chriſti & Dei amorem; quod motivum amittendi vitæ periodum eſt omnino ſupernaturale, non minus quam, dum quis ex eodem Chriſti & Dei amore ſe dicat ad inſerviendum contagio infectis; etenim illi qui præbent conſenſum veneficis utentibus ope Dæmonum ad ſalutem conſequendam, & mortem vitandam, (legitimum martyrii veri Leodegarini, & Raynaudini motivum,) & perdunt vitam corporis, ne animam peccato maculent ob Dei & Chriſti amorem; quare ne Deum offendant, oppetunt mortem corporis, & ſic notio veri martyrii inducta legitime competit. Unde eſt diverſa ratio de reis, qui in veritate crimen commiſere dignum morte, quam fugerent, ſi mendacium dicere vellent; & nolunt, ne mentiantur: quamvis enim hoc ſanctum ſit, & valde laudabile; aſt dum pœnam ſuſtinent mortis, non eſt, quia noluerunt mentiri, ſed quia delictum reipſa commiſerunt dignum morte, quam patiuntur.

Nunquid negotium, in quo ſine tyranno elucet lex veri martyrii eſt? dum quis re ipſe innocens, at ſecundum allegata & probata nocens reperitur, ſi peccatum & crimen probatum fateatur commiſiſſe, mortem effugiet, ſi autem nollet mentiri, tanquam negativus igni traditur à fidei rectiſſimis judicibus; iſte talis, ſi ut vitet mendacium, mortem acerbiſſimam ſubeat, coram Deo vere & proprie

proprie martyr erit, quia non crematur ob delictum, quod non commisit, de quo coram Deo innocentissimus est, sed ne mentiatur : unde mortem oppetit in causa Dei, & propter Christum, & ut in exercitio tueatur veritatem revelatam de non mentiendo? Hic enim etsi coram Deo ingens habeat meritum; at lauream Martyrii habere nullus Catholicus sane concedit; & hoc non ex alio, nisi quia non traditur igni in odium fidei, sed in illius tutamen, & defensionem; quare quicumque cordatus judicabit esse ingentem temeritatem, hunc igni traditum re ipsa innocentem, vere esse martyrem apud Deum.

Nunquid negotium, in quo sine morte violenta reperitur, lex & notio veri martyrii est? dum quis videt proximum in mari aut flumine sub aquis vehementibus jam-jam animam & spiritum exhalantem, & ut ipsum liberet à morte, desilit prudenter in aquas, probe conscius discriminis, quod adit, tantum ut eo Christianæ charitatis officio defungatur, & proximum morti subducat: hic proprii martyrii prærogativa, & privilegiis insigniendus erit, & hujus mors oppetita ex motivo charitatis, si contingat, sub notione veri martyrii comprehendetur? Ita plane, ita plane; sed plane temerariè concedit Raynaudus, *p. 3. cap. 6. n. 5.* ex hoc enim exemplo clare constat falsitas opinationis, quam propugnat Leodegarius Raynaudi. Quis Catholicorum hoc vel leviter insinuavit? Quis Theologiæ veræ & antiquæ sincerus Professor docuit? Si enim quis tauri ferocis cornibus sit impetitus, aut cum leone rapaci colluctetur, si prudenter ex motivo charitatis alius, ut liberet à periculo, juvet prævidens periculum in quod se conjicit, & occidatur, martyr vere & proprie erit? & si in mortali existat, cum sola attritione justificabitur, quod est proprium veri martyrii? quis prudens hæc effutire non contremiscet?

Liquet ergo ex dictis, non antiquam Theologiam, sed novam matæologiam esse notionem veri & proprii Martyrii, quam Leodegarius Raynaudi vult in Ecclesiam introducere. quare omnino Ἀμφαζονεῖ; *quod dicitur de iis, qui à vul-*

à vulgata veraque opinione recedunt, & longo usu receptam à doctis sententiam fastidiunt: quomodo Cleanthes Samius olim, & nuper Copernicus, cœlum stare, sedemque telluris circumrotari asserunt, præter Astronomorum consensum. Heus tu Leodegari Raynaudi, *attende tibi* frater chariſſime, & considera verba data à doctiſſimo scriptore; vide ne exorbites; ad orbitam, per quam incedunt Catholici, redi: jam enim damnatus est terræ in gyrum motus noviter à Copernico novo syſtemate inductus, quamvis omnia phænomena & Eclipses omnes, umbraque gnomonis solaris verificentur, & forsan habeat solidiora argumenta in Astronomia, quam tua novella imaginatio de vero martyrio per pestem, quæ graviſſimo decreto Eccleſiæ Romanæ jure damnata est.

PARS IV.

Fundamina mataologiæ Leodegarinæ ex ratione desumpta.

Leodegarius, ut suam antiquitus prorsus inauditam καινολογίαν de vero martyrio charitatis tueatur, tanquam si haberet omnia sacræ Theologiæ arcana in scrinio pectoris sui, sic incipit Apologiſtes officium exercere, (ut se extricet ab argumentis, & censura, quam illi sacrum Tribunal Romanum ex Pontificum speciali delegatione, apposuit.) *Antiqua & hactenus apud Theologos recepta martyrii notio fuit mors oppetita propter Christum, sive ob aliquam veritatem revelatam, id enim est quod Christus insinuavit, constituens præmium iis, qui perdiderint animam, id est vitam temporalem in Dei causa, & propter ipsum Christum. Qui modus loquendi fert supernaturale quidpiam, ut liquet ex ea phrasi, gratia Christi. Hæc cum sit antiqua, & apud Theologos, & Eccleſiam probata veri martyrii notio, ante hoc tamen trinoctium exsurrexit, qui eam notionem novitatis damnaret, adeo præsidenter, & infrunite, ut tanquam dogma Hæreticum, ac Eccleſiastica scita convellens omnibus securibus censurarum, atque plau-*

stris

ſtris convitiorum appetierit, eam quam dixi priſcam & aratoribus protritam martyrii notionem. Is fuit Thomas Hurtado Clericus Regularis Minor, perappoſito cognomento Buccaferreus, ad ſecretionem à Valmaſedano & Mondexarenſi. & appoſite ſane, ſicut inter Theologos alius D. Angelicus, alius D. ſubtilis, non nemo D. irrefragabilis, vel D. ſolemnis aut illuminatus audivit; ita iſti ab oris duritia belliſſime quadrat Buccaferrei cognomentum, ut decurſus diſputationis monſtrabit. Non enim doctis dictis certat, ſed maledictis, & certat tanta clamoſitate, & præſidentia, ut ennianum Taratantara fragore ſuperet ejus baubatus. Totus enim ejus conniſus quoad hoc negotium in illud incumbit, ut fabrefacta ex ſuo cerebro nova notione martyrii ſanguine (ut ait) violenter per tyrannum effuſo rubricati, excludat à martyrum albo ſanctos Alexandrinos recenſitos in Tabulis Eccleſiaſticis 28. Februarii. Quamvis enim hi ſancti quos Eccleſia in actu ſignato appellat martyres, animam perdiderint propter Deum, id eſt, vitam corpoream abjecerint propter exercitium virtutis Chriſtianæ; quæ fert, ſicut pro nobis vitam ſuam Chriſtus amiſit, ita nos debere pro fratribus animas ponere: tamen non eſſe martyres vult Hurtado Buccaferreus, quia nullus Nero dedicator damnationis noſtræ, nullus Decius, nullus Diocletianus, aut Julianus iras in illos effudit in odium fidei, quod Hurtado vult eſſentialiter atque adeo indiſpenſabiliter involui in definitione martyrii, ut contrarium pronuntiet pluſquam temerarium, & in fide novum. Ac proinde juxta Vincentium Lirenenſem dogma corruptum, & ſenſui Eccleſiæ adverſans, (quid verecundamur dicere?) hæreticum, & nullatenus ferendum eſſe hujuſmodi placitum arbitratur Thomas Hurtado.

Sit nihilominus hæc omni acceptione digna concluſio. Sancti Alexandrini, de quibus Tabulæ Eccleſiaſticæ 28. Februarii, & qui eorum imitatione ex puro motivo Chriſtianæ charitatis ſupernaturalis inſerviendo lue contactis, luem, ac mortem contrahunt, ſunt coram Deo vere, & abſque improprietate martyres. Conſulto dico coram Deo, quia hoc

loco non quæritur de martyrio coram hominibus; id est non quæritur an tales sint honestandi publicis honoribus, puta officio publico, sacro, negatione suffragiorum, festo, quæ omnia in Ecclesia solent martyribus deferri: Nam quamvis Ecclesia Sanctis Alexandrinis prædictis has prærogativas prætulerit in suis Tabulis 28. Febr. tamen quoad alibi charitatis pugiles nihil tale singulatim edixit. Ast absque prædicta vindicatione Ecclesiastica, nefas est aliquem donare illis honoribus, etiamsi ob fidem sit casus à tyranno, tanta enim desiderantur, ut aliqua mors pro fide oppetita sit verum martyrium. Conclusio igitur proposita, quatenus non sistit in Sanctis Alexandrinis, sed eorum quoque æmulatores comprehendit, intelligenda est de martyrio coram Deo, & (ut ita dicam) in foro poli, donec accedente vindicatione Ecclesiastica, possit idem asseri in foro fori & coram hominibus.

Hæc Leodegarii Raynaudi ejusdem verbis relata sententia, quam tanquam certam definitionem è cathedra pronuntiat, novus verborum & cognominum architectus, sicut & restrictionis mentalis fabricator, cum sit prorsus fictitia ex suo capite sine cerebro adinventa, volens per contumelias in me jactas, novas opiniones in cogitationes hominum seminare, in vilipendium cardinum Ecclesiæ Eminentissimorum Cardinalium congregationis; & veluti piscator esca antiquitatis hamum contegit, ut ex improviso simplices capiat, & sub pietatis obtentu diram excogitat contra veros martyres injuriam: non enim convenit, ait Epiphanius *Hæresi 78. colere sanctos ultra decorum*, illis tribuendo, quod non convenit, nec Patres docuerunt nec Ecclesia defert, quamvis sub apparentia pietatis. *Pium est quod volumus* (ajebant Ariani) quos retundit Hilarius lib. de Synodis. *Ne damnemus Patres, ne animemus Hæreticos, ne, dum Hæresin expellimus, Hæresin nutriamus:* & infra: *hoc nunc sub falsæ pietatis specie efficiunt, hoc nunc sub specie prædicationis Euangelicæ laboratur*, ut dum verum martyrium charitatis prædicatur, vera veri martyrii notio denegetur.

Audi Aug. Leodegari Raynaudi, qui mendacium tui

veri

veri martyrii charitatis, ut dilectio proximi tempore pestis apud tepidos ardescat, retundit hoc argumento, quod conficit epist. 8. *Possent aliquibus etiam de laudibus Dei esse officiosa mendacia, ut apud homines pigriores dilectio ejus ardescat. Atque ita nusquam certa erit in libris sanctis casta veritatis auctoritas. Nonne attendimus Apostolum cum ingenti cura commendanda veritatis dicere: Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra: inveniuntur & falsitates Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt; si quis huic diceret, quid in hoc mendacio perhorrescis, cum id dixeris, quod etiam si falsum sit, ad laudem Dei maxime pertinet? Nonne hujus detestatus insaniam, quibus posset verbis, & significationibus, in lucem penetralia sui cordis aperiret, clamans non minori, aut fortasse etiam majori scelere, in Deo laudari falsitatem, quam vituperari veritatem?* En Raynaudine Leodegari, machina tuæ confictæ pietatis, qua novos veros martyres creas, destructa & commolita est; dum sub colore novitatis mendacium fabricas, quod non solum officiosum est, sed injuriosum contra veros martyres. Utrumque scelus committis in Deum, laudans falsitatem, & vituperans veritatem; dum coram Deo facis martyres veros sine sanguine in odium fidei à tyranno effuso, quod est laudare falsitatem: & martyribus, quod solum Ecclesia est venerata, privilegium solum sibi concessum ad alios extendis, quod est vituperare veritatem.

Blateramine & importunitate linguæ oris tui fœtidi, Leodegari Raynaudi, jam supra inania & futilia esse monstravi, quæ effutis in me, quia Romanum ex Pontificia delegatione & matura deliberatione contra te editum decretum, defendi, & defendam usque ad sanguinis effusionem. (utinam & se offerat occasio eum fundendi, verus enim martyr Christi reputarer, si à tyranno in odium veritatis vita privarer:) *Pylus* enim Romana prior, potior, senior est *Pylo* Gallicana, si ita est, ut vere est:

Est Pylus ante Pylum, sibi quid vult ante Pylum istuc?

Quid ergo garris Leodegari Raynaudi? quid tibi vis ante Romanam Pylum? & de antiquitate notionis veri martyrii cum Romana curia decertas, quandoquidem Roma à ſummo Pontifice decreta archivium ſit veritatis antiquæ? quid contra illam Apologeticis ſcriptis veram & ſanam doctrinam obtenebras? Quid gannis vulpinis & clancullariis diligentiis, & negotiationis tenebrarum contra inviolabilem ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam? incaſſum laboras, quia ſuſpecto libro de mala doctrina ſtabit ſemper ejus damnatio. neque enim *Pylus* cujuſcunque nationis in hac materia prævalere poteſt contra Romanam; inutiliſque erit (ſicut fuit) Principum & Potentium favor, niſi te geſſeris *ut oportet*.

De cognomento Buccaferrei quod mihi apponis, jam ſupra dixi, quam ridicule, ut in multis aliis es aſſuetus loqui: cum enim pauper ſis (ne notes vocem, quia Bleſenſis eſt) veræ Theologiæ, adſtrophas & nænias te convertis, ut tanquam Morio comœdiæ, legentes capias *ſalibus Atticis*. ſed cave, quia comœdia tua in tragœdiam convertetur, ut ex dicendis conſtabit: conaris enim fugere ignem cenſuræ Romanæ, ſed veluti bombix, qui magno ſtrepitu movetur in orbem, ut fugiens non effugias, ſed capiaris, quantum cum millibus ſatellitum conſpicatus iterum in theatrum Eccleſiæ venias: ſunt enim milites conductitii, & multi ex illis ſeducti veritatis ſilentio; ſed de his latius infra. Hæc modo per tranſitum dicta, ut compareat ignominia antiquitatis à te prætenſæ, quam ſequentibus confirmare intendis.

Ratione 1. ſic intellecta concluſio ſtabilitur optima ratione ex eo ducta (attende prudens lector, hominis intrepidam audiciam) verbis ejus rationem propono. *Martyrium de ſent. omnium Doctorum perpetuo Eccleſiæ uſu firmata nihil aliud eſt, quam mors oppetita propter veritatem aliquam ſupernaturalem: nam quamvis vulgatius & frequentius martyrium ſit, quod pro tuenda Catholica fide ſuſcipitur, tamen aliæ quoque virtutes infuſæ poſſunt eſſe materia idonea veri martyrii, ut patet ex eo, quod Sanctus*

Ioannes

Ioannes Bapt. & S. Staniſlaus Cracovienſis, & S. Tho. Cantuarienſis coluntur in Eccleſia veluti martyres, & tamen non ſunt mortem paſſi pro fide divina, ad quam abjurandam tyrannus quiſpiam eos urgeret, ſed paſſi ſunt pro aliis ſupernaturalibus virtutibus. Quamquam, quia fides divina prælucet omnibus virtutibus, non male quodvis martyrium ad fidem pertinere dici poſſit, ut notavit D. Tho. 22. q. 124. art. 5. quatenus quilibet martyr (ſaltem in actu exercito) atteſtatur alicui virtuti per fidem propoſitæ: quod decus non defuit Sanctis Alexand. & eorum imitatione aliis ſimilibus immorientibus miniſterio charitatis, cum mortem appetant atteſtantes in actu exercito huic veritati revelatæ: quod ſit ſanctum & Deo acceptum ponere animas pro fratribus, & vitam in cauſa Dei & negotio ſalutis animarum prodigere. Concedendum igitur illis eſt decus veri martyrii; & ſane omnia loca quibus Chriſtus decora ad verum martyrium ſpectantia ſtabilivit, illud unum depoſcunt, ut anima, id eſt, vita corporea propter Deum perdatur, & tollatur crux, ac ſequendo Chriſtum, ejuſque veſtigiis inhærendo miniſtretur Deo: quæ omnia locum æque habent in hac morte pro fratribus, ac in morte pro aſſerendo aliquo fidei dogmate impugnato per tyrannum. Itaque niſi quis gratis & præter Chriſti mentem velit ſibi cudere novam martyrii notionem, & ex ſuo cerebro arctare ad fidem à tyranno impugnatam, quod Chriſtus diffudit ad omnes virtutes ſupernaturales (ut inferius ex Lancfranco & Anſelmo monſtrabo) cogitur fateri mortem eorum qui miniſterio charitatis ſupernaturalis immoriuntur (ut fecerunt S. S. Alexand. & faciunt eorum æmulatione curatores ægrorum, de quibus agimus) ſufficere ad verum & propriè martyrium coram Deo. Ita ille. in quibus, quot ineptitudines, quanta terminorum ignorantia, quam inſuportabilis inſcitia & paupertas veræ & ſanæ Theologiæ interſint, quiſque mediocriter cordatus agnoſcet. Vincitur enim Leodegarius à ſua temeraria animoſitate, qua gloriatur; de quo dico, quod Aug. de Juliano Pelagiano, *lib. ult. contra ipſum cap.* 13. *quando animoſitatem, qua te-*

netur, vicerit; tunc veritatem poterit tenere qua vincatur.

Progreditur ulterius, & in ſcenam tragœdiæ ſuæ ſanctiſſimos illos Presbyteros & Diaconos Alexandrinos introducit, quos ut vere ſanctos veneratur Eccleſia, & non ut vere & proprie martyres; ſed ut perſonatos & ſimilitudinarios: at ipſe, vel reluctantibus ipſiſmet ſanctis & ipſum irridentibus, vult veros & proprie eſſe martyres, quia in martyrologio dicitur: *Quos velut Martyres Religioſa piorum fides venerari conſuevit.* Quam hiſtoriam ſic urget contra me. *Ludit vero Hurtado, cum ait Eccleſiam non aſſerere Sanctos ei pio miniſterio immortuos eſſe martyres, ſed tantum adfirmare Religioſam piorum fidem venerari ſolere eos, ut martyres* (*veluti* ego dixi, ne ſubdole ponas, *ut*) *aperte enim eos donat martyrum titulo, eo ipſo quo agnoſcit religioſam piorum fidem honores martyrum illis tribuere. Si enim pii fallerentur in ea honorum delatione, non eſſent à religioſa fide commendandi; ſed explodendi anilitate & anomala pietate, quippe qui colerent* veluti *martyres, qui revera non eſſent martyres: ſicut è contrario jure collaudantur à ſolida pietate, qui ſanctos Vincentium & Anaſtaſium venerantur* veluti *martyres. Audin?* veluti *martyres, etiam cum de indubitatis martyribus agitur, ut proinde tricentur, qui in verbis Martyrologii citatis illud,* velut, *contendunt eſſe particulam diminuentem, qua infinuetur dumtaxat aliquale, nec niſi ſimilitudinarium martyrium, illa enim particula,* velut, *æquivalet particulis,* quaſi, *&*, tanquam, *qua, ut notat Hieronymus, non ſimilitudinem, ſed identitatem ſonant:* imo *potius, poſito quod Eccleſia vellet uti illis vocibus, religioſa piorum fides venerari eos conſuevit; non potuit veritas martyrii eorum aliter exprimi, quam adhibita particula* velut, *aliave conſimili. Hiulca enim & abſona eſſet oratio, ſi diceretur: Religioſa piorum fides eos venerari martyres conſuevit.*

Suffragatur inſuper ſancta Eccleſia concluſioni propoſitæ, quatenus in eiſdem tabulis S. Deſiderium Clengomenſem, & S. Emmerianum Ratisbonenſem Epiſcopos habet pro mar-

martyribus. illum 23. *Febr. hunc* 22. *Septemb. quamvis non pro asserenda fide sint mortui, sed pro charitate in proximos, ut liquet ex actibus eorum, quæ Surius diebus illis repræsentat. Testimonio Ecclesiæ attexo* (inquit) *nonnullos P. P. & quidem primæ notæ Clementem Alexand. lib.* 4. *strommat. cujus locus est expensus, p.* 3. *cap.* 2. *de martyr. per pestem. Originem tom.* 9. *in Ioannem ibidem ponderatum, n.* 4. *&* 5. *S. Dionysium Alexand. in epist. quam ad verbum refert Eusebius, & ei assentitur; lib.* 7. *cap.* 17. *alias* 20. *suæ histor. Chrysost. hom.* 9. *ad Philipp. & hom.* 5. *adversus Iudæos S. Aug. epist.* 180. *qui expensus fuit, cap.* 2. *an.* 6. *& serm.* 15. *de verbis Domini cap.* 17.

PARS V.

Evanescunt velut fumus, aut favilla.

Hæc fundamenta etsi apparenter pulchra, tamen levissimo tactu in fumum & favillam vertuntur, velut Pentapoleon poma; ut tamen hoc manifesto appareat omnibus, qui in obstinato animo veritatem ambiunt, notandum ex D. Tho. 1. *p. q.* 13. *art.* 2. quod *in significatione nominum aliud sit, quandoque à quo imponitur nomen ad significandum, & id, ad quod significandum nomen imponitur; sicut hoc nomen, lapis, imponitur ab eo quod lædit pedem, non tamen imponitur ad hoc significandum quod significat lædens pedem, sed ad significandam speciem corporum: alioquin omne lædens pedem esset lapis.* hæc ibi. Unde propria nominis & antiqua notio, non ab eo, *à quo*; sed ab eo, *ad quod* nomen est impositum ad significandum desumenda, alias omnis communicatio inter homines de medio tolleretur, omnisque vera scientiarum cognitio, omnis intelligibilis prædicatio. Quare gratis do, etsi id non concedam Leodegario Raynaudi, quod *id*, *à quo* est impositum nomen, Martyrium, sit mors oppetita propter Christum; qui enim moritur propter Christum, Christo testificatur, illumque se sequi & amare fatetur: & sicut omne quod lædit pedem, improprie & in actu exercito

lapis dici poteſt, & eſt; ſic omnis, qui vitam finit propter Chriſtum, improprie & in actu exercito martyr eſt, & dicitur. Cæterum quantum ad id ad *quod* nomen eſt impoſitum ad ſignificandum, falſum omnino eſt, & contra omnem Eccleſiæ vſum, & contra Patres, omneſque antiquos ſcholaſticos, quod iſte talis vere & proprie Martyr ſit, ſive in Eccleſia, ſive coram Deo; quia hoc nomen, Martyr, impoſitum eſt ad ſignificandum illum, qui in actu ſignato vitam finit propter Chriſtum, illata morte à tyranno in odium Chriſtianæ & Catholicæ Religionis, quæ comprehendit quidquid per ſe ad Religionem noſtram pertinet, ſive ſit fides, ſive quælibet alia virtus ſupernaturalis: & hæc eſt vera notio proprii martyrii, ad quam ſignificandam nomen eſt impoſitum. Unde, ſi deficiat tyrannus, qui odio fidei aut virtutis ſupernaturalis incenſus mortem inferat, deficit formalis & propria notio martyrii, nec ullus Patrum aut Antiquorum contrarium inſinuavit. quod ſi aliqui extorte interpretentur diſtentis eorum verbis, ex diſcurſu ſcribentis, de ſimilitudinario martyrio ſunt interpretandi, ut interpretatur D. Tho. 22. *q.* 124. *art.* 4. *ad.* 1.

Declaratur hæc ſaniſſima, veriſſima, & omni veneratione digna doctrina, in Eccleſia ſemper obſervata; quia etſi Hæreſis ſit corruptio fidei Chriſtianæ, hanc enim corruptionem Hæreſis propria importat, ut ait D. Tho. 22. *q.* 11. *art.* 2. unde Hæreticus proprie negat dogmata Chriſtianæ fidei, etiamſi intendat Chriſto & ejus Euangelio aſſentiri, hæc autem negatio aut eſt *in actu ſignato*, aut *in actu exercito*. Juxta illud *ad Titum cap.* 1. *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* ad quæ verba ita D. Tho. *lect.* 4. (& eſt communis & certa Patrum intelligentia.) *Qui enim peccat, quantum eſt de ſe, negat eum factis; quia qui confitetur Deum, confitetur & ejus poteſtatem, ſcilicet quod ei ſit obediendum, & ideo ſi non obedit, peccando, negat factis quod confitetur ore. Sed dicis, quicumque negat Deum, eſt infidelis, peccatores negant Deum factis, ergo peccatores ſunt infideles. Reſpondeo, ſicut habens*

ſcien-

ſcientiam in univerſali, poteſt errare in particulari; ita habens fidem in univerſali, in particuli tamen agibili corrumpitur propter corruptionem affectus. 1. *ad Timoth.* 5. *fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Hæc S. D. qui explicans hunc locum *ad Timot. lect.* 1. *fidem negavit per opera, id eſt factis, & in exercitio.* Quod eleganter expreſſit Hieronym. *in comment. cap.* 1. *n.* 16. *epiſt. ad Titum. Chriſtus eſt ſapientia, juſtitia, veritas, ſanctitas; negatur per inſipientiam ſapientia, per iniquitatem juſtitia, per mendacium veritas, per turpitudinem ſanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo, & quoties vitiis vincimur, Deum negamus; è contrario, quoties aliquid boni agimus, non ore, ſed reipſa Deum confitemur.* Hactenus ibi. quo ad intentum nihil illuſtrius.

Et tamen nullus Catholicorum dicet, quod peccatores qui factis & operibus fidem negant, hoc eſt in exercitio & in particulari corrumpunt in Chriſtiana Religione, ſint vere & proprie Hæretici aut infideles, quia ad hoc requititur ut in actu ſignato negent aliquod dogma fidei, ergo proprie non eſt teſtis & martyr Chriſti, qui in actu ſignato non teſtificatur ejus fidē, & pro ejus veritatis defenſione mortem non oppetit contra tyrannum inferentem in odium virtutis ſupernaturalis, quam impugnat, ſed ſolum reipſa Deum confitetur, & Chriſto teſtificatur in actu exercito, non verbo & actu ſignato. Unde, dum inſerviens peſte infectis mortem oppetit ex motivo charitatis, moritur ut Chriſtianus, at non patitur mortem ut Chriſtianus pro fidei ſignata confeſſione, quæ fit per verba, nec pro aliquo bono opere faciendo, vel quocumque peccato vitando propter Chriſtum, quia hoc totum pertinet ad fidei proteſtationem; quæ ut faciat martyrem, proprie non eſt ſolum in actu exercito, ſicut negatio fidei, quæ facit infidelem, non ſolum eſt in actu exercito; ſed tam proteſtatio fidei, quam negatio illa, ut faciat proprie martyrem etiam coram Deo, ut faciat Hæreticum proprie coram Deo, debet eſſe in actu ſignato, & hæc eſt ratio propter quam S. Joannes Bapt. verus & proprie martyr

celebratur ut ait D. Tho. *ubi ſupra art.* 5. *in fine corp.* non quia pro neganda fide, ſed quia pro reprehenſione adulterii mortem ſuſtinuit. Unde quis martyr vere & proprie erit, ſi occidatur, quia reprehendit vitia, & allicit ad virtutem, vel quia virtuoſus eſt; tamen martyr proprie non erit, ſi mortem ipſe oppetat exercens actum virtutis inſerviens peſte infectis, niſi occidatur in odium talis virtutis, quia tunc in actu ſignato fidem proteſtatur, & non ſolum in actu exercito. Hoc argum. adeo eſt evidens, ut cæcutiat Leodegarius Raynaudi, dum obſtinata mente ipſum non videt.

Ex quo evanuit ratio, quam adducit ad ſuam καινολογίαν firmandam; inepte enim & ignoranter, (niſi velis fraudulenter & malitioſe) fugit notionem veri & proprii martyrii, quæ eſt perpeſſio mortis ob atteſtationem, & proteſtationem fidei, aut alicujus virtutis ſupernaturalis, non quidem in actu exercito, ſed neceſſario debet eſſe in actu ſignato, eam confitendo aut prædicando; ſicut dicebamus de negatione Dei, quæ requiritur ad infidelitatem, quę debet eſſe in actu ſignato, nec ſufficit in actu exercito, nam omnes mortaliter peccantes eſſent vere infideles coram Deo, quod eſt hæreticum. vide Raynaude an tu ex tuo ſine cerebro capite notionem veri martyrii confinxeris, an ego veram & Catholicam ſim ſecutus? *vince ergo temerariam animoſitatem tuam, qua obſtinaris, ut veritatem teneas, qua vincaris,*

Ad Hiſtoriam, quæ ex S. Dionyſio Alexand. refertur in *Tabulis Eccleſiaſticis* & *Romano Martyrologio*, & tam Theophilo, quam Leodegario ſuo fuit ſcandalum, ut in abſurdam inciderent ſententiam Reſp. quod Apologiſtes non bene legerit ea quæ ego adduxi Reſol. *illa* 487. 9. ubi manifeſtiſſime oſtendi nihil juvare huic Raynaudinæ opinationi tabulas Eccleſiaſticas, probans illam particulam *veluti* diminuentem eſſe, nec veritatem, ſed ſimilitudinem ibi monſtrare: nam in toto martyrologio illi ſolum ſimpliciter & proprie martyres nuncupantur, qui violenter obnecati ſunt à tyranno; ex quo non leve deſumitur

mitur argumentum ad ſenſum & conſenſum Eccleſiæ, circa notionem veri martyrii comprobandam. *Addidit, quod piorum religioſa fides illos* velut *martyres venerari conſuevit*, non quia veri martyres ſint (abſit hoc ab Eccleſiæ uſu & conſenſu;) non enim piorum fides & devotio ſat eſt, ut aliquis, etiamſi ſit ſanctus vindicatus, ſit vindicatus Martyr; nam fides & devotio fidelium non vindicat ſanctos aut martyres, ſed Eccleſia ſua definitione & decreto, de quo nulla hîc mentio; neque Eccleſia vindicat, quod devotio intendebat, ſed pietatem laudat, non definit martyrium.

Duobus exemplis id fit manifeſtum. 1. in Sancto Martino confeſſore, qui vere martyr non fuit, ſed ab Eccleſia ut confeſſor non rubro, ſed albo colore ornatur, ut ipſe Raynaudus *p.* 1. *cap.* 5. *n.* 8. illud dictum Severi Sulpitii *epiſt.* 2. agens de B. Martino. *implevit ſine cruore martyrium*, explicat de martyrio improprio & *p.* 2. *cap.* 1. *n.* 7. illud celebre proloquium S. Laurentii Juſtiniani. *ſerm. de eodem.* & Eccleſia eo utitur in antiphona *ad ſecundas veſperas. cujus animam etſi gladius perſecutoris non abſtulerit, palmam tamen martyrii non amiſit:* de *improprio* intelligit, quamvis, *p.* 3. *cap.* 2. *n.* 6. ut locum Aug. quem inſignem dicit, ad ſuam phantaſticam opinionem confirmandam de vero martyrio ficto *charitatis & miſericordiæ canens palinodiam*, dicat quod Beatus Martinus *vere martyr fuit*, ut legenti conſtabit, etiam n. 7. ſed hoc magna cum temeritate, cum Eccleſiæ opponatur, ut liquet. Quis dubitat, quod piorum fides & devotio poſſit, ob hoc martyrium imperfectum, Beatum Martinum velut martyrem venerari? at non ob hoc vere martyr erit, etiamſi Eccleſia dicat quod *palmam martyrii non amiſerit*; nec hæc veneratio *anilis* eſt, aut *anomala pietas*, ut ſimplices territat Leodegarius Raynaudi; imo potius eſt vera pietas, quæ verſatur circa mortis ſuſtinentiam propter charitatem, quæ eſt imperfectum martyrium, etſi non verum & proprium laudatum in Eccleſia: etenim pietas ut exerceatur erga aliquem ob aliquid, quod in eo relucet, ne-

neceſſum non eſt, ut hoc ſit vere, proprie & univoce tale; ſed ſufficit quod analogice & imperfecte illi conveniat, maxime ſi accedat Eccleſiæ auctoritas hanc analogam rationem in eo admittens. quod enodatur alio exemplo. S. Franciſcus Xaverius colitur à piorum devotione velut Apoſtolus Indiæ Orientalis, quam fere convertit ad fidem: quis dicet quod ſit vere, proprie & univoce Apoſtolus? apage! eſt enim improprie & analogice talis dumtaxat. quare ſicut hîc particula *velut* improprietatem denotat & ſimilitudinem, non identitatem, ita in Sanctis Alexandr. qui analogicè tantum martyres ſunt, non proprie & univoce. quum autem veritas ſupponitur, particulæ *velut*, *quaſi*, & ſimiles identitatem & proprietatem denotant, ut cum dicimus, S. S. Servaſium & Protaſium velut martyres veneror, id eſt, ratione veri martyrii quod ſunt perpeſſi. Lege me ipſum loco citato.

Ad ſuffragium Eccleſiæ quod in ſui favorem introducit Leodegarius, de S. Deſiderio & S. Emmeriano, qui in tabulis martyrologii *martyres* dicuntur, ideo eſt, quia pro defenſione alicujus virtutis ſupernaturalis enecati ſunt, & ſic in actu ſignato fidei Chriſtianæ ſunt atteſtati, & propter ejus proteſtationem mortem oppetivere, & ſic à tyranno violenter occiſi. & quidem miror audaciam Leodegarii, qui falſo teſtibus citatis obtenebrat veritatem: etenim S. Deſiderius hic non, 23. *Febr.* ut ipſe male citat, ſed 23. *Maii* celebratur Martyr in tabulis Eccleſiaſticis, his verbis. *Apud Lingones in Gallia paſſio S. Deſiderii Epiſc. qui cum plebem ſuam ab exercitu VValundorum vexari cerneret, ad Regem eorum pro ea ſupplicaturus acceſſit, à quo ſtatim jugulari juſſus, pro ovibus ſibi creditis cervicem libenter extendit, & percuſſus gladio migravit ad Chriſtum. paſſi ſunt cum eo & alii plures de numero gregis ſui.* de S. Emmeriano ſic habetur, 22. *Septemb. Ratisbonæ in Bavaria S. Emmeriani Epiſcopi & martyris, qui ut alios liberaret, mortem ſæviſſimam Chriſti cauſa patienter ſubiit.* Hæc ſæviſſima mors illata eſt, non præciſe quia alios voluit liberare à morte, ſed quia innocens paſſus eſt, & mor-

& morti addictus à tyranno, contra jus & libertatem Ecclesiasticam, quam ut observaret protestatus est tyranno, provocans ad summum Pontificem, qui de delicto sibi falso impositio cognosceret, cui Lambertus Tyrannus noluit obtemperare, sed crudelissima morte illata à carnificibus suis S. Episcopus pro Christo quievit in Domino, ut constat ex Surio *in vita hujus S. Martyris die 22. Septem.* non vero martyres sunt ex eo præcise, quia propter exercitium charitatis in proximum morte voluntarie oppetita in pace quievere. notent, obsecro, scripti hujus mei lectores, qua vafricie, quanta arte politica, quanta falsitate hæc testimonia ex tabulis Ecclesiasticis citet Leodegarius Raynaudi, cum manifeste sint pro vera sent. attendant, quæ fides sit illi adhibenda in recitatione aliorum Auctorum, quorum nubem densam, sed mendacio fere totam obscuratam introducit. quare ex Jovis tabulis falsus evasit testis. Ad eos Patres, quos tam ibi Leodegarius, quam Raynaudus, *p. 3. de martyrio per pestem* citat, facilis est solutio: loquuntur enim de martyrio analogo, improprio, & similitudinario, non de vera, propria & antiqua veri & proprii martyrii notione, ut nobis vult obtrudere Leodegarius Raynaudi, sicut latius dixi in citata Resol. 42.

PARS VI.

Argumentum ab auctoritate, quod affert Leodegarius Raynaudi.

Mirum est quanto sudore & improbo labore Leodegarius Raynaudi expansis velis fuerit divagatus per Antiquorum libros, ut suam expiscaretur sententiam ex uno vel altero verbo illis elapso, ex quo magnum suæ opinationis fulcimentum desumi judicat; idque ex pietate, ut fideles excitarentur ad peste infectis subveniendum. Auctores, quos sibi suffragari dicit, in sex agminibus aut ordinibus collocat, magno cum boatu & confidentia, quasi jam vicerit Romanum sacræ congregationis

nis Eminentissimorum Cardinalium decretum victoriam canens, *Deo gratias* refert, semel, & iterum atque iterum *Deo gratias*, repetens.

Primus ordo est Doctorum & scriptorum, qui sua scripta prælo mandarunt. *Secundus* continet Academias illustres, quarum Doctores in Claustro eidem sent. subscripsere. *Tertius:* Doctores singulares ex omni natione Europæa. *Quartus:* S. Rom. Eccles. Cardinales. *Quintus:* Magnos Antistites Gallos & Hispanos. *Sextus:* Eorum est, qui verbo & opere suffragati sunt. & postquam horum omnium ordinum & agminum commilitones propriis nominibus introduxit, concludit sic. *Summa numeri Approbatorum doctrinæ propositæ.*

Suffragatores in libris publicæ editis sunt omnino 57. *Tabulæ Ecclesiasticæ Romanæ Patres sex. Doctores Catholici secundum Patres* 50. *Comprobatores, Doctores Chirographarii Academiæ* 12. *Lusitani* 52. *Hispani* 84. *Galli* 57. *Angli* 4. *Belgæ* 13. *Germani* 27. *Poloni* 22. *Itali* 5. *Cardinales* 13. *Magni Antistites* 12. *Verbo & facto Suffragati* 4. *nullas esse in Theologia sententias hodie passim receptas, & quibus nemo obstrepit, ne Medici quidem, ex parte tot & tam efficacibus probationibus nixas, nec adeo idoneis suffragatoribus fultas, quam sit assertio proposita, notavit sapienter doctus Theologus Ioannes Antoninus.*

Hurtado ubi es! si me audis, consue tibi perizomata, vel certe abscondere in fossa humo. Allegaverat S. Aug. contra Iulianum Celanensem vix sex scriptores, nec adeo (*magnam partem*) *illustres, & tamen non dubitat obtestari, quin Iulianus ad tam paucorum contra sentientium aspectum dejecturus sit oculos, & supercilium positurus. Tu autem quid? en contra te nubes testium, demitte cristas.* Hæc ex Buccafœtido Leodegario Raynaudi.

PARS

PARS VII.

Penitus evertitur argumenti negotiatio.

Quis non videt inanem esse tubæ corneæ Taratantara, & strepitus inutiles, & sine fructu? cum non obstantibus iis adductis testibus, semper antiqua veritas de propria notione martyrii victrix evadet, quantumcumque testes expiscentur. bene ad propositum Stephanus Papa, *epist. 7. lib. 7. inter Cyprianas*, contra sententiam eorum qui rebaptizandos esse Hæreticos affirmabant, dixit, & refert Lirenensis, *lib. contra profanas omnium hæresum novitates, cap. 9. & 10. Nos religionem non qua vellemus ducere, sed potius qua illa duceret sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non suæ posteris dare, sed à majoribus accepta servare. Quis enim tunc universi negotii exitus? quis nisi usitatus & solitus? retenta est scilicet Antiquitas, explosa novitas. sed forte* (prosequitur Lirenensis) *tunc ipsi novitiæ inventioni patrocinia defuerunt? Imo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adsertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta divinæ legis oracula; sed plane novo, maloque more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullomodo destrui videatur, nisi sola tanta moliminis causa ipsa illa suscepta, ipsa defensa, ipsa laudata, novitatis professio destituisset. Quæ postremo ipsius Africani concilii vires? donante Deo nulla, sed universa tanquam somnia, tanquam fabulæ, tanquam superflua abolita, antiquata, calcata sunt.*

Et cap. 11. postquam dixit hujus novellæ opinionis de rebaptizandis Hæreticis auctorem & magistrum præcipuum, & acerrimum defensorem fuisse S. Cyprianum Martyrem, sanctorum omnium & Episcoporum, & Martyrum lumen cum cæteris collegis suis, qui sic in Concilio Africano faciendum esse decrevit, quique, quia Sanctus Cornelius Papa contrarium est secutus, in ipsum verbis asperrimis & improperiis scripsit. Agrippinus etiam Carthaginensis Episcopus indixit in Africa Concilium

anno

anno Christi 217. omnes Numidiæ, & Africæ Episcopos convocavit, de iterando baptismate Hæreticorum omnium sententias & subscriptiones rogavit, ac demum ex communi Episcoporum sent. id affirmantium, contra Apostolicam Ecclesiæ Catholicæ traditionem, Canonem & decretum statuit: ut S. Cyprianus epist. 71. ad Quintum aperte testatur his verbis. *Quod quidem & Agrippinus bonæ memoriæ vir, cum cæteris Coepiscopis suis, qui illo tempore in Provincia, Africa, & Numidia Ecclesiam Dei gubernabant, statuit, & librato consilii communis examine firmavit. Quorum sententiam & religiosam, & legitimam, & salutarem fidei & Ecclesiæ Catholicæ congruentem nos etiam secuti sumus.* Hæc Cyprianus: qui anno 258. contra Decretum Stephani Papæ Carthagine Concilium congregavit ex Numidia, Africa & Mauritania 87. Episcoporum, in quo Stephanum Papam tacito nomine sugillat; &, ut suum de rebaptizandis Hæreticis sent. defenderet; Firmilianum in Asia cum septuaginta aliis, & Dionysium Alexandrinum ad se suumque placitum approbandum pertraxit, subscriptionibus epistolarum expiscatis, quibus animosior factus, in sua opinione contra Decretum Romanum Concilii & Stephani Summi Pontificis per multum temporis perstitit.

Quod quidem mihi divinitus videtur promulgatum esse judicium, propter eorum maxime fraudulentiam, qui, cum sub alieno nomine novam opinionem concinnare machinentur. *plerumque captæ veteris cujuspiam viri scripta paulo involutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid quodcumque proferunt, nec primi, nec soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico, vel ex eo quod venenum propinare aliis non extimescant, vel eo etiam, quod sancti cujusque viri memoriam, tanquam sopitos cineres profana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant*, &c.

Et cap. 12. *Magno igitur metu nobis temeratæ Religionis piaculum pertimescendum est, à quo nos non solum constitu-*

tionis

tionis Ecclesiastica disciplina, sed etiam censura Apostolica deterret auctoritatis. Scitam enim cunctis est, quam graviter, quam severe, quam vehementer invehatur Apostolus Paulus in quosdam, qui mira levitate coacervarunt sibi Magistros ad sua desideria, à veritate quidem auditum avertentes; conversi vero ad fabulas, superbi, & nihil scientes, sed languentes circa quæstiones, & pugnas verborum: qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem. Cum ergo tales quidam circumeuntes Provincias, & Civitates, atque errores venalitios circumferendo, etiam ad Galatas devenissent; cumque his auditis Galatæ nauseam quadam veritatis adfecti, Apostolicæque Catholicæque doctrinæ manna revomentes, novitatis sordibus oblectarentur, ita sese Apostolica potestatis ut summa cum severitate decerneret, &c.

Et cap. 14. *Adnuntiare aliquid Christianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nusquam licuit, nusquam licet, nusquam licebit, & anathematizare eos, qui adnuntiant aliquid, præterquam quod semel acceptum est; nunquam non oportuit, nunquam non oportet, nunquam non oportebit. Quæ cum ita sint, est ne aliquis vel tantæ audaciæ, ut præter id quod est apud Ecclesiam annuntiatum, annuntiet? vel tantæ levitatis, ut præter id quod ab Ecclesiis accipit, accipiat? Clamat vas electionis, Magister Gentium, ut si quis novum dogma annuntiaverit, anathematizetur. E contra reclamant ranæ quædam, & cyniphes, & muscæ morituræ, quales sunt qui dicunt; nobis auctoribus, nobis expositoribus, rejicite paterna instituta, majorum deposita, & recipite. quænam illa tandem? Horreo dicere, sunt enim tam superba, ut mihi non modo adfirmari, sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur.*

Et cap. 15. *Sed dicet aliquis: cur persæpe divinitus sinuntur excellentes quædam personæ in Ecclesia constitutæ res novas Catholicis adnuntiare? Recta interrogatio, & digna, ut diligentius atque uberius pertractetur.* Et post multa, sic concludit. *Luce clarius aperta causa est, cur interdum divina providentia quosdam Ecclesiarum Magistros nova*

quædam dogmata prædicare patiatur, ut tentet vos Dominus Deus vester. & profecto magna tentatio est, cum ille, quem tu Doctorem & assertorem veritatis putas, quem summa veneratione amplexus sis; is subito latenter noxios subinducat errores, quos, ne cito deprehendere valeas, dum antiqui Magisterii duceris præjudicio, nec facile damnare ducis fas, dum Magistri veteris præpediris affectu. Hæc omnia ex capitibus citatis aureis Lirenensis Abbatis.

Sed iterum dicet alius invido oculo hæc perlegens; cur hæc ex tam lato repetita principio acuta percontatio? & digna ut ejus responsio omnibus sit manifesta, & tibi in speciali, Leodegari Raynaudi, ut mihi *consuam perizomata*, ex purpura Regis *tincta canalibus*, contexta ex Patrum certis sententiis & doctrinis sanis, quæ currunt ex Ecclesiæ fontibus. Tu autem, Leodegari, tibi *perizomata consuis*, ex foliis fici, quæ sunt operimenta mendacii, quod denuo nobis obtrudis, quæritans ad ipsum operiendum folia antiquorum, in quibus invenis ad te tegendum, ne infamis nuditas tua agnoscatur. Quidni? fateor. quid, inquam, ni? iterum fateor, quod tuæ novitiæ opinioni patrocinia non desint, visque adsit ingenii, eloquentiæ flumina, magnus assertorum numerus, verisimilitudo, pietatis simulacrum, divinæ legis oracula; sed hæc omnia *plane novo, ac malo more intellecta*. quare tanquam *somnia & fabulæ, tanquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt*, ex Decreto Sacræ congreg. Romanæ.

Quidni, habes Doctorẽ, qui exprimat tuam sententiam de vero martyrio charitatis, & misericordiæ, sicut S. Cyprianum & sanctissimos pariterque doctissimos Episcopos, qui tunc Ecclesias gubernabant in Africa, Numidia, Asia, & Ægypto in magno numero? qui sive in Concilio Africano, sive per literas & codicillos ab ipsis subscriptos sententiæ Cypriani adhæserunt, antequam agnoscerent Romæ esse damnatum à Concilio & Stephano summis Pontificibus, qui, non obstante tam magna testium omni exceptione majorum tunc temporis nube eam sententiam condemnarunt, quamvis non ejus principali defen-

sore

sore Cypriano. non ergo mirum quod librum tuum *de vero martyrio per peſtem* damnent Romanæ Cortinæ congregationum eminentiſſimorum Cardinalium, magna adhibita diſcuſſione, & pro tui defenſione non paucis libellis oblatis à tuis conſodalibus, tum ſummis Pontificibus, tum Cardinibus Eccleſiæ. Quando falſo citas teſtes quinquaginta ſeptem, qui in libris ſuis nec leviter inſinuarunt tuam novellam, ut mox conſtabit (nam de chirographariis in ſequenti parte ediſſeram.) Unde fraudulentia manifeſtatur mundo, non abſque ſpeciali Dei providentia. Captas enim veterum Auctorum ſcripta *paulo involutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate dogmati tuo quaſi congruunt*, & ſub alieno nomine, novam opinionem concinnas, ne primus, & ſolus eam ſentire videaris, non extimeſcens venenum propinare.

Non pertimeſcis piaculum violatæ & temeratæ Religionis, à quo te deterret conſtitutionis Eccleſiaſticæ diſciplina, & cenſura Apoſtolicæ auctoritatis; quæ non niſi unum verum martyrium abſolute vere & proprie tale ſanguine Sanctorum violenter effuſo rubricatum agnoſcit. Sed tibi ſumma levitate coacervas magiſtros, qui te adjuvent, & defendant, elanguens circa quæſtiones & pugnas, verborum veritate privatus. Exiſtimas quæſtum eſſe pietatem, circumis Provincias & Civitates, opinionem novam circumferens, ut eo audito, fideles nauſea quadã veritatis & fidei Apoſtolicæ, Catholicęque doctrinę, manna revomant & novitatis ſordibus oblectentur. Quæ cum ita ſint, quomodo es tanta audacia actus, ut præter id quod eſt apud Eccleſiam annuntiatum, annunties? & tantæ levitatis, ut præter id quod ab Eccleſiis accepiſti, accipias? Clamat Apoſtolus contra te; ſi quis novum dogma annuntiaverit, anathematizetur: At tu clamas tanquam rana & ſcyniphs & moritura muſca, & dicis; me auctore, me expoſitore, me interprete rejicite paterna inſtituta, paternos ritus, majorum depoſita circa notionem veri & proprii martyrii, & antiqua relicta, novam per fas nefaſque introducis, quod ita ſuperbe facis, tanto contem-

ptu Eccleſiaſtici Decreti damnationis tui libelli, ut vel refellere pudeat.

Nonne novum dogma introducitur, propter quod juſte eſt damnata *opellula tua de vero martyrio per peſtem*, aſſerere *quod illi, qui immoriuntur inſervientes infirmis peſte infectis, vere & propriè martyres ſint; quorum martyrium conſummatur voluntaria & honeſta mortis perpeſſione, ad veritatis revelatæ teſtificationem firmandam? unde ne, ad veritatis revelatæ teſtificationem firmandam? unde gratiæ juſtificantis infuſio ſupra menſuram operi operantis rependendam exiſtit: Itemque ſpecialis gloriæ eſſentialis gratiæ ſanctificanti ſpeciali reſpondentis ac aureolæ communicatio.* Hæc ſunt formalia verba tui Raynaudi, ô Leodegari, *p.* 3. *de Martyr. per peſtem cap.* 1. *n.* 1. eſſe vero novum dogma, quod nullus Catholicus vel leviter inſinuavit, ex eo manifeſtiſſime liquet, quia (ut ipſemet Raynaudus tuus bene probat, *p.* 2. *n.* 18. *&* 19.) etſi aliqui doctores non ignobiles dicant martyrio non deberi gratiam ex opere operato, ſed ſolum juxta menſuram operis ex parte operantis; tamen ille cum communiori ſententia, & quæ mihi certa videtur, aſſerit quod martyrio ſanguinis debeatur gratia *ex opere operato*: qui effectus cum ſit ex divina inſtitutione, conſtare debet ex Patribus & gravium Doctorum dictis & ſententiis; quas eſſe, bene probat ex eo, quod ſi infantes ante rationis uſum in odium fidei occidantur, gratiam accipiant, non *ex opere operantis*, quod non poſſunt exercere, ſed *ex opere operato*, quia Chriſtus talem vim dedit martyrio ſanguinis. Hinc eſt quod Patres, quantum ad ſanctificationem, æquiparent baptiſmum fluminis, & ſanguinis, quos lata manu dedi *zom. de vero martyr. fidei Reſol.* 42. Atque neque ex Patribus, Sacræ Scripturæ aliquo teſtimonio, aut ex antiquis ſacræ Theologiæ Magiſtris habetur, quod moriens infectus Lue, quam mortem oppetiit propter Chriſtum & charitatem in proximum; etſi actus ſit excellentiſſimæ charitatis, & fortitudinis magnæ, & ſic *ex opere operantis* gratiam mereatur & gloriam, tam gratia ſanctificans, quam gloria debeatur ex opere operato; ergo

Theo-

Theophilina opinatio novum dogma est *in* Ecclesia; & cum præter id, quod est apud Ecclesiam, & *in* Ecclesia annuntiatum, annuntiet, anathematizandus venit *justissime*. Hoc argumentum tantæ est efficaciæ & energiæ, ut ex *ipso* convincatur falsitatis hæc novella Raynaudi opinatio. Patres enim hoc privilegium non tribuunt nisi martyrio sanguinis, & nulli alteri: unde quodlibet aliud inventum novum est sub apparenti pietate confictum.

Quare concludo, quod Deus permittat ut hic non ignobilis Magister novum hoc dogma prædicaret & doceret, *ut nos tentaret Dominus Deus noster*; & quidem magna tentatio est, ut quem Doctorem, & assertorem veritatis putare debebamus, & summa veneratione amplexari, noxiam subinducat novitatem, quam non ita facile quis deprehendet, & multi non fas judicant prædocti Magistri affectu, & consodalis amicitia. *Sed vincit veritas* omnem affectum, difficultatem omnem.

PARS VII.

Auctores qui libros suos prælo dedere, & quos pro se adducit Leodegarius Raynaudi, libra Apostolica *pondero.*

Quinquaginta septem publicos Scriptores, plures eorum non proletarios, & infimæ notæ, sed gravissimos in sui ducit Leodegarius defensionem. qui si sentirent id quod Raynaudus nobis obtrudere tentat, non esset liber ejus in totum damnatus; at eos lectitavit grossis perspiciliis, quibus quodlibet verbulum, quod martyrium sonabat, de inservientibus Lue pestifera *infectis*, veram & propriam martyrii notionem apprehendit, & adjunxit suæ novitiæ opinioni, ut testibus falso adhibitis professionem solemnem *in* Ecclesia faceret: sed incassum; cum irrita sit; & nullius valoris *informatio* quam præsentat, ut effugiat damnationem Romanæ Cortinæ, etsi ad statuas Principum, & divorum fana confugiat,

——— *Ad Iovis atria*

Si fugeris, effugere non possis tamen.

Quia Jupiter ipse tibi adversatur, & fulmine suo ferit. egregie S. Prosper Aquitanus, *cap.* 1. *adversus collatorem*, qui temperans Aug. sententiam in materia efficacis gratiæ, Semipelagianorum auctor extitit in Gallia; contra quem sic fatur S. D. *Cur bellum confectum retractant, & munitiones, securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent? cum tantaque insolentia damnati foventur errores, ut pravitatis invidia, & auctores nostri pulsentur, & judices? an vero ita se novorum censorum norma exactior temperavit? Ecce salva Catholicæ pacis victoria, salva indissolubilium reverentia Decretorum, parati sumus patronos emendatioris doctrinæ audire, & circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere; constituatur in medio quod de novis emersit ingeniis, ne ad obscurandam scientiam doctiorum; ea exagitare videamur, quæ vulgus ignobile, & procax ineptorum loquacitas effudit.*

Igitur Raynaudus Leodegarii bellum confectum à Sacra Cardinalium congregatione retractat; at Ecclesiæ munitiones infirmat, victi illi placent; victores displicent, & tanta pertinacia damnatus fovetur error, ut sua audacia, & auctores nostri (sancti Patres,) & judices integerrimi (eminentissimi Cardinales) pulsentur, & retractari velit sententiam damnatoriam, quam semel prudentissime protulere, coacervans auctores male lectos, & pejus intellectos; & hi quidem non in parvo, ut vidimus, numero sunt. Igitur in medium proferens, quæ de suo novo ingenio emerserunt, catalogum Auctorum exorditur ejus inepta loquacitas.

Auctores hos in duo agmina partitur. Antiquorum, in quo ponit Cardinalem Witriaco, Cardinalem S. Bonaventuram, S. Bernardinum Senensem, alium Bernardinum Feltrensem. B. Joannem de Capistrano, Beatum Laurentium Justinianum loquentem de B. Martino, Raynerium de Pisis, Bernardinum de Bustos, Alvarum, Pelagium, Franciscum de Mayronis, Guillelmum Pipinum.

num. & miror cur in hac ſerie non poſuerit Auctorem *de duplici Martyrio ad Fortunatum* inter opera Cypriani; preſſius enim loquitur hic Auctor pro Leodegario, quam ullus alius. Ubi ſic fatur: *Cujus martyrium audebimus conferre cum his quæ paſſus eſt Iob? quod ſi quis adhuc confidit ſermoni noſtro, certe Beati Pauli verbis non poterit diffidere. Is ſcribens ad Hebræos cap.* 11. *exorſus ab Abel, uſque ad Gedeonem, ingentem Sanctorum catalogum recenſet, in quo plures ſunt, qui non defuncti ſunt morte violenta, & tamen de omnibus pronuntiat: & hi teſtimonio fidei probati inventi ſunt, qui apud Deum martyres ſunt.*

Sed cur gravis Scriptoris auctoritate non eſt uſus Leodegarius Raynaudi? cum expreſſe non exigat ad martyrium, mortem violentam à tyranno illatam? nec enim par eſt cogitare de viro valde erudito librum hunc non lectitaſſe, in quo clarius exprimitur ejus ſententia, quam in ullo alio antiquorum; ſed cur ejus ſuffragio non eſt uſus Leodegarius? quia veritatem, quam defendimus, expreſſit, dicens: *Eccleſia uſus diſcernit illos cognominibus, Martyres appellans eos, qui violenta morte deceſſerunt; confeſſores, qui conſtanter in cruciatibus, ac minis mortis profeſſi ſunt nomen Domini Ieſu Chriſti, parati mortem oppetere, vel potius martyrii ſupremam coronam ambientes apud Deum, Martyres ſunt, nec Martyrum corona fraudabuntur.* Quod eleganter enucleat longe poſt. *Hîc, ſi quis rogat, quo pacto poſſit quis eſſe Martyr ſine ſanguinis effuſione! Quiſquis hoc animo ſequitur juſtitiam, ut mortem citius admiſſurus ſit, quam velit à juſtitia deflectere, huic prompta voluntas pro martyrio deputabitur: Deus enim non æſtimat quemquam ex eventu rerum, ſed ex affectu. quî enim ille fraudetur martyrii gloria, per quem non ſtetit, quo minus martyrium peregerit; ut contra mercedem Apoſtata fert, quiſquis hoc animo vivit, ut Chriſtum negaturus ſit, ſi jactura bonorum, aut corporis cruciatus, aut mors ſit accipienda,* &c.

Ecce Leodegari, quam debilis ſit & lanea hujus agminis auctoritas, ad tuam novitiam opinionem firmandam. Hic enim omnes dum dicunt martyres eſſe, qui immo-

riuntur inſerviendo Lue infectis, non loquuntur ita claris verbis, ſicut loquitur hic antiquus auctor, qui dicit Martyres eſſe apud Deum, apud quem non fraudabuntur laude Martyrii, qui vitam finiunt ſine morte violenta; ſed habentes promptam voluntatem non deflectendi à fide, quantumcumque affligerentur, etſi de facto mors non ſit ſecuta violenta; ſicut Apoſtata eſt, qui eſt animo paratus deflectendi à fide, ſi jactura bonorum aut mors eſt inferenda; & tamen, tu Leodegari, hos non facis veros martyres, etiam coram Deo, ſed improprios & ſimilitudinarios; ergo pari modo non debes facere veros martyres, qui ſine violentia tyranni vitæ curſum terminant, etiamſi propter Chriſtum moriantur, ob ejus amorem inſerviendo Lue peſtis infectis, nec ad hos extenditur notio veri & proprii martyrii, quod agnoſcit praxis Eccleſiæ. rationem dat ipſe Pſeudo-Cyprianus, vir ſine dubio valde doctus, quia Eccleſiæ uſus inter illos martyres hoc diſcrimen ponit, quod iſti ſint, qui morte violenta decedunt; illi vero, qui in pace immoriuntur, etiamſi ob deſiderium martyrii multa ſint paſſi, ſi ex vi tormentorum violenter non eſſent morituri, ſed non ſunt mortui, Deo miraculoſe vitam conſervante. Audi doctiſſimum Stephanum Durandum, de praxi, ritibus, & conſuetudinibus Eccleſiæ valde bene meritum, *lib.* 1. *de ritibus Eccleſiæ Catholicæ cap.* 1. *n.* 12. *ſane uſus veteris Eccleſiæ dividebat martyres à confeſſoribus. Martyres ſiquidem dicebantur, qui in tormentis uſque ad mortem perſeverabant in profeſſione nominis Ieſu Chriſti: Confeſſores vero, qui in carcere vel tormentis citra mortem, conſtantes, atque parati mortem ſubire confeſſi erant Chriſtum: ſed jam ſanctis etiam, nec tormenta paſſis confeſſoris nomen tribuitur.* Cur ergo uſum & praxim veteris Eccleſiæ corrumpis Leodegari, & notionem veri martyrii novam introducis? nam martyr non eſt proprie, niſi qui in tormentis uſque ad mortem in Confeſſione fidei perſeverat.

Quod omne manifeſtius apparet hoc diſcurſu. Auctores hujus agminis non poſſunt in favorem Raynaudi expreſſius

preſſius loqui, quam loquatur S. Eccleſia Catholica Romana in officio S. Martini in antiphona *ad Magnificat pro ſecundis Veſperis*, quam dixerat Laurentius Juſtinianus *ſerm. de ejus feſto*, poſtquam dixit quod Martyrum extitit conſors, ſubdit Eccleſiæ antiphonam: *cujus animam, etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen Martyrii non amiſit*; addit: *Quomodo martyrii gloriam ipſum non habere cenſendum eſt, qui flagrans amore martyrii pro fidei teſtificatione Catholicæ, terrenorum principum nec expavit potentiam, nec Hæreticorum ſævitiæ ceſſit, quin conſtanter veritatis propalaret regulam, eorumque confutaret errores. Magnum prorſus eſt hoc martyrii genus, ultro ſe pro Chriſti honore dare periculis, cum ſecedendi etiam Sanctis à Domino facultas tribuatur. Contempſit Sanctus hic fugam, malens glorioſe occumbere, quam ex paſſionis metu humaniter occultari. Toties igitur martyrii promeruit palmam, quoties ſe inimicis fidei diſputando oppoſuit.* Juſtinianum imitatur Odo, Abbas doctiſſimus (ut denotant *commentaria quæ edidit in Iob*) tract. *quod B. Martinus ſit par Apoſtolus.*

Nullus Auctorum hujus agminis clarius locutus eſt pro opinatione Raynaudi; qui, ut ſupra ſemel notavi, *p. 2. cap. 1. n. 8.* hoc teſtimonio non obſtante, dicit quod B. Martinus non fuit proprie martyr, quia *ſola mors reipſa, vel in cauſis idoneis irrogata martyrem preſſe & proprie efficit.* Verum enimvero quia, *p. 3. cap. 2. n. 6.* & in hac Apologia pro ſua ſententia S. Laurentium Juſtinianum profert, recitans Palinodiam, ipſum S. Martinum verum Martyrem facit: illi objicio auctoritatem S. Romanæ Eccleſiæ, quæ etſi eadem verba Juſtiniana admiſerit, & ſuo officio approbarit; at S. Martinum non Martyrem preſſe, vere, & proprie, ſed ſolum confeſſorem agnoſcit, quia uſus S. Eccleſiæ praxiſque non agnoſcit veros & proprios martyres, niſi qui in tormentis uſque ad mortem perſeverant in profeſſione nominis Jeſu Chriſti: unde qui ſic non terminant vitam, licet ob charitatem, & miſericordiam exercendam, in ejus exercitio decedant in pace,

martyres tantum ſunt improprie & analogice. Diſſipatum eſt jam hoc primum agmen, quod mendaciter ordinavit Leodegarius Raynaudi, vocans eos qui non ſunt, ac ſi eſſent, mendacio ſuo ſe tegere laborans. *Hoc eſt caput circuitionis ipſius*; (verba ſunt Proſperi in Pſal. 139.) *non enim unquam quieſcit veritatis inimicus, qui volens ſe operire mendacius, ad hoc laborat, ut non finiendis laboribus implicetur; quia velare ſe non poteſt, niſi mendacium laboret labiorum.*

Pergit ad ſecundum agmen ex ſcriptoribus conſtruendum: quod ducit Nicolaus Seranus *in adnotationibus ad epiſt.* 126. *inter Bonifacianas.* ſequitur (ſi Deo placet) Magiſter Dominicus Gravina in *voce Turturis, p.* 2. (non 1.) *cap.* 29. Cornelius *à Lapide* (quem ego pro Raynaudo citavi) *in cap.* 11. *Oſeæ in fine.* eruditiſſimus Lucas Wandingus *in Annal. Minor. ad ann.* 1380. *n.* 10. & *in Biblioth. Franc. in Syllabo Martyrum ſui Ordinis.* Franciſcus Agaudo *tom.* 1. *de perfecto Religioſo. p.* 3. *lit.* 2. *cap.* 2. Boverius graviſſimus Auctor *tom.* 2. *Annal. Capucinorum.* Coriolanus *in Chronolog. ad ann. Chriſti* 263. Ribadeneyra *lib.* 4. *vitæ B. Borgiæ cap.* 8. Philibertus Marchinus ex inſtituto *lib. de bello divino p.* 1. *cap.* 7. Lucas Caſtellinus. *de Martyr. Canonizat. punct.* 2. *n.* 28. Euſebius Norimbergius *tom.* 2. *&* 3. *de viris illuſtribus Societatis.* Abrahamus Bzovius *ad ann. Chriſti* 263. Bordonus *tom.* 2. *Conſiliorum Reſol.* 77. *n.* 32. Aldefonſus de Flores, *in opere de inclyto Martyrii agone* in multis locis quos citat. Eſtius. *in epiſt.* 1. *Ioann. cap.* 8. ad illud *debemus pro fratribus animam ponere.* Joannes Thomas Caſtaldus, Ordinis Prædicatorum in opere *de Poteſtate Angelica tom.* 1. *diſt.* 2. *q.* 1. *art.* 5. *dub.* 1. *pag.* 240. §. *ad Fundamentum Salmeronis.* Sed ſubdit audaciſſime Leodegarius Raynaudi (*& hujus quoque operis editio hac in parte Spadæ impactione exſectionem ſubiit*) Franciſcum Salinas, *in cap.* 1. *Ionæ p.* 83. *n.* 14. alios citat mihi incognitos, qui aut Proletarii ſunt, & nullius nominis auctoritate digni, aut poſt, ignari cenſuræ & prohibitionis Romanæ damnationis,

tionis, & Cardinalitiæ proſcriptionis ſua, ſcripta prælo dedere.

Dum agmen hoc percurro, noto ſpumoſam Gallicam animoſitatem Leodegarii Raynaudi, illud Tenedia regula, fictili ſcilicet ſtructura, compoſuiſſe, etſi anxietate ſumma, & ſollicita, ſed inani diligentia; & famelicus cum ſit, & omnis ſubſidii expers, *oleribus victitat*, & *polyporum* inſtar cum ambulet in tenebris, *digitos arrodit ſuos*, dum verba Scriptorum conſiderat, non veritatem doctrinæ. Egregie S. Aug. *lib.* 4. *de doctrina Chriſtiana cap.* 11. *bonorum ingeniorum clara eſt indoles, in verbis diſſerentium verum amare, non verba; quid enim prodeſt clavus aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt, & quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt; quum nihil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt?* Vide Leodegari, an indoles ingenii tui clara ſit, dum verba horum diſſerentium, non eorum verum ſenſum amas, ut præſtigiis tuis complices & illudas.

Id conſtabit manifeſte legenti hos citatos auctores (exceptis his quos citas, etiamſi ſint tecum eiſdem damnationis Romanæ compedibus vincti) qui vel loquuntur in ſenſu accomodativo, & ad pietatem exhortatorio, qui è ſuggeſtu dictus, aut accommodaticia compatitur cum hoc, quod in rigore ſcholaſtico Theologico verus non ſit, ſed omnino damnandus: rurſus loquuntur cum exaggeratione quadam, & ſimilitudinaria, non proprie, & tandem fere nullus (unum vel alium auctorem ſocietatis excipio) eſt, qui ad verum & proprium & univocum Martyrium perſecutorem & tyrannum non exigat neceſſario, ut videre eſt in Caſtellino, Ildefonſo de Flores, *lib.* 4. *cit. p.* 1. *cap.* 8. *ann.* 1178. Ubi ad verum & perfectum martyrium ait *eſſe omnino neceſſarium, ut perſecutor mortem Chriſtiano inferat in odium fidei*, & idem omnes citati (exceptis notandis) adfirmant. Serarius *q.* 32. *in cap.* 16. *Iudicum.* Samſonem in albo martyrum cognoſcens, quia ab inimicis captus in odium veræ Religionis, & quia prælia Dei præliabatur, inſtinctu Dei templum Dagonis evertit, in quo, & ipſe pro Dei nomine vitam finit pro

fidei

fidei proteſtatione, non ſecus ac S. Pelagia, & aliæ Virgines, de quibus Ambr. *lib. 3. de virginibus.* Aug. *lib. de Civit. cap.* 21. *&* 26. quæ ſe fugientes tyrannum, actæ Dei inſtinctu in ignem aut præcipitium tradidere. Unde addit Serarius veram & propriam martyrii notionem ex Aug. verbis. *Quiſque in aliquo Dei præcepto exequendo mortem extrinſecus advenientem ſciens volenſque conſanter oppetit, is martyr eſt.* Unde mortem violentam, quæ ab extrinſeco dimanet, requirit ex Aug. ad veram martyrii notionem & conceptum. Agaudo etiam non dicit, quod inſervientes Lue infectis ſint veri & proprie martyres, ſed quod mortis hujuſmodi oppetitioni, *que le falta para ſer illuſtriſſimo martyrio? Y los que le hacen para ſer tenidos por martyres*, non dicit verum, ſed *illuſtre* martyrium, quia illuſtriſſima actio eſt talis mortis oppetitio, & ſimillima martyrio; aſt deficit vera ratio martyrii, quia non eſt violenta. in eodem ſenſu loquitur Magiſter Gravina paulo ante finem illius *cap.* 29. utitur enim verbis martyrologii, & Dionyſii Alexandrini, præterquam quod ibi non agat rigore Theologico, ſed analogice loquitur, ſicut explicatum eſt ſupra Martyrologium.

Citat VVandinum pro ſe, qui fuit unus è Cenſoribus Romanæ Congregationis, qui ipſum damnavit; videat qua fronte citet? adducit Philibertum Marchinum, cujus liber de *bello divino* damnatus eſt, uſque corrigatur ab eadem congregatione, propterea quod eandem amplexus ſit ſententiam. Videat prudens Lector quanta fides in aliorum inductione ſit adhibenda, cum in ſui patrocinium damnatum propter idem motivum adferat: ſicut adducit Joannem Thomam Caſtaldum, à cujus libro exſecta eſt hæc opinatio ab eadem Congregatione, Præfecto Eminentiſſimo Spada, quem *impactorem* nominat, ſine reverentia debita ſacræ Purpuræ, quia delere fecit ſcandalum à libro aliàs valde docto, ſed *Agamemnon minorus facit Therſita maledicentiam, quam teſtudo muſcæ*, teſta enim Purpurea Cardinalem tuetur. Tandem ad tragœdiam ſuam vocat Salinam, qui prorſus eſt ejus ſententiæ;

aſt

aſt vel captus eſt liber, vel capietur, ipſum enim impugnavi obiter *tom.* 2. *de congrua Eccleſiaſticorum omnium*, qui ſimul cum primo typis ſudat.

Tandem nubes iſta falſo citatorum teſtium evaneſcit, cum hæc quæſtio ante Raynaudum rigore Theologico à nullo fuerit tractata, ſed omnes quotquot ante ipſum ſcripſerunt, martyrium verum nullum aliud nominarint, præter illud quod perficitur morte violenta illata à tyranno; etiamſi perfectum dicant martyrium; & patienti, etiamſi in pace moriatur, palmam adſcribant martyrii; ſumunt enim martyrium ut ſimilitudinarium & imitatorium, non proprium & univocum. Sic Paulus ad Hebr. 11. Multos qui in pace ſunt mortui, Martyres appellat (teſtimonio μαρτυρέι & fidei probati ſunt) ſic Auctor *de duplici Martyrio inter opera* Cypriani ait: *Quid defuit Iſaac Martyrio, qui nihil obmurmurans paſſus eſt ſe colligari & imponi buſto? nec expavit in cervicem vibratam macharam? cujus autem martyrium audebimus conferre cum his quæ paſſus eſt Iob?* Hinc eſt quod Chryſoſtomus, *hom.* 1. *in* 2. *ad Corinth.* dicit, *quod ita magnus extiterit Iob martyr, ut nullus martyr ſit, cui non poſſit comparari.* & alibi, *ipſum plus quam martyrem appellat:* & tamen (quamvis plagæ & cruciatus quos inflixit Tyrannorum Tyrannus Diabolus, ex ſe eſſent ſufficientes ad ejus vitam auferendam, niſi divina eum conſervante & protegente gratia, vivus exiviſſet, nullus, nec ipſe Raynaudus, verum martyrem fatetur, ſed ſimilitudinarie, & analogice, non proprie, vere, & univoce, intelligendo de martyrio privilegiato à Chriſto, quod cauſet gratiam, & remittat peccata & peccatorum pœnas ex opere operato; non ſecus ac Baptiſmus fluminis: hoc autem vix aliquis poſt Raynaudum eſt ſecutus; ſed ipſe fuit primus qui ſine *luce & ſine duce* hoc communicavit, & propter hoc ſomnium, juſte damnatus eſt liber *de vero martyrio per peſtem.*

Propter quod addo, quod mortis oppetitio inſerviendo infirmis Lue peſtifera, ſit actus quo quis in exercitio proteſtatur veram eſſe fidem, quæ talem charitatem docet;

rursus morte ipsa secuta ostendit in exercitio se propter charitatem exercendam cum fratribus Lue infectis contemnere omne temporale & visibile, ut Deum invisibilem in gloria consequatur; unde voluntarie se offert periculo mortis proximo, unde ista voluntaria oblatio ad labores, ærumnas, & mortem ipsam perferendam propter amorem Dei & Christi, martyrium analogice & similitudinarie dicitur. est enim vera & propria mortis oppetitio propter Deum & Christum, dignaque magna remuneratione gratiæ in hac vita, & gloriæ in futuro; illique *ex opere operantis* eximio datur gratia & peccatorum remissio: rursus est actus fortitudinis, quia quis contemnit pericula mortis propter Deum, & sic imperatur à charitate, sicus actus alii fortitudinis Ethicæ infusæ, ast non dicitur gratia propter istum actum *ex opere operato*, & ex vi actus, sicut datur ex vi veri martyrii: rursus non est actus primarius fortitudinis, qui respicit pericula in bello, ut ait D. Tho. ubi supra q. 123. art. 6. etsi q. 124. dicat de martyribus, *quod fortes facti sunt in bello persecutionis*, non pestis, quæ improprie dicitur *bellum divinum*, & tandem actus, quo quis oppetit mortem, dum Lue infectos curat, non necessario oritur à charitate, cum ob lucrum, & temporale emolumentum id possit facere licite; at mortem oppetere in fidei odium sibi illatam à tyranno, non est nisi ex motivo charitatis imperantis, & sic ista mortis oppetitio vere & proprie martyrium est ex sua specifica ratione, ast alia non nisi ex appropriatione & accommodatitie. quamvis, si martyrium sumatur pro morte, quam quis eligit sustinere propter charitatem, & hæc sit vera mors accepta à Deo, in hoc sensu possit dici martyrium, sicut apud Patres ærumnæ quas quis patitur, cruciatus, infirmitates, dolores, martyria dicuntur. Sic passim Chrysost. & Auctor *de duplici martyrio* ab illis verbis. *Sed jam tempus est, ut de altero martyrii genere discurramus charitati tuæ, de quo etiam accurate est disputandum, quod occultum sit, & omnium temporum commune, & posthac erunt fortassis, Christo donante, tempora quibus nullæ tyrannorum perse-*

perſecutiones affligant Eccleſiam, nunquam tamen defutura ſunt certamina, nunquam martyria, quibus homines pii glorificent Deum, &c. & in hoc ſenſu accipit martyrium, non tam pro actione, aut paſſione, quam pro termino illius, ut legenti illam ſecundam libri partem patebit.

Hæc dixerim, ut capiatur vulpecula iſta, in quam Protheus Raynaudi Leodegarius transformatus eſt, qui ſagacitate & dolo citat Auctores pro ſe, qui illius ſenſum non attenderunt, ſed in alio longe diverſo mortem oppetitam pro Chriſto in ſervitio infirmorum Lue peſtifera, dixerunt martyrium abſque improprietate coram Deo, quia veram mortẽ propter Deum ſunt paſſi, quam veram mortem perfectum & verum martyrium nuncuparunt, non appellantes ſupra veram notionem veri martyrii; hæc enim non eſt, niſi mors ſit violenter illata in odium fidei, ſed ſupra veram mortem oppetitam propter Chriſtum, hoc enim eſt id à quo nomen martyrii ſumptum eſt ad ſignificandum; ſed non eſt ad id ſignificandum poſitum ex uſu & praxi Eccleſiæ: verum propter id, à quo nomen, martyrium, eſt deſumptum, ad ſignificandum qui mortem oppetunt in ſervitio Lue infectorum late martyres dicuntur, ſicut omne quod lædit pedem late *lapis*, id eſt *lædens pedem*, dicitur, & proprie dicitur lædens pedem, & tamen non dicitur proprie lapis. latius hæc proſecutus ſum, ut verum ſenſum dem auctoribus adductis pro ſe à Leodegario, tum ut præcludam modum iſtum citandi, ad introducendas novitates: Timeo enim ne aliquando Leodegarius Raynaudi diſcurrat per auctores, omnium ſæculorum à Chriſto nato, & aliqua vocula expiſcata, & ſicut in torculari preſſa, nobis obtrudat antiquitatem notionis ſui martyrii, ſicut multi alii ſine fructu in aliis materiis fecere, quas decore antiquitatis voluerunt illuſtrare; cum de *face multa hauriant*, ſicut hic facit Leodegarius Raynaudi.

PARS VIII.

De chirographariis ſuffragiis, quæ pro ſe congeſſit ſubrepticie Leodegarius Raynaudi.

Mirum quanta diligentia Leodegarius Raynaudi per ſe & ſuos conſodales collegerit ſubſcriptiones Doctorum & Magiſtrorum ex omni natione Europæa, ut poſſit *ex omni natione, quæ ſub cælo eſt* (ut ſunt, *Parthi, Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen, Iudæi, Cretes & Arabes*) habere ſagaces Procuratores Raynaudi, eſſentque Doctores Theologi, qui ſeducerentur ad ſubſcribendum, tacendo & occultando ſententiam Raynaudi damnatam fuiſſe *publico decreto ſacræ congregationis Romanæ* Eminentiſſimorum Cardinalium. Quare, quid mirum quod ſubſcriptione ſua eam ſententiam munierint Doctores Luſitani 52. Hiſpani 84. Galli 57. Angli 4. Belgæ 13. Germani 23. Poloni 12. Itali quinque?

Sed ut ab his judicium accipiam, vere hi quinque, quos pro ſe adducit, manifeſte contra ipſum ſunt; nec enim advenæ Romani tuæ ſententiæ hodie ſubſcribent, ô Leodegari Raynaudi. fateor, Patrem Terentium Alciatum, quem Romæ ſatis agnovi & recognovi, ſæpius in publicis diſputationibus pugnaſſe pro tua opinione Romæ, ſcripto forti, ut tu dicis, & longo; ſed hoc non obſtante, damnata eſt tua aſſertio. pete hodie, ſi vivit, ſubſcriptionem, pete à Vincentio Molinello, pete à Reverend. D. Hilarione Rancati, amiciſſimo ex corde meo (quem jure illis titulis honoras, eſt majoribus dignus) etſi tuam ſententiam ante damnationem dixerit *planè puram, & nulli cenſuræ Theologicæ obnoxiam*. Pete ab Antellenſi Ordinis Prædicatorum alumno, ſi non ignorat damnationem libelli tui, cum ſit ex vi ſui Ordinis Eccleſiæ obèdientiſſimus, dubio procul non ſubſcribet, ſicut ſuam ſubſcriptionem hodie datam adducis. Exige ab Alvyſio Curio, etſi è ſuggeſtu

edixe-

edixerit, erit cum grano ſalis prædicata, neq; enim contra Decretum Romæ factum prædicare tentaret, etſi tuam opinionem ann. 1650. publicè publicavit. cur non ſubſcripſit rogatus à Romanis & Italis, cum tam Romæ quam in tota Italia ſint viri doctiſſimi, Theologi celeberrimi innumeri, ſolum quinque adducis, & his ſine ſubſcriptionibus, ſed dicta eorum referens, ante Decretum Congregat. & hic tam parvus numerus ex Roma, quando ex aliis nationibus Europæis tam excreſcens eſt. cur? quia cum Romani & Itali ſcirent Decretum, ab illis ſurripere, aut abripere non quiverunt tui Procuratores ſubſcriptiones tacita veritate, aut addita falſitate; ſicut expiſcati ſunt tacita damnatione Hormiſdæ Monachi Scythæ, ſubſcriptiones S. Fulgentii & plurium Epiſcoporum Africæ, ſuæ ſententiæ damnatæ ut infra. §. ult. Parte 6. enodabo. in parallelis Leodegarii, & horum Monachorum.

De aliis Chirographariis ſuffragiis duo dicam, ex quibus evaneſcet tuæ ſententiæ ſubſcriptitium fundamentum, aut non efficax erit ad tui defenſionem. Luſitani, Hiſpani, Galli, Angli, Belgæ, Germani, & Poloni, exceptis forſan ſcriptoribus Societatis ex his nationibus, qui non ſunt in parvo numero, prorſus ignorabant libellum *de martyrio per peſtem* eſſe damnatum, conſultatione facta cum duobus Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X. magna diſcuſſione, auditis tuis defenſionibus, adhibitis favoribus pro te Principum, perpenſis extraordinariis tui & tuorum diligentiis, Aſſiſtentis Generalis pro Gallia, Oratoris Chriſtianiſſimi interpoſita auctoritate (quæ omnia tu ipſe fateris, & ex tuo ore tè judico ſerve nequam) damnationem (inquam) à tot & tam gravibus & purpuratis judicibus factam, confirmatam à ſummo Pontifice Innocentio X. qui illi annuit tanquam Eccleſiæ Rector & Legiſlator. Doctores iſti ſubſcripſerunt, qui dubio procul non ſubſcriberent, ſi damnatum eſſe librum ſcirent. quare ſine dubio ſubſcriptiones ſubrepticiæ ſunt, ac per conſequens nullius ſuffragii. & quidem quod Chirographarii exteri ignorarent damnationem, conſtat,

procuratores enim, dum expiſcabantur ſubſcriptiones, adibant & domus, & cellas Doctorum, & Magiſtrorum clam, eas expoſtulantes, damnationem libelli tacebant, eam occultabant Doctoribus & Magiſtris. Ita contigit hîc Hiſpali, ubi ſubſcriptionum expiſcator diligentiſſimus fuit P. Ferdinandus de Mendoza, qui nec verbum de damnatione libelli muſſitabat, veritatem occultabat, nec dicebat quod martyrium hoc novum cauſabat gratiam *ex opere operato*, ſicut verum & privilegiatum martyrium: quod ſi aperiret, non dubito quin omnes Hiſpalenſes, qui aſſenſum præbuerunt quæſtioni propoſitæ, eum negaſſent, ſicut nec ego ullatenus aſſenſum prębui, nec illuſtriſſimum Collegium, & Univerſitas Cæſarea S. Tho. Ordinis prædicatorum. quare P. Mendoza *ſub vulpe* ſubreptitias ſubſcriptiones extraxit; & ſic, judico, facere Procuratores in aliis Europæ regionibus, Civitatibus & Provinciis (de Univerſitatibus mox dicam.) unde non dubito, quod habita notitia damnationis libelli tam ſerio, tam oculatim, tam perſpectis tot gravibus circumſtantiis in tam longo ſpatio temporis, Chirographarii exteri non ſubſcriberent.

Sic contigit Euſebio Verſellenſi Epiſcopo. Qui doctrina & moribus in magna erat æſtimatione, ut refert Bapt. Fulgoſus lib. 7. cap. 3. hic enim ad Concilium Mediolanenſe convocatus à Liberio Papa, ut cauſa Athanaſii examinaretur, cum Imperator Conſtantius Arrianus multorum Catholicorum Epiſcoporum, quos male informaverat contra Athanaſium, ſubſcriptiones contra ipſum acquiſiviſſet precibus, minis, muneribus, ipſe Euſebius probe ſciens veritatem, & innocentiam Athanaſii, dolo ſancto Arrianos ſeduxit, & codicillum ſubſcriptum à multis Catholicis videns, dixit ſe nolle ſubſcribere, quia priori loco ſubſcripſerat Dionyſius Junior Epiſcopus, cupiens ut fieret nova Scriptura, in qua ſervato gradu inſcriberent: *quod, ſi à vobis fiat* (ait) *ego vobis morem gerere non recuſabo, ut tandem quæ inter vos eſſe videntur contentiones, firmentur.* rumpitur Scriptura contra Athanaſium,

cui

cui jam plures ſubſcripſerant male informati, & nova conficitur; quæ cum ad Euſebium perlata eſſet, ut nomen ſuum apponeret, *rem magni momenti eſſe aſſeruit, exigereque ejus magnitudinem, ut antea diligenter ſuper ea re diſputaretur.*

Quod ergo Euſebius dixit in condemnatione Athanaſii, qui non ſolum non ſubſcripſit codicillo condemnatorio Athanaſii, ſed ſagacitate ſancta illo rupto prohibuit, ne alii Catholici bene informati reſubſcriberent, dicens quod rei magnitudo exigebat, ut antea ſuper ea diligenter diſputaretur: idem facerent Chirographarii, qui prodefenſione Raynaudi ſubſcripſerunt, ſi ſcirent jam juridice eſſe damnatum ejus libellum; rei enim magnitudo exigebat, ſi circumſtantiæ damnationis ſcirentur, ut ſuper ea diligenter diſputaretur. in præſenti tamen non diſcuſſione, non diſputatione, ſed clam, ſed occulte, *ſub vulpe*, exquiſita negotiatione, minaci perſuaſione, magnifica promiſſione, ut aſſolent hujuſmodi procuratores, expiſcati ſunt fere omnes ſubſcriptiones. egregiè de his, qui ſubdole ſuffragia quærunt Leo Vizantius lib. contra Eutych. qui habetur *in Auctuar. tom.* 1. *Biblioth. Patrum: multa munera & auxilia pollicentur, & primum gradum in magiſtratibus*, & eruditorum, quos habent, *convictum* (*ô malorum immenſitatem!*) *non prius diſcedunt, quam ſuccumbant ſive inſcitiæ, ſive oſtentationi, ſive aliis, quæcunque illa ſint. quare ſubvertere ſolent eos, qui non omni cura cor cuſtodiunt.* Hæc Vizantius. Subreptitiæ igitur omnium fere exterorum ſubſcriptiones, & ſic nullius ſuffragii ſunt, ad vitandam damnationem Romanæ Cortinæ libelli *de vero martyrio per peſtem.*

PARS IX.

Excusantur Universitates Chirographariæ.

Destructis agminibus Auctorum, tam eorum qui sua scripta prælo dedere, quam chirographorum; videndum est, quid & quomodo canat Universitatum & Academiarum chorus, in quo, ut sibi & sua voce canant, constituit quatuordecim Universitates & publicas Academias, quæ in suo claustro publico Secretarii testimonio, illæsam, & ab omni censura liberam sententiam *de vero martyrio per pestem firmarunt*. Ita Vilnensis Academia apud Lituanos *anno* 1643. *Iunii* 15. Viennensis *ann.* 1650. *die* 6. *Septemb.* Pragensis *eodem anno, die* 10. *Decembr.* Aquisextensis *apud Salyos Ann.* 1632. Bituricensis *ann.* 1651. *Febr.* 27. Mussipontina apud Lotharingios 1652. *Martii* 4. Dolana, *apud Sequanos* 1632. *Ianuarii* 15. Valentina Cavarum 1652. *Iulii* 8. Herbipolensis 1653. *Aprilis* 12. Ossunensis. 1652. Academia Granatensis 1653. *Octob.* 9. Vallisoletana 1651. *Iulii* 12. Hic est *Syrbeneorum* chorus, id est, in quo quisque quod sibi visum fuerit, canit; neque auscultat quid præscribat is, qui choro præsidet, qui docet, quemadmodum oporteat canere, teste Athenæo, *lib.* 15.

Ex qua harum Academiarum excusatione, *Syrbeneorum chorum* efficiunt, canentes quod sibi placet, non auscultantes quod præscripsit Ecclesia Romana suo decreto contra librum Raynaudi, quod ad aures ipsorum non pervenit; sic quid mirum, quod canant quod sibi placet, in gratiam Raynaudi? si enim audissent, dubio procul tanquam Ecclesiæ Romanæ obedientes auscultarent, & canerent quomodo prescribit *qui choro præsidet*, neque enim ab horrendo crimine inobedientiæ, illæsi essent, si contra id, quod Præses universalis Ecclesiæ canit, ipsi occinerent, ex diametro se opponentes voce sua, voci Ecclesiæ, quæ in suis determinationibus, quamvis non semper loquatur definiendo ejus visibile caput; tamen in publicis Decretis loquitur, ut gubernator & director totius corpo-

ris;

ris; à cujus directione non licet membra divertere, niſi humili ſupplicatione: contrarium enim eſſet grunnientium more tumultum cauſare, & cacophoniam in Eccleſia.

Et quidem multæ ex his Academiis ſuffragium ſuum dedere, ante publicatum Decretum Congregationis à Summis Pontificibus approbatum, ut conſtat de Vilnenſi *ann.* 1643. de Aquiſextenſi *ann.* 1632. ſicut & Dolana. Decretum autem fuit editum *ann.* 1647. aliæ vero, ut decet exiſtimare notitiam Decreti, & damnationis libelli iſtius non habuerunt: quare dubio procul earum ſuffragia ſubreptitia fuere, nec enim dubitandum videtur, quod ſi ſcirent ſententiam damnatoriam Congreg. ex conſultatione cum Papa publicatam, quod rei magnitudo exigebat, ut ante ſubſcriptionem, diligenter ſuper eandem rediſputaretur, & tam Summum Pontificem, quam Congregationem conſulerent; poſt cujus Decretum nemini licet publice approbare, quod ipſa reprobavit, ut infra manifeſte probabo; niſi quod quiſque in ea re ſentiat, expoſtulet, & ſecreto deferat Congregationi, aut Tribunali Inquiſitionis.

Præterquam, quod Academiæ iſtæ fere omnes proletariæ ſunt, & infimæ notæ, ſi comparentur ad alias graviſſimas, quarum ſuffragia non potuerunt Procuratores Raynaudi expiſcari. talis Pariſienſis omnium antiquior, & omnium primum exemplar; cui perſimilis Salmantina, & æqualis auctoritatis Complutenſis. Cæſar-Auguſtana, Valentina, Conimbricenſis, & aliæ multæ in Hiſpana Monarchia. In Gallia, Toloſana, Avinionenſis, & aliæ innumeræ. in Italia Piſana, Bononienſis, Paduana. In Flandria, Lovanienſis, & Duacenſis ſemper floridæ, ſemper in ſana Patrum doctrina ferventes; quæ omnes ſunt primæ Claſſis, quibus omiſſis recurrit Raynaudus, per Procuratores ſuos, ad Univerſitates, quæ fere omnes ſunt in honore ſimplicis Officii, & in quibus ipſi dominium habent deſpoticum, ita ut fere reſiſtere non valeant eorum imperio, & ſuggeſtionibus. quare harum ſubſcri-

ptiones neminem movere debent, ut divertat à damnatione libelli Raynaudini lata à Congregat. Cardinal. in contradictorio judicio parte una cum defensionibus ejus audita.

Quare bene de his Procuratoribus Raynaudi, qui, ut ejus novitiam *de vero martyrio charitatis & misericordiæ* paraturam, cum eam non possint solida ratione defendere, has Universitates in sui patrocinium & excusationem adferunt, & suffragia emendicant; at Ecclesiæ consuetudo, cui nititur nostra sententia, longe firmior est; nam facilius omnia mutare quispiam posset, quam Religionem, & consuetudinis reverentiam; satis ad rem dixit Prosper lib. contra Collatorem, de his qui Aug. & per consequens Apostolicæ sedis Pontificibus se opposuerunt. *Misero, perversoque successu mendacio consensum eliciunt, quia reverentiam sibi præsumptione pepererunt, dum volunt quod semel conceperunt, etiam repugnantibus fidei sacris judicibus, defendere; qui cum semel aberrarunt* (ait Lactantius *lib. 3. Instit. cap. 24.*) *constanter in stultitia perseverant, & vanis vana defendunt; nisi quod eos interdum puto joci causa philosophari, & sua mendacia defendenda suscipere, quasi ut ingenia sua in malis rebus exerceant, vel ostentent.* quid pulchrius ad institutum præsens? nonne, procuratores Raynaudi in tota Europæa natione mendacium hoc de vero Martyrio charitatis defendendum suscipiunt, dum emendicant suffragia ab his Universitatibus, *ut ingenia in malis rebus*, contra Decretum Romanum, *exerceant vel ostentent?*

Unde Leo Pontifex hujus nominis primus *epist. ad Anatolium*, qui Episcoporum expiscatus est subscriptiones opinionis suæ contra Decretum Pontificium, sic fatur: *persuasioni tuæ in nullo penitus suffragatur quorumdam Episcoporum (ut jactas) subscriptio, cui ab initio sui caducæ dudumque collapsæ sera nunc & inutilia subjicere fomenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata præberet.* Hæc ibi. elegans dicendi modus contra te Raynaude Leodegarii,

garii, qui per tuos procuratores à fratribus & doctoribus Europæis ſpeciem conſenſionis in tuam opinionem ſurripuiſti per varias ſubſcriptiones, quas tibi dedere, etſi in tuam injuriam, tamen fatigati perſuaſionibus, ut pro verecundia haberent ea denegare. hoc eſt *verecundia fatigata; ab initio tamen caduca fuerunt, & dudum abſque dubio collapſa erant.* ôEccleſiæ calamitas? contra id quod Romana Congregatio ex Decreto Pontificio damnavit, ſine ſupplicatione ad ſanctiſſimum, coacervantur conſenſus doctorum, vilipenditur Decretum Apoſtolicum datum per Congreg. Eminentiſſimorum Cardinal. quibus contra pugnatur. vere, *caduca ſubſcriptiones & ex ſe collapſa, & quacumque remedia ſera ſunt & inutilia.*

Quam Eccleſiæ calamitatem, & amariſſimam plagam in filiorum perſecutione deplorat Nacianzenus *Orat. de Moderat. in diſput. ſervanda. ſic conflictamus, quaſi neceſſum ſit, ut externis hoſtibus domitis, in noſmetipſos* (adde in ſupremos judices) *arma vertamus, mutuiſque vulneribus confodiamur.* & infra: *ac dividamur & accendamur, non laudabili ac præclara, ſed flagitioſa diviſione, nec incendio illo purgante, ſed funeſto & exitiali. Non enim acutus ille, & penetrabilis ſermo, hoc eſt Chriſti gladius pios ab impiis dividit, nec ignis jacitur; ſed accenditur* (tot expiſcatis ſubreptitiis ſuffragiis doctorum & Univerſitatum) *materiam aſſumens, atque exhauriens, ſed contrario plane ac prius modo ſcindimur, atque conſumimur.* & infra: oſtendens perniciosum exitum harum oppoſitionum, & repugnantiarum, Decretorum Eccleſiæ; ſubdit: *Hoc Eccleſiam, quæ una eſt, in plures partes proſcindit.* cujus ſciſſionis rationem ſubjungens, ait: *quod hæc omnia excitavit acrimonia ſine ratione & ſcientia præceps* (attende tibi Leodegarie Raynaudi) *& effrænata; fideique navis gubernaculo carens:* nunquid tot non ſunt minora Eccleſiæ gubernacula, quot ſunt Congregationes inſtitutæ à ſummo Gubernatore? Sunt enim eminentiſſimi Cardinales illarum in partem ſolicitudinis & gubernandæ Eccleſiæ navis aſſumpti, quare quicumque eorum Decretis ad gubernium Eccle-

ſiæ editis contradicunt, *ſcientia præcipite & effrænata carentes navis gubernaculo proceduint*; etiam ſi ſint Academiæ, etiamſi ſint antiſtites, etiamſi ſint doctores, alias doctiſſimi.

Bene de te Hieronymus, *in Apolog. adverſus Rufinum lib. 2. cap. 1.* qui in ſui defenſionem Apologiam miſit ad ſanctum Anaſtaſium ſummum Pontificem, cui nititur ſatisfacere *ſi probatus eſt*, ait. S. D. (Leodegarie Raynaudi liber tuus. *de martyrio per peſtem tot Vniverſitatibus, tot auctoribus, tot Antiſtitibus, tot Cardinalibus*) *quomodo Roma mordetur, & carpitur, & appetita æſtimationis ejus fama crebreſcit?* & infra: *contra ſe habent* (canes Eccleſiæ latratores) *qui, niſi invicti Pontificis baculo repellantur, latrare non ceſſant*, nec ceſſabunt. & *lib. 3. ejuſdem Apolog. cap. 5. Miror quomodo probaverit Italia,* (Germania, Hiſpania, Gallia, Flandria, & ſimiles Provinciæ, & tot Univerſitates quas nobis obtrudis) *quod Roma contempſit; quomodo Epiſcopi* (Cardinales) *ſuſceperint, quod ſedes Apoſtolica condemnavit.* & *cap. 6. Innocentem te vocas, ad cujus interpretationem Roma contremuit* (diligentiis tuorum, & Principum favore, ut liber exiret innoxius) *& tantum Romana urbis judicium fugis, ut magis obſidionem barbaricam, quam pacata urbis velis ſententiam ſuſtinere.* & infra: *Nunquid ego non poſſum enarrare quomodo de urbe diſceſſeris? Quid de te in præſenti judicatum ſit?* (auſculta Raynaudine Leodegari) *quid poſtea ſcriptum ſit, poteram pandere, ſed plura ſervare ſtatui, quam pandere. Et poſt iſta, ſi quid in te aſperum dixero, ſtatim mihi proſcriptionem, & gladios comminaris* (quia tibi *ſpadam objicio,*) *& interim homo eloquentiſſimus arte ludis rhetorica, & ſimulas præterire quæ dicis*, &c. Hæc Hieronymus ad Rufinum inſultantem de victoria contra ipſum: quæ tibi apprime competunt, qui *Romanæ Vrbis judicium fugis*, cujus librum *Roma contempſit*, & magis vis *obſidionem, quam pacata urbis ſententiam ſuſtinere.* at hyſtricoſæ, & invidæ obſtinatæ mentis homo, juxta ſoritarum gradus pſeudomenas argutias, & ſophiſmatum fraudes, coacervas ſubſcriptio-

ſcriptionum numerum, reticens veritatem de condemnatione libelli, ut faciliores eſſent chirographarii ad ſubſcribendum: quos oſtendis mundo in vicis & plateis, ut *fictus hariolus ſtultorum nares verberes, & obtorto ſcorpione dentes mordentium quatias*; ut libellus damnatus *lectores & laudatores inveniat.*

Unde ut Academias induceret ἀρπώσεις Marcionis de libris aliquorum antiquorum congregat. ſic conqueritur de Rufino Hieronymus, ut bene notat Marianus in ſcholiis n.8. *incongruum autem eſt, hinc inde auctoritates mutilate colligere, & in alienum torquere ſenſum; quod fit, cum neque ea quæ antecedunt, neque ea quæ ſubſequuntur, conſiderantur.* Qui defectus obvius eſt in Raynaudo in operè ſuo damnato, ut verũ charitatis martyrium introduceret, qua ἁρπώσῃ non dubito multos ſeductos eſſe, quia teſtimonia Patrum, etſi longiſſima, aliquando tamen decurtata; ut verum ſenſum, niſi illum quem argutiis & ſtrophis ipſe obtrudit, non conſequatur lector. Quare ut judicium rectum faciat, ea videre debet in ſua origine, & è fonte bibere aquam, nam in rivulo Raynaudino, dum de hoc puncto agit, omnino turbida eſt.

PARS X.

Iudicium Univerſitatum Valliſoletanæ, & Granatenſis ſpecialiter examinatur.

Homo Hiſpanus cum ſim, adſtringor Hiſpanas Univerſitates & Academias defendere, earumque D. D. qui congregati in unum rem tractant & diſcutiunt. *ſunt enim probati trapezitæ, quorum ſumma peritia eſt, & diſciplina* (ait Caſſianus *Collat.* 1. *cap.* 20.) *probare quodnam aurum puriſſimum ſit, ut vulgo dicitur obryzum, quod vel minus purgatione ignis excoctum æreoque vilique denario, ſi pretioſum numiſma ſub colore, aut indumento auri fulgentis imitetur, prudentiſſima directione non falli, & non ſolum numiſmata tyrannorum vultus exprimentia, ſapienter agnoſcere, ſed etiam illa, quæ ſunt veri Regis imagine,*

ſed non legitime figurata, peritia ſagaciori diſcernere. Deinde nequid illis à legitimo pondere diminutum ſit, cenſura trutinæ diligenter inquirere. quod conatæ ſunt facere duæ illæ illuſtres Academiæ, & quantum illis Deus dedit, fecerunt de aſſertione Raynaudina judicium ferentes; ſed non uſquequaque purgatione ignis excoctum, non uſquequaque cenſura trutinæ fidelis diligenter inquiſierunt, an à legitimo pondere eſſet diminuta, nec ſagaciori peritia diſcrevere, an Regis imago purpurea legitime ſit figurata in martyribus charitatis, quamvis colore & indumento martyrii veros martyres imitentur. Quare puriſſimum aurum obrizum, decoctum in fornace Romana confundunt aliquatenus cum aurichalco, quod ſplendet ut aurum; cum vere & proprie tale non ſit. Quare non dubito, quod Academiæ iſtæ ignorarunt Decretum ſacræ Congregationis, & nihilominus ad minus Granatenſis non reſpondit in favorem Raynaudi.

Igitur Academia Imperialis Granatenſis *die* 20. *Maii ann.* 1653. celebrato clauſtro, convocatione ante diem ad id ſpecialiter facta, juſſu D. Doctoris D. Joannis de Pinelo, prædictæ Univerſitatis Rectoris, ſequens propoſitio fuit diſcutienda propoſita. *Sintne vere & abſque improprietate martyres coram Deo, qui ex puro motivo charitatis in moribundorum peſte infectorum miniſterium, vitam impendunt; licet coram hominibus non ſint colendi ut martyres, donec accedat approbatio Eccleſiæ?* Ipſius propoſitionis approbatio ex ipſa Univerſitate eſt enixe petita, quæ lecta & intellecta à Dominis Doctoribus, &c. omnibus reattente exacteque diſcuſſis, hanc protulere ſententiam.

Cum de vera, & eſſentiali martyrii ratione ſit à nobis proferenda ſententia ſuper illis Chriſti fidelibus, qui ex perfectiſſimo charitatis amore mortem oppetiverunt, miniſtrantes laborantibus peſte, dum ea maxime graſſaretur; oportet in quo vera & eſſentialis martyrii natura conſtituatur, prælibare. ſi namque omnino neceſſario ad martyrii eſſentiam requiratur, quod ſit formalis & expreſſa teſtificatio in fidei, vel alicujus virtutis defenſionem, ut communis

Theo-

Theologorum ſententia cum Angelico Doctore ad 22. q.124. per totam defendit, certum erit tales Chriſti fideles ſic mortem oppetentes, vere & proprie martyres non debere vocari, nec eſſe. Ad hoc communiter ducitur ſententia hæc tum ex Chryſoſtomo tom. 2. ſerm. de Adam & Eva, dicente de vere & proprie martyribus: Tolle perſecutores, & non erunt martyres; tum etiam, quia præjacta martyrii definitio nullatenus cum proprietate adaptatur illis. Tales enim teſtes non ſunt in fidei, vel alicujus alterius virtutis defenſionem, cum non adſit impugnatio, neque apud quem teſtificatio aut defenſio fiat. Vnde vere & proprie martyres dici & eſſe non poſſunt. Tum denique & principaliter, quia tales, licet actu ferventiſſimo charitatis ducti mortem aggrediantur, ægrotis peſte infectis inſerviendo, tam circa ſpiritualia, quam circa corporalia; & præmium eſſentiale forte majus aliquibus martyribus mereantur; tamen accidentale præmium ex laureola martyrii deſumptum non merentur. Alias martyrii Laureolam, qua veri & proprii martyres inſigniuntur, ipſi conſequerentur, quod nequit affirmari; cum juxta ſanctorum doctrinam, & Theologorum communiorem ſententiam, laureola ſit præmium iis reſervatum, qui cum fidei hoſte certaverunt, uſque ad mortem fidem teſtificando, & defendendo. hæc prima pars cenſuræ Granatenſis. Veriſſima quidem, & omni acceptione digna.

Verùm enimvero ex diametro eſt oppoſita ſententiæ Raynaudi. Dicunt enim doctores Granatenſes, quod affirmari nequit, illos qui infirmis lue infectis ex perfectiſſimo charitatis motivo immoriuntur, inſigniri laureola, qua veri & proprii martyres inſigniuntur, quia juxta ſanctorum doctrinam hoc præmium accidentale ſolum debetur iis, qui cum fidei hoſte certaverunt uſque ad mortem, (id quod ego late oſtendi in tomo de martyrio fidei tract. per totum) ubi enim non eſt hoſtis contra quem pugnatur, proprie non eſt victoria; ubi autem non eſt vera & propria victoria, vere & proprie non eſt de illa gaudium accidentale, quod eſt illius victoriæ bravium & præmium: & ſic ubi non eſt cum fidei hoſte certamen, & de illo victoria,

ctoria, laureola martyrii propria, sive sit in corpore, sive in mente non est. Et hæc fuit semper Ecclesiæ praxis, usus, sensus & consuetudo.

Huic doctrinæ Patrum & Doctorum Granatensium ex diametro se opponit Raynaudus *in opellula de martyrio per pestem p.* 3. *cap.* 6. Ubi sic fatur. *Recte ex omnibus hactenus disputatis colligere posse videor, nihilo vilius coram Deo & hominibus haberi debere, ut cum Rufino loquar, martyrium misericordiæ, pro quo hactenus pugnavi, quam martyrium in causa fidei, cujus tot tantasque gratiæ & gloriæ prærogativas p.* 2. *proposui. Omnes illas prærogativas cum martyrio misericordiæ esse communicandas, evincit universa disputatio proxime instituta. Itaque & certa gratia mensura ultra eam, quæ operi operato respondet, rependenda est immorientibus sancto juvandorum ægrorum ministerio, & certa item portio gloriæ essentialis, ac certum decus accidentarium stabile & perpetuum, hoc est laureola. Imo quia constitutum supra est, gratia martyrii ex opere operato obtingentem, dari auctiorem pro majore perfectione dispositionum passi; has autem posse præcellere dispositionibus multorum martyrum pro fide morientium, est extra controversiam; dubitandum non est, quin martyrii charitatis uberior & auctior gratia obtingere possit ex opere operato, quam eodem modo obtingat martyrio occumbenti in causa fidei.* Hucusque effutiit Raynaudus. Videat Leodegarius ejus an in Granatensis Academiæ censura, *invenerit capra cultellum*, imo *& spadam* qua se transfodit: affirmat iste laureolam dandam martyribus misericordiæ, *quod affirmari non posse*, dicũt Granatenses Doctores; dicit quod illis datur gratia ex *opere operato*, quod nullus Catholicorũ somniavit.

Progrediuntur Magistri Granatenses ad suæ censuræ secundam partem, & dicunt. *Cæterum si cum aliis Theologis non inferioris notæ, definiatur martyrium quod sit expensio propriæ vitæ pro fidei causa, vel alterius alicujus virtutis opere exequendo, sic vere & proprie martyres dici poterunt ac esse coram Deo, licet non sint in Ecclesia ut tales venerandi, donec ipsius adsit approbatio. Sic docent expresse*

plures

plures primarii Theologi, atque Magistri ex florentissimis Europæ Universitatibus. Hujus sententiæ probabilitas firmari potest, tum ex Patribus mentionem non facientibus, cum de vero martyrio loquuntur, tyranni mortem infligentis, neque ad illud expressam fidei testificationem requirentibus, sed virtualem tantum in aliquo virtutis opere contentam. sit unus pro mille D. Aug. serm. 15. de verbis Apostoli. illis verbis. A charitate martyrium ortum habet, & sine ipsa nec umbram nominis meretur; si enim in te fuerit charitas Dei, communicabis Christi passionibus, & verus eris martyr. Accedit Chrysost. in epist. ad Philippenses cap. 2. etenim martyrii corona non solum pro eo est, quod idolis non immoletur, sed & tales occasiones martyrium faciunt. Tum etiam ex tabulis Eccles. 28. Febr. ubi de sanctis illis Alexandrinis, qui inserviendo infirmis Lue infectis, mortem oppetivere, dicetur. Quos velut martyres Religiosa piorum fides venerari consuevit. Si ergo laudatur colentium pia fides, ergo digne ut martyres colebantur, alias non pie, sed impie ut martyres colerentur.

Tum denique, quia expensio propriæ vitæ in munere inserviendi fidelibus peste contactis, ortum ducit ex ferventissima charitate, quæ majus aliquid est martyrio, sic attestante Chrysost. super 1. ad Corinth. 13. ostendit Apostolus martyrio majus quid esse charitatem. Supposito ergo quod martyrium ex charitate ortum ducat, ut Aug. ait: si charitas majus aliquid martyrio est, tanquam minus in majore continetur martyrium in charitate tam ferventi, quæ vitã ponit pro amicis, qua nemo majorem habet, docente Christo Domino, vere & proprie verificari poterit supra dicta definitio martyrii de talibus Christi fidelibus. Omittimus plures alias rationes, & testimonia, quibus posset hæc sententia comprobari. Hæc sufficiat prælibasse, ut censeamus partem affirmativam propositionis in fronte positæ, non opponi testimoniis Euangelicis, imo ipsis esse valde conformem, consonamque dictis sanctorum Patrum. Non esse periculosam in fide, non erroneam, nec piarum aurium offensivam, sed magis ex illa juvari aliorum charitatem, ut tantorum facto &

exemplo

exemplo animam ſuam ponant pro amicis ſuis. Sic ſentimus; quod ſubſcripſimus in hac noſtra imperiali Vniverſitate Granatenſi, ſexto idus Iulii 1653. & Chirographarii fuerunt quatuor, qui ſubſcripſere præfatæ approbationi, ut teſtificatur Secretarius Chryſoſtomus Altamiranus de Naica, regiſtratamque dicit *in libro, in quo litera clauſtri exarantur folio* 315.

Hæc eſt ad verbum cenſuræ Granatenſis pars ſecunda, qua videtur victor evaſiſſe Leodegarius Raynaudi, ſed cum in prima parte ipſe ſibi perniciem accerſierit, cum ipſi manifeſte nocuerit Academia, in ſecunda etiam nocebit, ſi mens illius agnoſcatur; quare mihi non dubium, quod ſi hodie cognita damnatione Romæ facta de libro Raynaudi iterum conſulerentur, conſilium in melius eſſet commutandum: nam

Quis tibi conſilium ſubmiſit inutile tandem,
Amborum ſanamque exemit pectore mentem?

Quare mens horum Doctorum ſana non fuit, dum concluſere, quod à martyrio charitatis coram Deo vere & proprie ac univoce martyres ſint cum martyribus fidei, iſtoſque illis compararunt, quod ex plurimis manifeſte colligitur. 1. quia in prima parte cenſuræ aſſerunt Granatenſes, quod nequeat affirmari, quod Martyres charitatis habeant laureolam, qua veri & proprii Martyres inſigniuntur, quia juxta ſanctorum doctrinam, & Theologorum ſententiam, laureola eſt præmium iis reſervatum, qui cum fidei hoſte certaverunt uſque ad mortem, fidem teſtificando, & defendendo. Unde in ſecunda parte hanc laureolam non agnoſcunt in martyribus *miſericordiæ*.

2. Quia teſtimonia Auguſt. & Chryſoſt. quibus utuntur, ut conſtat ex contextu horum P. P. de martyrio improprio intelligenda ſunt, ut legenti conſtabit; ſicut intelligenda ſunt plura Patrum teſtimonia, dum agunt de martyrio *condolentiæ*, *patientiæ*, & *ſimilibus*, ut conſtat ex Chryſoſt. *in Pſal.* 127. & expreſſius *Orat.* 5. *contra Iudæos*, multa & elegantia dicit, & probat concludens. *ſic & tu, ſi repuleris incantamenta, veneficia, ac magicas artes,*

artes, etiamsi morbo moriaris, martyr perfectus eris, eo quod aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate, praeoptaris mortem cum pietate. legendi sunt Severus Sulpicius. *epist.* 2. Laurentius Justinianus agentes de S. Martino, quem proprie non fuisse martyrem comparatum ad alios, certum est. Petrus Damianus *Serm. de S. Eulenchadio, Episcopo Raven.* qui pressius loquuntur de martyrio horum sanctorum, ut dixi, interpretandi sunt de Martyrio improprio & analogo, & sic necessario est intelligendus Aug. dum dicit, *in quo charitas coronatur, ipse erit verus martyr*; alias enim omnes electi, cum in illis charitas coronetur, quia charitati debetur corona gloriæ, essent vere & proprie martyres.

3. Id clare colligitur ex ratione, qua probant hanc secundam partem censuræ. *quia* (inquiunt) *martyrio majus quid est charitas; supposito ergo quod martyrium ex charitate ortum ducit, si charitas majus aliquid martyrio est, tanquam minus in majori continetur martyrium in charitate.* Quæ ratio nihil probat, si de vero & proprio & univoco martyrio fit sermo, efficaciam tamen habet de martyrio analogo & improprio. Etenim calor solis ex sole ortum ducit, & sol majus quid est calore, isteque in sole continetur, non tamen quia continetur in sole, proprie calor est; quia etiam continentur aliæ qualitates: & sic illa qualitas est proprie calor, quæ proprietates habet caloris; sic etiam martyrium, quod est actus fortitudinis, continetur in charitate, sicut & aliæ virtutes morales infusæ, quas media charitate producit gratia habitualis. Ut autem charitas martyrium, quod est actus fortitudinis imperet, debet habere proprietates veri & proprii martyrii, alias verum & proprium martyrium non erit; una autem ex illis est laureola debita, quam negant Granatenses martyribus charitatis, altera quod *ex opere operato* causet gratiam, quam nullus Catholicorum his martyribus concessit, sed solus Raynaudus & Leodegarius.

Sed quomodo dicunt, quod isti juxta secundam martyrii definitionem sunt *vere & proprie* martyres *coram*

Deo?

Deo? ut hoc percipiatur, ejuſque perceptio deſerviat ad intelligentiam plurium Doctorum, & Cenſuræ Valliſoletanæ, & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Legionenſis, quam in principio Apologiæ illi male intellectæ plurimum fidens aſſignavit; notandum eſt, quod Martyrium *charitatis, & miſericordiæ* dupliciter poſſit conſiderari; aut in ſe (utrumque enim martyrium eſt; ſicut & martyrium *condolentiæ, patientiæ*, & *ſimilium*; & illa ratio martyrii, quam in ſe habent, etſi vere & univoce non ſit talis, tamen vere, & abſque improprietate in eis exiſtit) aut comparatione ad martyrium fidei: & in hoc ſenſu analogo proportionis, ſolum martyrium fidei eſt vere proprie & univoce martyrium, cui competunt proprietates veri & proprii martyrii, & privilegia illi conceſſa, cætera autem impropria & analogicè; quamvis hanc impropriam & analogicam rationem in ſe formaliter vere habeant, & verificetur proprie, quod eſt in illis. rem explico manifeſto exemplo. Urina & medicina analogice dumtaxat dicuntur ſanæ, quamvis veræ & proprie ratio illa analoga, quæ eſt in ordine ad ſanitatem animalis, vere & proprie in illis ſit, nam medicina vere & proprie eſt cauſativa ſanitatis animalis, & urina vere & proprie eſt ſignum ſanitatis ejuſdem: unde abſque improprietate dicuntur ſanæ, ſed in ordine ad ſanitatem animalis, in quo ſolum proprie & univoce eſt ſanitas, quæ conſiſtit in humorum temperie. Ita martyrium ex Eccleſiæ uſu eſt teſtimonium exhibitum in fidei, aut alicujus virtutis ſupernaturalis defenſionem contra impugnantes illam, apud quos fit teſtificatio, aut defenſio, quod impugnatoribus non exiſtentibus proprie non defertur, ſed potius virtutis obſequium Deo & proximo offertur. unde in actu ſolum exercito fides oſtenditur, non proprie teſtificatur, & defenditur. quis niſi cæcus, hoc non videt?

Hinc eſt, quod Doctores Granatenſes, Illuſtriſſimus Galliarum Primas Archiepiſcopus & Comes Lugdunenſis, D. D. Univerſitatis Valliſoletanæ, una cum Illuſtriſſimo Epiſcopo *ann.* 1651. *die* 12. *Iunii* dicunt, quod S. S. Alexan-

Alexandrini, qui titulo Martyrum honeſtantur in tabulis Eccleſiaſticis 28. *Februarii*, & qui eorum imitatione ex puro motivo Chriſtianæ charitatis ſupernaturalis lue contactis miniſtrando contrahunt, ſunt apud Deum vere & abſque improprietate martyres; hæc enim propoſitio de veritate & ratione analoga, quæ vere in iſtis eſt, intelligi valet, & debet; non in ratione univoca & in rigore talis poteſt intelligi; eſt enim in hoc ſenſu damnata propoſitio, aſſentiente ſummo Pontifice Innocentio X. à Sacra Congregatione Eminentiſſ. Card. contra quam damnationem nullus poteſt determinare, ipſa inconſulta. quare, ne hoc dicamus de tantis viris, de proprietate & veritate analoga interpretandi ſunt; ratione cujus ſanctos illos Alexandrinos *veluti Martyres Religioſa piorum fides venerari conſuevit*; non ſecus ac cognoſcens medicinam ac alexipharmacum cauſare ſanitatem, illud magno pretio æſtimat. Noto cenſuram Academiæ Valliſoletanæ excedere in encomiis libri prohibiti, & ejus doctoris; dubio procul ab aliquo ejus conſodale fuit confecta, nec mirum, quia P. Joannes Antonius Velazquez ejuſdem Societatis *in opere de conceptione*, Raynaudum ſatis inconſiderate dicit, *eſſe totius ſapientiæ compendium*, quod ſatis ridiculum eſt, ut alibi etiam notavi.

PARS XI.

Eminentiſſimorum Cardinalium, & Illuſtriſſimorum Antiſtitum ponderatur cenſura.

Nihil fere nos ita degenerare à ſpirituali nobilitate facit, ut fraus atque dolus, nihilque in Eccleſia nocet magis, quam verſuta ſimulatio, ajebat Chryſoſt. homil. 11. in 1. ad Timoth. *doloſi enim & fraudulenti* (dicit S. Zeno Veronenſis) *in labiorum ſuperficie coloratam dulcedinem proferunt, ſecundum obtectos marinis fluctibus ſcopulos, qui exiguæ aquæ aſperſione cooperti ignorantibus, & incautis improviſa naufragia moliuntur; ſimulant enim innocentiam, dum habent occultam certam malitiam, & ſimulata*

innocentia non eſt innocentia, ſed duplex malitia, quia malitia eſt, & ſimulatio; æquitaſque ſimulata non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas, quia iniquitas, & ſimulatio; & pariter mendacium ſimulatum non eſt veritas, ſed duplex mendacium, quia mendacium, & quia ſimulatum.

Igitur ut Leodegarius Raynaudi ſumma ſimulatione in cortice duntaxat *coloratam*, & ficte purpuream auctoritatem ſuæ novellæ opinioni adderet, verſute & ſubdolè Cardinales, & Prælatos infulis ornatos Pontificalibus introducit: quia verſuta ſimulatione nihil eſt nocentius in Eccleſia, cum ignorantibus & incautis moliatur improviſa naufragia, & ſcopulos falſæ doctrinæ purpura, & præſulum ſuffragio obtegit, quod facit, non ſine fraude, dum pro ſua falſa doctrina duodecim introducit Eminentiſſimos Cardinales S. R. E. inter quos, *ſi Deo placet*, Eminentiſſimum Cardinalem *Spada*, qui fuit Præfectus Congregationis, quæ libellum Raynaudi in totum damnavit. O ſumma hominis audacia! Cardinales adducit contra Decretum factum à Cardinalibus, ut ſic intra ipſos Cardines Eccleſiæ ſeminet diſcordias & zizania obtrudat, etiam quindecim partim Epiſcopos, partim Archiepiſcopos, omnes doctiſſimos & eruditiſſimos; & horum omnium ſubſcriptiones non dat, ſed ex relatione ſibi facta nobis pro ſua novitate introducit. quare uno verbo poſſem ſatisfacere, dicens quod *diſſimulatione mendacium tegit*, & ſic, *duplex eſt mendacium*, & *quia mendacium*, & *quia ſimulatione obtegit*, & fictione.

Sed rem altius curo examinare, ut omnibus conſpicua ſit falſitas novellæ hujus opinionis; fateor, & do gratis, hos omnes præfulgentes Cardinalitia & Epiſcopali dignitate dixiſſe (ut tu fateris) eos, qui immoriuntur in ſerviendo lue contagioſa infectis, eſſe in exercitio martyres coram Deo *veros & abſque improprietate*; tamen non dixere eſſe univoce & in ſpecie, *veros & abſque improprietate martyres* à vero & univoco martyrio, & ſub ſpecifico motivo tales. apage! quis Catholicus, quanto minus Cardinalis, & Epiſcopus ſapientiſſimus dixit? ſed dumtaxat analo-

analogice & materialiter, non formaliter & ſpecifice. rem explico exemplis. (attende Leodegari Raynaudi pauper-tatem tuam in Theologia, & divitias in Matæologia) omnis qui obſervat mandata Dei ex motivo virtutis quæ mandatur, quamvis non ex motivo obedientiæ, iſte talis obediens dicitur in exercitio, quia exequitur quod Deus præcipit, & ſic in exercitio dicitur materialiter abſque improprietate obediens; at actus virtutis quem exequitur, proprie & vere non eſt actus obedientiæ, quæ reſpicit pro motivo ſuperioris præceptum, tacitum vel expreſſum; hinc eſt quod Religioſus obſervans ſuam regulam, etiamſi illi nullum imponatur præceptum, vere & abſque improprietate obediens eſt & dicitur, & tamen niſi reſpiciat objectum, quatenus eſt præceptum, verum & proprium actum obedientię non elicit, ſed materialiter dumtaxat, non vero ſpecificum & formalem, ut eſt certa ſententia cum D. Tho. 22. *q.* 104. *art.* 1. & 2. ſimiliter in vitiis. omnis qui mortaliter peccat vere & abſque improprietate, & inobediens, & ingratus eſt, & dicitur, & tamen non elicit actum verum & proprium inobedientiæ & ingratitudinis, quæ ſunt ſpecifica vitia; ſed ſolum dicitur inobediens & ingratus in exercitio, & materialiter; ſicut in exercitio dicitur odio proſequi Deum & ipſum factis negare: in quo ſenſu egregie dixit Chryſoſt. *hom.* 14. *in epiſt. ad Philipp. ſola virtus eſt res vera, vitioſitas mendacium eſt, nam & voluptas ipſius comes, & gloria mendacium eſt, & mundana omnia nihil ſunt quam mendacium.*

Ex quibus, quæ in Patribus & ſcholaſticis indubia ſunt; tale formo ineluctabile argumentum. obedientia, quæ reſplendet in omni actu virtutis exercito, & inobedientia ac ingratitudo, quæ in exercitio omnis peccati mortalis elucet, ſi illa comparetur ad veram & ſpecificam obedientiam, & iſta ad veram, & ſpecificam inobedientiam & ingratitudinem; eſt materialis, impropria, & analoga obedientia, ingratitudo & inobedientia, nec ab illis in rigore Theologico dicitur, quis formaliter, proprie, & ſpe-

cifice obediens, inobediens, & ingratus: nec ab obedientia in actu exercito, & obedientia formali potest abstrahi unus conceptus, verus, proprius, & univocus, sed dumtaxat analogus. rursus, vitium & voluptas in exercitio sunt mendacia, & tamen in rigore Theologo non sunt talia, sed analogice. ergo quamvis, dum quis immoritur inserviens lue pestifera infectis, in exercitio det testimonium, veram esse nostram fidem, tamen hoc testimonium est dumtaxat in actu exercito & materiale; & sic in rigore Theologico non est vere, & proprie, & univoce martyrium, sed analogice: ratione cujus improprie verificatur, quod sit vere absque improprietate Martyr, sed materialiter; sicut materialiter verificatur quod exercens opus virtutis præceptæ, sit vere & absque improprietate obediens, tamen sicut iste non elicit actum veræ & formalis & specificæ obedientiæ, ita nec ille habet proprium formale, & specificum martyrium.

Propter hoc, quidam Eminentissimi Cardinales, & Episcopi eorum quos citat Leodegarius, grassante peste, jubebant ut Prædicatores verbi Dei è sacris pulpitis & suggestibus populo promulgarent, & præconizarent martyres esse, qui immoriuntur inserviendo contagio infectis, ut sic ferveret charitas in infirmos, istisque non deficerent necessaria in curandis & medendis animabus, corporibusque: non quod ista mortis oppetitio sit formale, proprium, & verum martyrium, specificumque; hoc enim nullus Catholicorum antiquitus edocuit, nec hodie salva Religione dicere valet: sed jubebant ut è pulpitis ediceretur esse Martyres, qui in tali exercitio vitam dant, & coram Deo taliter vere, & absque improprietate Martyres æstimandos iri; non secus ac è pulpitis Patres & prædicatores insonant salubriter, quod *gloria mundana, & mundana omnia sunt mendacium*, quod hæreses, omnesque infidelitatis species sint *mendacia*, non quia specifice mendacia sint, sed materialiter, quia à vera religione dissonant: similiter, ut observent legem Dei, proponunt præmia promissa obedientibus, quamvis, dum eam obser-

ſervant, non habeant ſpecificum & formalem actum obedientiæ, ſed materialem, & analogum, quia in exercitio, dum legem implent, vere eſt obediens, quamvis materialiter. unde, dum quis exercet opus virtutis obedientiæ, formaliter non eſt obediens legi præcipienti abſtinere, ſed eſt abſtinens formaliter, & materialiter obediens, quia ut ait D. Tho. 22. *q.* 110. *art.* 1. *ad* 1. *unumquodque magis judicatur ſecundum id quod eſt in eo formaliter, quam ſecundum id quod eſt in eo materialiter.* Sic ſanctum eſt, & valde utile, quod graſſante lue peſtifera prædicatores tuba inſonent ſalutari, quod qui immoriuntur inſerviendo his infirmis, ſunt martyres coram Deo; non quia verum & ſpecificum martyrium exerceant, ſed quia oppetunt mortem propter Deum ex motivo ſupernaturali ducti, juvandi infirmos ad ſalutem animæ, & corporis: mortem autem oppetere, & vitam parvi pendere ex charitate, martyrium quoddam materiale eſt; ſicut exercere in tali occaſione actum charitatis, obedientia quædam eſt, ſed materialis, non formalis; ita illud martyrium materiale eſt, non formale; quod non advertit pauperrimus Theologiæ Leodegarius, quod magis declaro parte ſequenti.

PARS XII.

An ſit puerilis Logomachia, quæſtio de vero martyrio per peſtem?

Leodegarius Raynaudi libellum ſuum famoſum contra me publicatum, in defenſionem ſui Theophili ſic terminat. *Criminatio de Noviloquio Hæretico, de errore inferendo, de temeritate, de audacia in convellendis terminis, quos poſuerunt Patres noſtri, Theophilo Raynaudo impacta per Thomam Hurtadum Buccaferreum de ſententia ſapientiſſimæ Academiæ Granatenſis, reducitur ad quæſtionem de vocabulo; cui pruriginoſus criminator, & novus circa aliena placita cavillator Hurtadus, unicam juſto anguſtiorem ſubjecit notionem; cum id vocabulum adæquate*

ſpectatum ad plura ſignanda fundatur, quam Hurtado, ad pauca attendens, exiſtimavit. Idem fuit in Gallia judicium Illuſtriſſimi Antiſtitis Matiſconenſis, Ioannis de Lingendes, Theologi præcellentiſſimi, qui ſcripto luculento egregie monſtravit diſtinctionem, quam poſtea conſtitit ab Academia quoque Granatenſi eſſe adhibitam, reducere totam controverſiam de martyrio per peſtem ad litem de vocibus; atque adeo omnem illam controverſiam, quæ de mente Hurtadi fundamenta montium ſus deque everſura erat, ad puerilem logomachiam revolvi. Iterum atque iterum Deo gratias (ſanctus finis, iò, ſalutare, ita extitiſſet. A ſed ultimus terminus Catholicus, principium ab omni vera & ſana doctrina alienum.)

O inſignis & temeraria hominis audacia? *Ægæum tranſmittere incolumis virgultea ſcaphula tentat*, & ad puerilem logomachiam reducit damnationem libelli *de martyrio per peſtem.* Puerilis logomachia eſt quæſtio graviſſima, in qua pro defenſione Raynaudi tot inſudarunt Theologi, etſi incaſſum? Puerilis eſt logomachia negotium, quod tantum negotii fecit duobus ſummis Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X? Puerilis eſt logomachia ea diſputatio, quæ aliquibus annis in Romana Curia imperantibus Eminentiſſimis Cardinalibus Congregationis *de Indice* à doctiſſimis Cenſoribus eſt ventilata, *oleo & lucerna* diſcuſſa, & tamen damnata eſt? Si puerilis eſt logomachia, cur tanta diligentia, tanta vigilantia, tantus favor introductus à Procuratoribus Raynaudi? ſi puerilis eſt logomachia, cur pro Raynaudo in tota Europa tot ſubreptitiæ expiſcatæ ſunt ſubſcriptiones, tot Univerſitates, & Academiæ ſolicitatæ, ut quæſtionem de nomine defendant? *concipere fecit montes* Raynaudus, *& mus ridiculus natus eſt.* Puerilis logomachia, infelix audacia, quæ in miſerum duxit exitum. Pro pueri logomachia tot ſcriptores antiquos, tot Patres, tot Cardinales, tot Antiſtites cumulavit? ſi quæſtio eſt de nomine, quid toto conatu eam defendit? eſt enim omnis de nomine quæſtio inutilis, & ſtulta. & Apoſt. 2. *ad Timoth.* 2. *n.* 23.

præ-

præcepit, *ſtultas, & ſine diſciplina quæſtiones de vita, ſciens quia generant lites:* at quæſtio de nomine & logomachia *ſine diſciplina eſt?* quam, ſi vitaſſet Raynaudus, à tot litibus & laboribus ſe expeditum videret, animo quietum, & liberum à conturbatione linguarum.

Egregie vir ille ſui ſeculi oraculum, Joannes Sarisbarienſis. *lib. 7. Policrati ſive de nugis Curialium cap. 7. Aſpicies* (ait) *ad moderatores Philoſophorum noſtri temporis illos, qui altius præconantur, quos auditorum multitudo conſtrepit, diligenter attende, eos pauculis verbis invenies occupatos, aut, ut multum parvulas quæſtiones aptas jurgiis elegerunt, in quibus ingenium ſuum exercent, & conſumunt ætatem. Eas tamen non ſufficiunt enodare, ſed nodum & totam ambiguitatem cum intricatione ſua per auditores ſuos tranſmittunt poſteris diſſolvendum, ſi differs manu conſerere, ſi paululum moraris, inſiliunt: ſi accedis, ſi tandem invitus congrederis, ſi premis, latebras quærunt, variant faciem, verba diſtorquent, præſtigiis conformant. Lubricum, & volubilem Prothea miraberis rediiſſe, niſi quod teneri facilius poteſt, ſi in eo præſtiteris, ut quocumque verba defluant & volvantur, quid velint intelligas, & quid ſentiant in tanta verborum varietate; & tandem vincientur ſenſu ſuo, & capientur verbo oris ſui. Ea tamen, de quibus maxime diſceptatur, inutiliora, & aliis & aliis viliora ſunt, cum potuerint. Si progrederis, ſi piget in nugis diutius occupari, ad diverticula propoſitæ quæſtionis relabitur, & quaſi ad ſinum matris recurrens more Anthæi, ab eo, in quo genitus, & nutritus eſt, vires reparare contendit, ſic circumit, tot facit amphractus, ut ad uſitata recurrat, ac ſi labyrinthum oporteat circumiri.* Hæc ille: quæ ex ſimplici eorum lectione Leodegario Raynaudi accommodata ſunt; ut enim ſe celebrem faceret, pauculas quæſtiones aptas jurgiis in Eccleſia elegit, in quibus & ingenium, & ætatem ſine fructu conſumit, quas in univerſum mittit ambiguas & ſtreperas; circa quas in amaritudine oppreſſus latebras quærit, & quæſtionem graviſſimam ſub logomachia occultat, ut Romanam fugiat cenſuram, lubricus & volu-

bilis Protheus, qui facile quocumque ejus verba defluant, capitur verbo oris ſui, quantumvis ad diverticula propoſitæ quæſtionis relabatur, circumeat, anfractus faciat; &, ut ad uſum Eccleſiæ circa verum & legitimum martyrium fidei recurrat, labyrinthum conſtruit, à quo vix exire valet, hinc inde ſuiſmet tricis ſeptus: & tandem videns ſe implicatum in rebus, quibus ſane & vere ſatisfacere nequit, ad logomachiam recurrit, inſulſe & ridicule, non ſufficiens enodare quæſtionem de re graviſſima inutilem, & ſine diſciplina facit in nugis & ſtrophis, & puerilitatibus occupatus, & more Anthei ad ſinum Matris, in quo genitus & nutritus eſt, ut vires reparet ſubſcriptionibus ſubreptitiis iterato redire; ſed incaſſum, quia *melior eſt racemus Ephraim, ait* Gloſſa ordinaria, *id eſt capitis Eccleſiæ, vindemiis Abiazar.*

Et quidem quod quæſtio *de Martyrio vero, & proprio per peſtem*, non ſit Logomachica, ſed de re graviſſima, quæ in negativam partem eſt deciſa, & determinata à Sacra Congregatione conſulto Pontifice: ex eo fit evidens, quia Raynaudus adtribuit Martyrio ſuo per peſtem cauſalitatem gratiæ, & peccatorum remiſſionem *ex opere operato*, ultra gratiam correſpondentem charitati ex *opere operantis*; tribuit in præmium veram laureolam Martyrii, ſicut veris Martyribus fidei ſuo ſanguine purpuratis: neutrum affirmari poteſt, cum nullus Catholicorum auſus ſit dicere; & hæc eſt logomachia? Rurſus, *p.4.cap.4. n.7.* Martyrium charitatis præfert Raynaudus Martyrio in cauſa fidei. *Auſim* (ait) *contendere Martyres charitatis illuſtris & expreſſius configurari Chriſto Martyrii Principi; atque adeo, quia per viciniam ad primum in unoquoque genere, quod eſt menſura caterorum, attenditur perfectio quæ eſt ſub eodem genere, conſtare inde poterit, quanta, quamque pretioſa ſit martyrii hujus perfectio.* O iterum atque iterum infrunita audacia? Martyrium noviter adinventum ex proprio *ſine cerebro* capite, illuſtrius & expreſſius imitatur Chriſti Martyrium, quam Martyrium in cauſa fidei; de quo Patres non ceſſant encomia,

comia, laudes & excellentias prosa & versibus decantare.

Sufficiat pro nunc unus Cyprianus, *in lib. de Martyrii laude ad Mosem, & Maximum, & cæteros confessores n.* 1. Sic fans: *Quam ob rem, charissimi fratres, tot tantisque rebus, etsi potentia rei oneratur facultas ingenii, ut quantum se in exprimenda martyrii dignitate protulerit, tanto ipso pondere laudis oppressa, atque æstimatione rerum omnium, de quibus cum maxime loquitur, debilitata ac fracta, intra se ipsa illaqueata oratione deficiat, nec habenis liberis, ac solutis in apertum sermonis eloquium, rem tantæ laudis exprimat; tamen erit aliqua; ni fallor, in eloquendo facultas, quæ ipsius operis oratione munita, large fundat, quod à dicendo impar ingenii conscientia submoveat.* & paulo post. *Considerare utique debetis, quantæ sit gloriæ, vitæ quamlibet maculam, & sordes polluti corporis, & longa vitiorum tabe concreta contagia, tantoque temporis tractu mundi crimen exceptum, unius ictus remediis expiari, quo & augeri merces, & crimen possit excludi. Vnde omnis consummatus status vitæ in Martyrio est collocatus. Hoc fundamentum vitæ & fidei, hoc præsidium salutis, hoc vinculum libertatis & honoris. sed quantumvis sint & alia, per quæ adipisci lux possit, tamen ad proximitatem muneris repromissi panis melius patrocinantibus pervenitur.* & n. 62. *Dominus suo ore testatus est, esse habitacula penes Patrem multa, nihil majus credi in gloria* (Martyrii sanguinis:) *dixerat enim prius meliorem, quæ se intra omnium laudes virginitas immaculata cognoscat, cedat tamen sanguini, summittatur cruori,* &c. satis egregia; quorum plura §. sequenti inducam, ut vel pudeat Leodegario Raynaudi contrarium bucca fætida effutire.

Sed est aliud celebre, & manifestum testimonium Cypriani, *lib. de mortalitate,* ubi agit de lue pestifera, quæ suo tempore grassata est, ubi aliquantulum post medium sic fatur. *Quid deinde aliud; quale est, quam pertinens, quam necessarium, quod pestis ista & lues, quæ horribilis, & feralis videtur, explorat justitias singulorum, & mentes humani*

generis examinat? an infirmis ſerviant ſani, an propinqui cognatos preſſe diligant, an miſereantur ſervorum languentium Domini, an deprecantes ægros non deſerant medici. Vt nihil aliud mortalitas contulerit; hoc Chriſtianis & Dei ſervis plurimum præſtitit, quod Martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem ducimus non timere. exercitia ſunt nobis iſta, non funera; dant animo fortitudines, gloriam, contemptu mortis, præparant ad coronam. Sed forte aliquis opponat, & dicat. Hoc me in præſenti mortalitate contriſtat, quod qui paratus ad confeſſionem fueram, & ad tolerantiam paſſionis, toto me corde, & plena virtute devoveram; Martyrio meo privor, dum morte prævenior. cui objectioni ſic R. S. D. *Primo in loco non eſt in tua poteſtate, ſed in Dei dignatione Martyrium, nec potes te dicere perdidiſſe, quod neſcis an merearis accipere,* &c.

Ex quo claro tanti Martyris teſtimonio duo contra te concludo Leodegari Raynaudi, quæ inficiari nequibis. 1. Quod Martyrium non ſit proprie, & ſpecificè, dum quis immoritur inſerviendo peſte infectis, quia fideles tempore Cypriani fugiebant peſtem, ne Martyrio privarentur; propinqui agnatos, ſani infirmos, domini ſervos, medici ægros, non inſerviebant, non pie diligebant, non miſerabantur, & deſerebant: at ſi oppetitio mortis eſſet verum & proprium Martyrium, non deberent contriſtari, quia Martyrio privarentur, ſi infirmis inſerviendo immorerentur, verum & proprium Martyrium perficerent, eſſentque vere & proprie Martyres. 2. Quia, ſi Martyrium per peſtem illuſtrius eſt, quam Martyrium in cauſa fidei, facillime poſſet Cyprianus reſpondere interrogationi factæ: quod ſi infirmis inſervirent ſani in lue illa crudeli, tantum abeſſet, quod Martyrio privarentur, ut potius illuſtri Martyrio coronarentur; quod non facit S. D. etſi plura encomia dicat de his qui immoriuntur in tali lue, & inſerviunt infectis illa.

Hæc eſt logomachia, Leodegari Raynaudi. certe tu ſumma malitia ſic rem graviſſimam ad ſanam Eccleſiæ doctrinam attinentem nominas, & pſeudologia & vafricie,

cie, ut fugiam aciem gladii, & ſpadæ ictum, logomachiam appellas, diſputationem omni acceptione dignam, ex qua liber de Martyrio tranſivit *per ignem*, nec unquam *educetur in refrigerium*, ſed ſemper graviſſima cenſura uſtus manebit, & ab incendio ſolùm, qui ipſum incendio dedit, liberabit. Bene S. Zeno Veronenſis de tua & ſimilibus doctrinis dixit: *Indefenſa eſt quæ Regum, judicum, divitum, & aliorum deſiderat per momenta, patrocinia adultera, quæ non cognoſcitur quo auctore ſit nata, præſumpta, quæ vult magis novellæ traditioni ſuæ credi, quam antiquitati.*

Hinc procedit (ait quidam Antiquitatis & veræ doctrinæ zelantiſſimus Magiſter) *Tumor in quibuſdam Neotericis, & ſupra cæteros ſapere, & ſupra Antiquos aſſurgere videantur, addita petulantia in abſurdis opinionibus excogitandis* (*ut tu Leodegari Raynaudi excogitas novitatum Architectus, & abſurdarum opinionum fabricator*) *cum juncta audacia infringendi, vel extorquendi rectas ſententias* (ut tu ſimiliter infringis & extorques, eas ſubjiciens tormentis vocum, ut ad logomachiam reducas) *utrum & vitium Euripides eleganter notavit, dicens; petulans lingua turpiſſimus morbus eſt, ludendo opinionibus, vel falſis applaudendo ſententiis* (ut tu ludis onomantia ſuperſtitioſa punctis ſortem mittens, & ex uno puncto arripis occaſionem mutandi judicium, rem de nomine faciens, ut tuæ ſententiæ de nomine ſint, & Nominalibus aggregeris) *& invidioſe & temere tradita, depravando* (ut notionem veri Martyrii depravas, quaſi poteſtatem ſupremam habens ad nominum ſignificationes alterandas.)

Sat eſt in omnibus fere ſtudiis infelix κακοζηλία; multi enim ſunt *thyrſigeri*, pauci tamen *Bacchi*; (etſi tu Leodegari eremitoria Bacchi, ut apparet, multoties viſites) Pervenit in Lesbum Orphei Lyra, hoc eſt Orphei excellens doctrina; filius Principis cogitavit ſe futurum alterum Orpheum, ſi ejuſdem lyra caneret, voluit trahere ad ſe beſtias noctu, & cantavit (ut tu Leologomachus canis, ut nocturna avis) eo canente noctu canes convenerunt,

& eum

& eum dilaniarunt, (ut Eminentiſſimi canes, qui ovile Chriſti defendunt, dilaniant librum tuum.)

Oritur quoque ex eodem fonte (ut ex Theophilino, ex quo tu bibis) totius diſciplinæ perturbatio, infinita vaſtitas inutilium quæſtionum, & argumentorum, ut aliquid additum Priſcis videatur, & quod pejus eſt, contradicendi libido (quæ in te in ſummo gradu extitit, cum & ſententiæ latæ, conſulto ſummo judice Eccleſiæ, contradicas, & ad logomachiam reducas magno dedecore,) ſi quis in novitiolam invehatur paraturam, & ex principatus in nova opinione introducenda, gloriola, incipiunt Doctores λογομάχειν, nec voluntates ſunt ſimiles; illudque malum evenit, quod Thucydides deſcripſit, diſſidentibus opinionibus diſſimilia opera fiunt, fit gradus diſcendi à doctrina Patrum (ut tu diſcedis, & à ſemita eorum exorbitas) implicantur multi, ut ſtudeant factiones inducere (ut tu implicaſti tot Hiſpanos, tot Gallos, Germanos, Italos, Allemannos, Flandros, & curaſti implicare Cardinales, Antiſtites, & omnes aut ſubrepticie, aut ex tuo) *abſcinde*, ſi non vis *criſtas* ſummittere.

§. III.

Theologia veterum Patrum de unici, & veri Martyrii (ſanctorum ſanguine violenter effuſo rubricati) notione vindicatur oſtenſive.

Quamvis tom. 5. meorum operum diffuſe oſtenderim, ſolum eſſe in Eccleſia unicum, verum, proprium, & ſpecificum Martyrium ſanguine ſanctorum violenter effuſo rubricatum, & hoc ſolum eſſe agnitum & vindicatum in Eccleſia Chriſti, quia tamen Leodegarius Raynaudi audacter, & temerarie dicit eſſe antiquam Theologiam, quæ veram notionem Martyrii veri extendit ad aliud Martyrium *charitatis*, quod ipſe ſolus prior hoc ſomniavit, & ad ſomnium verificandum tot folia inutiliter conſumpſit, conturbans omnes fere Europæos, ut ſomnio ſuo fidem darent, non erit abs re multa ex illis Patrum,

Patrum, & Eccleſiæ teſtimoniis, & alia addere in veritatis confirmationem, ut Gallus *criſtam* deponat, jam à congregatione abſciſſam: non enim pudet repetere antidotum, dum iterato redit venenum; &, ut ille alius Trochaice dixit

Centieſque millieſque repetas uſus omnibus.

Et jambice;

Pulchra, atque recta, biſque, terque dicito.

Quare Leodegarii καινολογίαν, in qua pertinax perſeverat, evanidam oſtendam ex duplici Patrum & Doctorum ſerie; in prima ponam eos, qui id expreſſerunt: in ſecunda, eos, qui ad verum Martyrium violentam mortem à tyranno illatam exigunt.

PARS I.

Primum Patrum agmen, & ordo pro unico Martyrio fidei.

Ducat agmen Tertullianus, qui ſemper ad nominum veras, antiquas, & proprias notiones attendebat; ut conſtat ex ejus libris. Hic enim in *Scorpiato cap. 6. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Proprie enim Martyribus nihil jam imputari poteſt, quibus in lavacro ipſa vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem peccatorum, qui Deum diligunt ex totis viribus in iis ſcilicet, qui in Martyrio decertant ex tota anima ſua; quam pro Deo ponit, hominem Martyrem excudit:* non eſt ergo proprium, & verum Martyrium, neque dilectio Dei ex tota anima, & ex totis viribus Martyrem excudit, niſi adſit decertatio & pugna.

Diſcipulus Magiſtrum ſequitur Cyprianus Tertullianum, ille enim (ſi ejus eſt partus, aut gravis Auctoris, qui praxis Eccleſiæ ſatis fuit gnarus) *in libro de duplici Martyrio* (proprio ſcilicet, & improprio atque analogo) conceptis verbis dixit duplici in loco. *n.* 30. ubi ſic: *Cujus Martyrium audebimus conferre cum iis, quæ paſſus eſt Iobus? quod ſiquis diffidit ſermoni noſtro, certe B. Pauli verbis non poterit diffidere; is ſcribens ad Hebræos, orſus ab Abel*

uſque

usque ad Gedeonem ingentem sanctorum catalogum recen-set, in quo plures sunt, qui non defuncti sunt morte violenta. imo pauci sunt, qui sic mortui sunt, & tamen de omnibus pronuntiat. & hi testimonio fidei probati inventi sunt: per-spicue declarans, etiam vita bona peragi Martyrium fidei. Ecclesiæ quidem usus discernit illos, cognominibus Martyres appellans eos, qui violenta morte decesserunt; confessores, qui constanter cruciatibus ac minis mortis professi sunt no-mine Domini Iesu, parati mortem oppetere, vel potius Mar-tyrii supremam coronam ambientes. Apud Deum tamen (nota Raynaudi terminum tuum *de vero Martyrio per pe-stem apud Deum*) *quicumque carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis, quicumque cum Christo vere commortui sunt, eique in baptismo consepulti, ut jam non sibi vivant nec mundo, cui semel mortui sunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est: Martyres sunt, nec Martyrum corona fraudabuntur. Imprimis autem Monachi, qui vere Mona-chi sunt, ac Virgines, qui vere Virgines sunt.* & paulo post. *In summa, quisquis vere Christianus cujuscumque status, aut Ordinis habet certamina sua, habet crucem suam; quam si patienter tollit, si constanter sustinet, testimonio suo glorificat Deum. habet unusquisque fidelium agones suos, habet adversarium diabolum, habet agonothetam Deum, habet theatrum non solum Ecclesia & Angelorum, sed & infidelium.* Et infra: *Hic si quis roget, quo pacto quis possit esse Martyr sine sanguinis effusione? quisquis hoc animo se-quitur justitiam, ut mortem citius admissurus sit, quam velit à justitia deflectere, huic prompta voluntas pro Mar-tyrio deputabitur; Deus enim non æstimat quemquam ex eventu rerum, sed ex affectu*, &c.

Hoc testimonium, etsi incerti Auctoris gravissimi, & doctissimi (cui per omnia conformatur Philippus Abbas, de quo infra) manifestum est contra Raynaudum: etenim sensus Ecclesiæ de notione veri & proprii Martyrii evi-dentissime dignoscitur; dicit enim quod Ecclesiæ Marty-res & confessores diversis cognominis notionibus discer-nit, Martyres appellans eos, qui violenta morte discesse-

runt;

runt; unde qui ſic non immoriuntur, *illis* notio & cognomen Martyris proprie & vere non aptatur. Quod ſi hîc Doctor nomen Martyrii apud Deum extendat ad alios, qui morte violenta illata à tyranno non decedunt; *hæc* extenſio & Martyrii notionis applicatio impropria eſt analoga & tranſlatitia: quod manifeſte apparet, quia inter hos Martyres coram Deo Abraham, Job, Gedeonem, imo & eos, qui veri Monachi ſunt, Virgines qui vere Virgines ſunt, & in his ſtatibus immoriuntur, recenſet; & hi omnes ipſo Raynaudo fatente veri Martyres non ſunt, ſicut nec illi, qui deſiderio moriendi pro Chriſto flagrant. Unde liquet quod ſecundum Martyrium, ſine morte violenta, de quo agit hic auctor, verum non ſit Martyrium, quia ad iſtud ex Eccleſiæ uſu, & primaria notione mortem violentam à tyranno in odium fidei *illatam* exigit & requirit, niſi velit Raynaudus eſſe novarum verarum notionum *architectus*.

Sed accedat verus Cyprianus, *in lib. de laude Martyrii* (hujus enim ſancti Doctoris clarum teſtimonium in libro de mortalitate in peſte ſupra adduxi) quem legitimum Cypriani partum manifeſte oſtendit Jacobus Pamellius, uſque ad miraculum eruditione pollens, in argumento libri. I. S. D. perſcrutans quidditatem Martyrii, quam notio nominis deſignat, ſic fatur. *Quid eſt ergo Martyrium? Delictorum finis, periculi terminus, dux ſalutis, iter patientiæ, Magiſter Domus vitæ, quo profecto etiam ea occidunt, quæ in futuro diſcrimine potuiſſent tormenta reputari. Per hoc & teſtimonium nomini redditur, & majeſtas nominis reampliatur; non quod per ſe ipſa minui poſſit, vel de ſcelere tractantis magnitudo ejus infringi, ſed quod redundet ad gloriæ cumulum.* Et quomodo in vero Martyrio hæc gloriæ redundantia reſultet explicat ſic. *Dum circumſtrepentis populi terror impavidos animos dat dolori & minis frendentis invidiæ, quem Chriſtus hominem voluerit coronare. Tunc ergo omne robur fidei expenditur, tunc crudelitas comprobatur, cum in ſermones vulgi, atque in opprobrium veneris, cumque te contra illas populares*

pulares insanias religiosa mente firmaveris, convincens scilicet, ac repugnans. Et aliquantulum post quidditatem Martyrii sic concludit. *Non enim dubium est quantum à Domino consequantur, qui saluti suæ nomen Dei prætulerunt, ut in illa judicii die, meliores cruor faceret, quos sanguis suus Martyres esse monstraret. Igitur talis & Martyrii primo casus, postmodum fructus est, qui morte vitam condemnat, ut vitam morte custodiat. Quid enim tam eximium atque sublime est, quam inter tot instrumenta devotione robusta cunctam fidei reservare virtutem? Quid tam magnum, atque pulcherrimum, quam inter tot circumstantium gladios libertatis Dominum, ac salutis auctorem repetita sæpius voce profiteri?* hæc ibi. contra quæ quid, Leodegari Raynaudi, obstrepis & murmuras? ad quid, ut infringas violenter tam celebre testimonium, ad antonomasticam acceptionem recurris, ut tuum *fictum verum martyrium per pestem* introducas, quod Cyprianus non solum non agnovit, imo rejecit? ut *lib. de immortalitate*, inservire infirmis contagio infectis, non Martyrium proprium, sed introductionem ad verum Martyrium dixit.

Tertius propugnator veri & unici Martyrii fidei sanctorum sanguine rubricati sit Aug. concione 9. *in Ps.* 118. *testimonia græce Martyria nuncupantur, quo verbo jam utimur pro latino eloquio: unde illos qui pro testimonio Christi diversis passionibus humiliati sunt, & usque ad mortem pro veritate certarunt, non testes, quod latine uti possemus, sed græce utique Martyres appellamus*; unde Ildefonsus de Flore (quem pro se citat Leodegarius Raynaudi) *lib.* 1. *de Inclyto Martyrio, n.* 145. sic fatur: *Etenim illi proprium subiisse Martyrium, & proprie ac rigide esse Christi Martyres, ex prisco Ecclesiæ usu apud omnes recepto censentur, qui non oris modo confessione, sed etiam suo sanguine Christi doctrinam sanciverunt, excipiendo pro eo mortem.*

Quartus sit sanctus Zeno Veron. *serm.* 1. *de Daniele. Martyrii quodammodo pars est, Martyris non horruisse supplicium; quantum enim multiformis crudelitas, lugubris contemplatio retrahit à corona, tantum generosa, ac perfecta*

fecta fides, quique illi fuerit cruciatus ſua complicat vota, cui conſonant. Evodius, *lib.* 2. *epiſt.* 14. *Quot habeat Chriſtus milites, certamen oſtendit*, qui triumpho mereantur, per bella cognoſcitur. Iterum Tertull. *lib. ad Martyres*, ubi egregie dicit ad propoſitum, nullam aliam notionem veri & proprii Martyrii agnoſcens, niſi quum quis in odium Religionis & fidei morte illata à tyranno vitam finit in bello contra ipſum; tot enim & tam præclara in hoc libro dicit pro ſententia quam defendimus, ut mirer poſſe aliquem in contrarium ſcite venire. His omnibus adjungo Ambroſium, ſerm. 77.

S. Gregorius Nazianz. *Orat.* 18. *in laudem S. Cypriani* enumerat, & ad ſummam redigit ea, quæ à S. Cypriano propoſita ſunt, ut fideles ad martyrium exhortaretur, omnino reticens martyrium charitatis, & ſolum referens martyrium in cauſa fidei, dicens. *hanc negotiationem omnium praſtantiſſimam eſſe, qua exigui ſanguinis pretio, cæleſte regnum emitur.* ob has cauſas, *& gladios contemnere, & frigidum ignem, ac feras quantumlibet immanes, & truculentas, mites exiſtimare, & famem pro ſummis delitiis ducere, amicorum autem, & propinquorum lachrymas luctus, ac gemitus, ut Diaboli illecebram, viæque ad Deum ferentis impedimenta præterire, ſuadebat.*

S. Chryſoſt. hom. *in Pſ.* 22. plura dicit de martyrio proprio. *cum martyr decollatur, tunc fit martyr, ſed ex quo propoſitum oſtendit profitendi, martyr eſt; etiamſi non patiatur tormenta, quæ martyres ſolum efficiunt.* Pulchra ſane verba. Martyr enim proprie ideo eſt talis, quia efficitur & fit talis, dum decollatur, occiditur, variis agitur tormentis manu tortoris & tyranni uſque ad mortem; at dum ſolum habet animum, aut oppetit mortem omnino voluntariam à contagio & naturali intemperie ortam, non fit martyr, ſed martyr eſt analogice & improprie, quia ſibi ipſi mortem adſciſcit propter Chriſtū inſerviendo infirmis contagio infectis. Unde egregie dixit *homil.* 1. *in cap.* 2. *epiſt.* 1. *ad Corinth. Martyrii tempus nunquam abeſt, ſed ſemper ob oculos noſtros verſatur; neque enim tan-*

tum in ligno pendere martyrem facit. Neque ad Tribunal Iob adductus est, nec Iudicis vocem audivit, nec carnificem vidit, & tamen multis martyribus acerbiora passus est tormenta; opum amissio martyrii genus est, cum quis earum amissionem perfert animo forti. Ex quibus manifeste liquet, quod dum Patres martyrium vocant, quodcumque genus mortis, etiam *animo forti*, & propter Deum, dummodo non sit violenter illata, improprie & analogicè loquuntur, non juxta veri martyrii propriam notionem, ut Patres & Ecclesiæ sanctæ usus, officium & praxis tenent.

Ex his Chrysostomi verbis efficacissimum sumitur argumentum pro veritate quam propugno. Quia martyrium proprium, non solum respicit pericula mortis, sed est oppetitio ipsius mortis illatæ, in testimonium & protestationem veritatis: unde cum nullus possit directe oppetere mortem, quia hoc esset seipsum occidere, quod nulli licet, ut licere dicebant circumceliones, qui se ipsos præcipitabant propter Deum, ut se Martyres facerent; taliter Samson, & multi sancti martyres se occiderunt. Sanctus P. Aug. & S. Tho. dicunt 22. *q.* 64. *art.* 5. *ad* 4. hoc sibi non fuisse licitum, nisi ex particulari Sancti Spiritus inspiratione interna. Unde solum potest quis ex charitate in proximum oppetere pericula mortis, etiamsi ista sequatur, quod erit per accidẽs. at Martyrium fiat, & seipsum nullus proprie martyrem faciat, directe martyrium proprium est, directa mortis oppetitio ab alio illatæ, quam contemnit propter fidem, in cujus odium infertur, & sic martyrium proprium de sui ratione completur in passione mortis ab alio illatæ, ut egregie S. Tho. 22. *q.* 124. *art.* 4. dixit, quod ad rationem martyrii pertinet, quod aliquis mortem sustineat propter Christum; unde cum passio mortis in martyre sit voluntaria, martyr directe & proprie vult & eligit pati mortem in testimonium fidei, in cujus odium illam infert tyrannus; at qui eligit periculum mortis, quod est inserviendo lue pestifera infectis, non potest eligere mortem ob charitatem fraternam, quia quisque tenetur diligere seipsum magis quam proximum,

mum, cum charitas bene ordinata incipiat à seipsa, quamvis pro inserviendis hujusmodi infirmis possit ingredi mortis periculum: quod si sequatur, mors non est, quia directe opposita, quia hoc solum licet in causa fidei, pro illius defensione & veritate supernaturali tuenda, quam magis debemus diligere quam nos ipsos. Unde aliud est, quod quis eligat mortis proximum periculum & occasionem contagii, quod facit, qui contagiosis inservit tempore pestis, aliud diligere directe mortis passionem, quod solum licet facere martyribus in causa fidei, in cujus odium mors active infertur à tyranno; ob periculum mortis non fit quis proprie martyr, etiamsi per accidens sequatur mors: at ob passionem mortis voluntarie electam, illatam à tyranno proprie est martyr, quia martyr fit, & nullus seipsum proprie martyrem facit, sed sustinet martyrium ab alio in odium fidei illatum. Hoc mihi adeo certum est, ut cæcutiat apertis oculis dormiens Leodegarius Raynaudi, si non videt hanc veritatem.

Concludat agmen Patrum Philippus Abbas, cujus hæc ratio, quam modo dedi. *epist.* 14. *ad Rodulphum.* Hic S. Abbas inquisitus à Rodolpho, ut de martyribus aliquid scriberet, definiens Martyrem & Martyrium: *Martyr* (ait) *verbum græcum est, & latino eloquio testis interpretatur, testis qui aliquid testatur, cujus testimonium verum est, & falsum esse, quod falsum est, affirmatur; & tamen non omnis qui hoc agit, Martyr inter Ecclesiasticos appellatur, sed tantum, qui propter Deum id faceret, & interficiendus illatam mortem perpeti comprobatur.* Ecce Leodegari Raynaudi rationem propositam non à me inventam, sed à S. Abbate contra te traditam.

Et paulo post aliam non minùs efficacem proponit sic. *In martyrio, qui carnem spiritui, futuris præsentia non præponit, qui minas minis, verberibus verbera non reponit, qui occurrente gladio devotam patientiam anteponit, qui urgente adversario, tandem animam suam ponit, iste victor judicio sane sapientum invenitur.* Ecce inepte Leodegari Raynaudi, ubi in ordine ad gladium & adversarium mor-

tem inferentem agnoscit dumtaxat verum & proprium martyrium, ejus notionem & quidditatem agnoscit.

Et infra tertium argumentum proponit sic: *unde constat verum esse, quod ajunt, quia martyrem non pœna facit, sed causa, quia videlicet martyr non est quem petivit gravis occasio, sed cujus passionem sana commendat intentio, qui sibi ullo modo inferre mortem ultimam non præsumit, sed illatam ab alio, tanquam levatis in cælum manibus.* & in fine sic concludit, contra Raynaudum & ejus Apologistem. *qui propter Christum non solum minas & verbera tolerat persequentis, sed consummato cursu manum gravissimam sustinet occidentis, qui, etsi antea Christum non cognoverit, vel pro eo nihil grave pertulerit, si tamen ad ultimum propter ejus testimonium occidatur, nimirum martyr esse cunctorum judicio prædicatur: si tamen è converso prius inventus fuerit, multam Christo detulisse reverentiam, mortem primam, qua transitur ad justitiam, satis gravem & doctrinam pertulisse; ad obtinendam vero retributionem, & æternum beneficium præmii gratioris, tandem quieto fine sine manu transeat occisoris, iste apud homines gloriam & nomen martyrii non assumet, sed quod ita sit apud Deum affirmare temere quis præsumit.* Tu Leodegari Raynaudi, id temere & præsumis & affirmas.

Hujus Patris gravissimum testimonium non viderat Raynaudus, dum opellulam suam *de vero per pestem martyrio* & ejus claritate obcæcatus, quia ego dixeram *Resol.* 37. illud D. Abbatem protulisse *spiritu prophetico* contra Leodegarinam Raynaudi novitatem, ut illam penitus everteret, & ad nihilum reduceret, ludit pueriliter circa *ly spiritu prophetico*, quasi non liceat aliquando exaggeratione loqui, & uti phrasi usitata, dum quis verum dicit, uti dicendo. Progreditur, & *Philippico gladio interemptus*, dicit, quod S. Abbas titubavit circa ea quæ præmiserat, eaque veluti retractasse. O insigne mendacium! quis hoc dixit Grammatistes ferularius? semper S. Abbas ea quæ tradit de vero martyrio, ad quod requiritur mors violenta & occisoris manus, semper sustinuit, & immobilis

in

in eis permanſit, taliter quod *cenſuram temeritatis* inurat, ſi quis affirmet etiam apud Deum eſſe martyrem, qui quieto fine ſine manu tranſeat occiſoris, id autem, in quo ſuſpendit judicium ſuum, ſe remittens ad illos qui majoris intelligentiæ gratiam conſecuti, *in certa & occulta divinæ ſapientiæ ſunt locuti*, (quod & tu debebas facere, & non contumax recalcitrare, adverſus Decretum congregationis Romanæ) eſt, an ille quem Deus gravi morbo & graviſſima vi doloris tranſire facit ad præmium, dicendus ſit martyr, & Raynaudus ipſe expreſſe fatetur proprie non eſſe martyres, etſi aliqui Patres quos ipſe citat *p.* 1. *de Martyrio per peſtem*, Martyres dicant, improprie eſſe locutos adfirmat.

Quod cum planum ſit: dicit Leodegarius Raynaudi in fine *objectionis meæ.* 3. *pag.* 55. *epiſtola Philippi, quam ſemel & iterum ais fuiſſe à Franciſco Sylvio approbatam, nec verbum quidem habet de martyrio; ſed tibi ſolemne eſt proferre ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Mira hominis vafricies, ex uno puncto arrepto totam vituperiorum lineam ducit. Verum eſt quod *epiſt.* 13. quæ ad finem habet ſpecialem approbationem Sylvii, quia de ea erat ſpecialis difficultas an eſſet Philippi Abbatis, non agat de martyrio, tamen ad finem lib. Epiſtolarum Philippi ſic fatur doctiſſimus Sylvius. *iſtas viginti & unam Epiſtolas Philippi cognomento ab Eleemoſyna, Abbatis olim ad monaſterium Bonæ Spei, attente legens, deprehendi non ſolum fidei Catholicæ eſſe conſentaneas, ſed etiam ſolide doctas, ac multæ eruditionis, quæ in veteribus divinarum ſcripturarum accuratiſſimis lectoribus inveniri ſolet, plenas; ut propterea non immerito fuerint hactenus à viris doctis deſideratæ, utiliter ergo imprimentur. actum Duaci* 2. *Novemb.* 1617. quid dicis ad hæc Leodegari Raynaudi? ore fætido & infrunito audes dicere, *quod epiſt.* 14. Abbatis approbata à FranciſcoSylvio, approbata non ſit? leonem imitaris, qui apertis oculis dormit. dormis in hoc ſicut in multis aliis, *& ea quæ ſunt, facis ea quæ non ſunt*, cum evidenter convincaris falſitatis facto ipſo; niſi dum illa verba fœtide protu-

listi, usus sis tua novella restrictione mentali, quam ex vi significationis verborum non attingimus, vel *somno hyemali* aut *trinoctio* hanc solutionem, nugasve excogitasti.

Quid ergo in Ecclesia talia nobis cum Catholicis nugaris? nequaquam (ô bone) Catholicus cum sis, debes fagaris? nequaquam (ô bone) Catholicus cum sis, debes fagaris? nequaquam (ô bone) Catholicus cum sis, debes fag

Pœnas cucurrit fortiter,
Et ſuſtulit viriliter;
Fundenſque pro te ſanguinem,
Æterna dona poſſidet.

Et in Hymno plurimorum Martyrum ad Veſperas:

Hi pro te furias atque minas truces
Calcarunt hominum, ſævaque verbera,
His ceſſit lacerans fortiter ungula
Nec carpſit penetralia.
Cæduntur gladiis more bidentium.
Non murmur reſonat, non querimonia;
Sed corde impavido mens bene conſcia
Conſervat patientiam.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido ſanguine fulgidis,
Cingunt tempora laureis.

Quod ſi in tabulis Eccleſiaſticis S.S. Alexandrinos celebrat, non vocat ſimpliciter martyres, ſed *velut martyres Religioſa piorum fides venerari conſuevit.* Ut ſupra eſt explicatum.

PARS II.

Secundum agmen Patrum, pro eadem antiqua vera martyrii notione tuenda.

Secundus his Patrum Ordo priori eſt ſubordinatus, ex eoque dimanat, aſſerentium ad verum & proprium martyrium (quod in morte violenta, pro nomine Chriſti oppetita conſiſtit,) requiri tyrannum perſecutorem, quo non exiſtente, notio veri & proprii martyrii non ſubſiſtit; ſed analogi & improprii. hoc agmen ex validiſſimis Eccleſiæ Militibus conſtruxi *tom.* 5. *Reſol* 36. *&* 37. ubi eorum ſatis clara verba dedi, quæ ibi videre quiſque poterit. nomina ſanctorum hic dabo. Cyprianus *epiſt.* 56. *ad Tiberitanos*, &, *de exhortatione martyrii ad Fortunatum. lib. de laude martyrii. & lib de duplici Martyrio.* Chryſoſt.

tom. 2. hom. de Adam & Eva. Aug. *ſerm.* 1. *de uno Martyre.* Bernardus *ſerm. de paſſio. Domini.* Cardinalis Damian. *ſerm.* 30. Baſilius *Hom. in* 40. *Martyres*, cujus teſtimonium refert *Anaſtaſ. in Synodo* 2. *Niſſena act.* 4. Nazianz. *orat.* 20. *n.* 14. *& orat.* 10. *n.* 15. ubi Billius & Cretenſis Origenes. *tom.* 28. *in Ioann.* Anaſtaſius *lib. de fuga ſua.* Clemens *Alexand. lib.* 4. *ſtrom.* ubi Herbetus *n.* 50. *pag. mihi* 514. Unde apud Patres, martyrium proprium eſt eſſentialiter teſtimonium Confeſſionis fidei coram tyranno. quod egregie explicat Clemens Alex. *ubi ſupra.* adducens plura teſtimonia Euangelii, ad probandum quod confeſſio fidei coram tyranno ſit de ratione hujus teſtimonii quod eſt martyrium, ut concludat contra Baſilidem non eſſe Martyrium ſupplicium pro criminibus.

His Patribus adduxi Lactantium *lib.* 5. *inſtit. cap.* 23. cujus verba repeto. *Quomodo poteſt imperator militum ſuorum probare virtutem, niſi habuerit hoſtem? Deus autem, quia repugnari non poteſt, ipſe adverſarios nomine ſuo excitat, non quia contra ipſum pugnent, ſed contra milites ſuos, ut fidem ſuam vel probent, vel corroborent.* Non ergo ſine adverſario eſt vera & propria teſtificatio fidei; cui accedit, quod ex hoc principio certo & indubitato colligat Optatus Milevit. qui *lib.* 3. *contra Parmenidem, qui habetur tom.* 4. *Biblioth. veter. P. P.* ſic arguit contra circoncelliones, probans non eſſe veros martyres, contra quos premit locum Iſaiæ 22. *n.* 2. juxta verſionem ſeptuag. Interpret. *Mortui, non mortui in bello. Quare debetis* (inquit) *attendere, ne temerarium ſit eos martyres appellare, qui Chriſtianorum nullum ſenſerunt bellum; non enim tale factum aut dictum eſt, quod in bello Chriſtianorum dici aut fieri ſolitum eſt: quod bellum perſecutio dicitur, quæ operata eſt ſub duabus beſtiis ex illis quatuor, quas Daniel de mari aſcendentes aſpexit. Prima fuit ut leo, hæc erat perſecutio ſub Decio & Valeriano; ſecunda ut urſus, alia perſecutio, quæ fuit ſub Diocletiano & Maximiano. Quo tempore & fuerunt impii judices bellum Chriſtiano nomini infe-*

inferentes. Hæc ille. quibus nihil illuſtrius ad convincendum Leodegarium Raynaudi (qui, ut leo, perſecutionem fecit ſanctis veris Martyribus in cauſa fidei, dum eorum gloriam ſingularem, multis aliis fecit communem.) S. enim iſte ex ratione veri & proprii martyrii probat circumcelliones (qui ſe ultro morti dabant, præcipicio, aut ſuffocationi) quia ait, *temerarium eſt, eos martyres appellare qui Chriſtianorum nullum ſenſerunt bellum, quod bellum per ſe actio dicitur.* Quare, ubi non eſt perſecutio, aut tyrannus debellans, proprie non eſt bellum: obmuteſce Leodegari Raynaudi, agnoſce veram notionem veri & proprii martyrii à Patribus agnitam & traditam.

Quibus adſtipulantur D. Thomas, *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *q.* 2. *&* 22. *q.* 124. *art.* 2. ubi id probat ex Cypriano, *&* *q.* 98. *art.* 12. *in additio.* concludit: *illa eminentia, quæ attenditur ex parte pugnæ eſt eſſentialior laureolæ, quia laureola ſecundum propriam rationem reſpicit victoriam & pugnam.* quod eleganter expreſſit B. Lucifer Calerit. in lib. cujus titulus *quod ſit moriendum pro Dei filio,* ubi eſſentiam proprii martyrii in ordine ad bellum indictum à tyranno definit. quem ſequuntur Rupertus, *lib.* 6. *de operibus S. S. cap.* 3. *&* 14. *&* 15. Prudentius *in Phyſico.* Theodoretus *in cantica cap.* 5. *verſ.* 8. Epiphanius, *lib.* 1. *contra hæreſes cap.* 64. & egregie hoc enodavit Philippus de Eleemoſyna Abbas bonæ ſpei, *epiſt.* 14. Laurentius Juſtinian. *ſerm. om. Sanct.* Ambr. *epiſt.* 17. S. Aſterius, *ſerm. de Sanctis Martyribus.* S. Fulgenrius, *ſerm. de eiſd.* & egregie Abulenſ. 4. *in Math. q.* 20. *ad cap.* 13.

Cui clariſſimæ & illuſtriſſimæ Sanctorum teſtium nubi, & militum veteranæ militiæ fortiſſimorum, Eccleſiæ agminibus, ſe opponit Leodegarius Raynaudi *pag* 42. *n.* 51. ubi ſic fatur. *Quarto loco objectum eſt ad martyrium exigi, ut mors inferatur à tyranno fidei perſecutore, qui certe in hoc negotio non intervenit.* Reſp. *Negando perſecutorem externum, à quo mors inferatur, ſive in odium fidei, ſive in odium alterius virtutis, eſſe de eſſentia martyrii, ut bene notarunt Serarius agens de martyrio Sampſonis, in*

cap.16. Iudicum q.32. Valentia q. 2. de fortitudine punct. 2. Sarrus de Martyribus charitatis. Bogotius lib. 5. demonstrat. disp.7. cap.5. sect.3. Florez de inclyto martyrio n.1261. & 1298. & sane Deus in decernendo suis Agonistis bravio, non tyranni adversarii malignitatem quærit, sed attendit eorum generositatem in Dei causa expositam; ut recte notavit Academia Vilnensis, nec non Pragensis, & Ossunensis, in approbatione conclusionis. Accedit, quod si opus esset assignare persecutorem externum sacris his pugilibus lethiferum, facile assignaretur, quæ illis utique est lues virulenta ægrorum, aut certe Satan, cujus hæc solet esse immissio. Satis ergo est, quod hi sacri Athletæ ita moriantur propter Deum, ut tamen ipsi mortem sibi non inferant, more Biothanatorum, quod cum scelere fieret, & martyrii decus excluderet.

Hac solutione Leodegarius Raynaudi nuperus scriptor *Sexagenarios de ponte dejicit*, quasi deliros & inutiles, ad suffragia in hoc puncto ferenda, & ut egregie Macrobius, *lib. 1. Saturnalium, adimere vult doctis viris in verborum comitiis* (veris notionibus indagandis) *suffragandi, & tanquam sexagenarios majores de ponte dejicere.* hæc ibi. quod cecinit Ovidius in Fastis:

Pars putat, ut juvenes ferrent suffragia soli,
Portibus infirmos præcipitasse senes.

Sic Leodegarius Raynaudi, ut è ponte dejiciat omnem fere Patrum caniciem, aggregat, & falso, quinque juniores, quorum suffragiis plus defert, quam fere omnibus veteribus Patribus, quod sustineri non potest in Ecclesia, quæ semper venerata est Patrum suffragia, quibus postponit quoscumque *novorum nominum architectos.*

Præterquam quod quinque tyrones, quos opponit agminibus veteris disciplinæ, id quod Leodegarius Raynaudi effutit ore fœtido, non dicant. Imprimis Serarius q.32 citata, agens de vero martyrio Sampsonis, contrarium expresse dicit, cum secunda conditione ad verum martyrium requirat, quod testificatio sit maxima, quæ illata morte confirmetur, illatio mortis ab extrinseco provenit,

venit, ut ipſemet fatetur, dicens quod Samſon martyr fuit, ſicut ſancta Pelagia, quæ à tyranno conſtricta timore ſe ipſam in præcipitium dedit. Sic Samſon conſtrictus à tyrannis Philiſtæis, qui eum tyrannice vinculis ligatum habebant, Spiritu Dei actus, ſeipſum & illos occidit. Unde concludit Serarius: *quiſquis in aliquo Dei præcepto exequendo mortem extrinſecus advenientem ſciens volenſque conſtanter oppetit, hic martyr eſt.* At in iis qui immoriuntur inſerviendo peſte infectis, non ab extrinſeco eſt mors illata, ſed ab humorum intemperie, ex aëris contagio dimanante. alias ſi hæc eſt mors extrinſecus illata ſufficiens ad verum martyrium, omnes qui in civitate perſeverant, non timentes mortem, quam pati prudenter deſiderant, nec ejus periculum fugiunt ob motivum ſupernaturale, ut Eccleſiæ non maneant deſertæ, ut non deficiat Eccleſiarum cultus, ut non deficiant eleemoſynæ pro pauperibus, vere eſſent & proprie martyres; quod ridiculum eſt.

P. Ildefonſus de Florez expreſſe eſt contra Leodegarium Raynaudi, ſiquidem *n.* 1298. tranſcripſit ad literam verba Serarii. & *n.* 1261. facit verum & proprium Martyrem Iſaacum; & cum ſibi objeciſſet, quod ibi non fuit perſecutor, qui in odium fidei mortem inferret, ſubdit: *Fateor, ſi ad martyrium preſſe dictum requiratur hujuſmodi perſecutor, Iſaacum non fuiſſe Martyrem, vocis hujus ſeveritate illa retenta; verum id non omnino requiri, probari poterat ex Sanctorum quorundam factis, qui ob intervenientem Dei impulſum, atque Deo ipſo auctore licite ſibi vim intulerunt, in ignes & aquas ſubito inſilientes, antequam perſecutoris manus accederet, ut Chriſtianæ conſtantiæ ſpecimen ederent, nec propterea decore veri martyrii preſſe dicti caruere. Cur igitur Iſaacus non eſt proprie martyr vocitandus? quia non alios à Deo & Patre habuit ſui martyrii auctores.* Hæc ille. & quidquid ſit de veritate doctrinæ, ad minus requirit ad verum martyrium Iſaaci externum occiſorem in ore gladii paterni, qui fuit *Religioſus Carnifex*, qui mortem violentam inferret filio ſuo propter Deum, niſi ab Angelo detineretur. quare nullatenus favet Ray-

Raynaudo Florez, qui *n.* 1279. expreſſe fatetur *eſſe communem ſententiam, quam ipſe ſequitur, quod ad verum & propriumm artyrium requiritur, ut tyrannus mortem inferat in odium fidei inſectando aliquem ob opus ex Chriſti doctrina neceſſarium. Qua ratione S. Tho. Cantuarienſis proprie Martyr habetur, quamvis obtruncatus & cæſus pro ſola tuitione jurium Eccleſiæ. Nomine etiam odii fidei, intelligitur inſectatio ob exercitium operis ex ſe boni, & aliquo modo ad fidem ſive propugnandam, ſive propagandam, ſive illuſtrandam tendentes, lege autem humana iniqua prohibiti.* Hactenus Florez.

Valentia, *tom.* 3. *diſp.* 8. *punct.* 2. expreſſe adverſatur Raynaudo, ponit enim quinque conditiones ad martyrium proprie & preſſe ſumptum: at tértia eſt hæc. *Quod mors non obeatur ex conſequenti, ut quando quis intendit aliquid aliud, & præter ejus intentionem mors ſequitur; nam ob defectum hujus intentionis mors militum in bello, etiamſi propter fidei defenſionem occumbant, minime eſt martyrium.* Quid illuſtrius contra Leodegarium Raynaudi? atqui illi qui occumbunt in obſequium infirmorum ex contagio, non intendunt mortem, ſed ſervitium & miniſterium in corpore & anima infirmorum, etiamſi mors ſequatur, cujus periculum oppetunt propter charitatem, & miſericordiam exercendam in fratres: milites autem, qui occumbunt in bello contra infideles, proprie martyres non ſunt, ut tu ipſe fateris *p.* 2. *de martyrio ſuo n.* 4. & ſententiam Dambouderii *in Chriſtianis paraneſibus admonit.* 7. *n.* 16. *futilem* appellas. Quare S. Antoninum & Bernardum, *ad milites templi*, qui milites cruce ſignatos in bello contra inimicos fidei cæſos martyres improprie appellas. Quare argumento ad hominem ex doctrina Valentiæ te convinco. Ego vero milites, qui ob motivum ſupernaturale, & fidei defenſiones contra illam oppugnantes decertant, veros martyres coram Deo dignos Laureola cenſeo, ut late probavi contra ipſum Raynaudum *tom.* 5. *Reſolut.* 22. §. *quinto* cum S. Thoma & claſſicis auctoribus; iſti enim qui ob fidei defenſionem debellant

lant infideles, qui fidem oppugnant & in illius odium Catholicos impugnant, & occidunt, Catholici, qui sic occumbunt, martyres sunt proprie coram Deo, quia isti occisi nihil aliud intendunt nisi fidei defensionem, & non aliquid aliud temporale: pauci tamen sunt, qui hodie ex hoc motivo bellum contra infideles gerunt.

Addit Valentia. *versic. his quinque. Neque semper est de ratione istiusmodi Martyrii, ut mors sit illata ab alio. Nam quædam etiam fuerunt Sanctæ vere Martyres, quæ ex peculiari Dei instinctu sibi ipsis mortem consciverunt, ut patet ex* Aug. lib. 1. de Civit. cap. 26. ubi ait *earum sanctarum martyria in Ecclesia Catholica veneratione celeberrima frequentari.* hæc ille. ex quibus liquido constat, quod doctissimus vir non excluſit à vero martyrio tyrannum & persecutorem, sed immediatum carnificem, qui immediate & physice, ut sic loquar, mortem inferat, caput amputando, tormentis variis cruciando. hic enim, fateor, quod etsi aliquando non adfuit, at semper adfuit tyrannus persecutor; istas enim sanctas virgines & martyres (quarum plura erudite adfert Leonardus Coqueus. *ad præfatum caput 26. Aug.*) ideo Sancta Ecclesia veras martyres veneratione celeberrima colit, quia etsi non adfuit carnifex, qui mortem inferret, adfuit tyrannus, cujus tyrannidem fugientes, sibi ipsis mortem instinctu Dei inferebant, ut fugerent pudicitiæ insectatores. hæc expressit Aug. *Sed quædam, inquiunt, sancta famina tempore persecutionis, ut insectatores sua pudicitia devitarent, in raptu-rum atque necaturum se flumen projecerunt, eoque modo defuncta sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur.*

Quid ac hæc Leodegari Raynaudi poteris respondere? *consue tibi perizomata ficulnea*, humiliare, & abscondere à voce tonitrui editi ab hac, etsi lucida nube testium, quos satius esset venerari, quam illis spretis falsa citatione tuorum, lectores simplices decipere; cum ex quinque, quos pro te (in hoc puncto, in quo consistit difficultas) citas, tres contra te sunt expresse, duos non vidi; de quibus judico

dico idem, ac tres docere; nam non licet præſumere delictum in eo, quem peccaſſe non ſcio. quare contra te habes omnes fere, qui de martyrio tractarũt, habes omnes Patres, quos, ut par eſt, revereri debes, quorum venerandam doctrinam ſequi non tam electio, quam ſors divinitus data, & omnino amplectenda eſt. Egregie Nazianzenus, *carmin.* 49. *ad Nicolaum Patrem:*

Sors tua doctrina, ſors ſit mihi non ſecus, atque
Lancea ſpartalis, humerus Pelopeïus, ortus
A Pelope, & ſceptrum ad natos à patribus uſque
Manans, Cecropidis veluti depicta cicada;
Eſt etenim natis laudi patrus ora referre.

Aſt ibi plurimum gloriaris in Patrum lectione, tibi laudi non eſt Patrum ora referre.

PARS III.

Severe caſtigatur Leodegarius Raynaudi in eo quod dixit, quod oblatio martyrum charitatis purior ſit, quam oblatio martyrum fidei.

Sed hic obiter eſt advertendum, (ut aliquibus ſtrophis, quibus plenus eſt tuus libellus, ſatis faciam obiter, nec enim omnibus reſpondere ſtudeo, ſed ſolum doctrinam ſanam propugnare) quod, cum probare nitaris martyrium charitatis illuſtrius & expreſſius conformari Chriſto Domino, & per conſequens, quod in ratione martyrii ſit perfectius & excellentius, quam martyrium in cauſa fidei; & quod oblatio, quam de ſeipſis faciunt Martyres *miſericordiæ* ex quibuſdam capitibus videtur perfectior & oblationi Chriſti conformior, quam oblatio martyrum occumbentium in cauſa fidei; hoc facias argumentum. *quia magna pars martyrum fidei ab alio cingitur, ducitur-que quo non vult; fere enim abripiuntur ad mortem, quam, ſi poſſent, refugerent; cum provocatio perſecutoris, per ſe loquendo, magnum ſcandali peccatum contineat, ei nævo adjuncta eſt labes tetrior. Immane, inquam, peccatum peradjuncta eſt labes tetrior. Immane, inquam, peccatum perſecutorum, ſine quo martyrium in cauſa fidei præcluderetur, ſecluſo*

ſecluſo raro eventu erroris invincibilis, quo perſecutor laborat, & quanquam ea macula eſt martyribus innoxia, tamen liquet ab ea opus, cui adjungitur, infuſcari, & muſcarum immorientium more: ſin minus perdi, at infici quodammodo ſuavitatem unguenti. Non enim dubium eſt, quin extenſive purior & nitentior foret oblatio, quæ, nec victima oblata, neque miniſtrorum vel adſtantum labe ulla contaminaretur, tametſi ea inquinatio adjuncta ſit oblationi plane extrinſeca, mereque contaminans. At charitatis martyres, non ab alio, ſed à ſe ipſis liberrime immolantur, poteſtque eorum quilibet illud Chriſti ſuum facere; ego pono animam meam, nemo tollit eam à me. Et, quæ ſumma eſt eorum felicitas, nullum ſacrificio quod perficiunt adjungitur ſcelus, ſed undecumque nitens, & ex omni parte rationabile obſequium Deo offerunt, &c.

Hoc fundamentum Hæreticum eſt. Defendis illud Leodegari Raynaudi? eſt pro illo tota illa congeries rudis, indigeſta moles ſuffragiorum, Doctorum, Univerſitatum; &, ſi Deo placet, Eminentiſſimorum Cardinalium, & Illuſtriſſimorum Antiſtitum. Illudne Patres edocent, aut ſcriptis ſuis jecere? apage! quis Catholicorum hoc dicet? Bene Reverendiſſ. Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum Joanni Baptiſtæ de Marines viſum eſt *peccatum clamans in cælum*. Et quidem hoc argumentum ex pluribus capitulis Hæreticum eſſe conſtat. 1. Quia eo utuntur Flagellantes, qui tempore Gregorii X. teſte Caſtro, de Hæreſibus, *Verbo, Aqua, hæreſi*. 2. Valde percurrerunt Germaniam & Galliam; hi enim ad quadraginta annos, vel circa, ſeipſos flagellando mundum tranſierunt, dicentes, *quod hæc flagellatio potior ſit ad delenda peccata, quam quæcumque confeſſio; imo comparabant ipſam martyrio, vel præferebant, cujus rationem dabant: Quoniam ultro ipſi (ut dicebant) ſanguinem proprium fundebant, martyres vero ab aliis pati cogebantur*. Hæc eſt eadem tua ratio, ut probes oblationem, quam de ſe faciunt martyres charitatis, *ex quibuſdam capitibus*, eſſe perfectiorem, & conformiorem oblatione Chriſti, quam ſit oblatio, quam de ſe faciunt martyres fidei.

2. Quia

2. Quia dicis, quod etsi peccatum persequentium martyres fidei, grande sit, *& illius macula sit ipsis martyribus innoxia, tamen opus martyrii ab ea infuscatur, & muscarum immorientium more, si non perditur, tamen inficitur quodammodo suavitas unguenti.* Hæc verba etiam è suggestu dicta scandalum gravissimum generant, quanto magis dicta in Disputatione Theologica? peccatis persecutorum infuscatur martyrium in causa fidei, ejusque suavitas inficitur? ergò quo majora fuerint tormenta, eo major infuscatio & infectio; quod est contra omnes Patres, & Ecclesiæ praxim, quæ eo majori honore veneratur martyrem, quo plus fuit cruciatus; & quo magis torquetur diversis tormentorum generibus, eo graviora & plura sunt tyranni peccata. Unde S. Leo Papa, *in sermone habito in Natali S. Laurentii: Savisti persecutor, savisti, & auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quum in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii?*

3. Quia si tyrannorum persequentium, & carnificum peccatis oblatio, quam de se facit martyr, infuscatur, & inficitur, ut inficitur *unguentum muscis immorientibus*, ergo oblatio, quam de se fecit Christus in ara crucis, infecta & infuscata fuit Judæorum, & crucifigentium peccato: quod dicere non dubito esse absonum à fide, scandalosum, & piarum aurium offensivum: peccata enim tyrannorum, carnificum & ministrorum mortis, tam Christi, quam martyrum neque extrinsece afficiunt sanctitatem & munditiam oblationis, imo mundiorem & sanctiorem reddunt, & in honorem transeunt triumphalis victoriæ, & victoris gloriam augescunt; tantum abest Leodegari Raynaudi, ut peccata tyrannorum *muscarum immorientium more* oblationem & sacrificium, quod de se facit Christus, inficiant. quis Catholicorum hucusque, imo Hæreticorum ausus est dicere, quod passio Christi fuit infecta peccatis crucifigentium? imo fuit defæcatissima, purissima, mundissima tam intrinsece, quam extrinsece.

4. Quia

4. Quia omnino fætide, & erroneè effutis, dum audacter dicis. *Non dubium est, quin extensive purior & nitentior foret oblatio, quæ nec victimæ oblatæ, neque ministrorum, vel adstantium labe ulla contaminaretur.* Ut inde concludas martyres tuos purius se offerre Deo, quam martyres Ecclesiæ; *illorum enim summa est felicitas* (ais) *quod nullum sacrificio quod perficiunt adjungitur scelus, sed undecumque nitens, & ex omni parte rationabile obsequium.* Quis nisi tu, audax, Matæóloge, hæc posset dicere? Ergo sacrificium, quod fecit Christus non undecumque nitens, & ex omni parte fuit *rationabile obsequium*, & purissima oblatio? Consequentia est manifesta; *quia illi astiterunt principes terræ & convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus: circumdederunt eum vituli multi, aperuerunt super eum os suum, tanquam leo rapiens & rugiens; & deridentes ipsum locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Quæ peccata redderent oblationem & sacrificium Christi *non undequaque nitens*, neque ex omni parte *rationabile obsequium* & *oblationem mundam*. Abeat *in malam rem*, qui talia inania meditatus est.

PARS IV.

Leodegarii Buccafœtidi Raynaudi adducitur sententia de eo, quod dixit, Martyres charitatis illustrius & prestius *configurari Christo, quam Martyres fidei.*

Addo cognomen, Buccafœtidus, ad differentiam alterius Quintini Hedui, qui fuit dux hæresis libertinorum, ut in prima parte hujus Antidoti notavi, & dum video hominem Catholicum tot fœtores, tanquam ex immunda cloaca emittere, ut discriminetur ab altero Heduo, Buccafœtidum nuncupabo. Igitur Raynaudus, (quem Buccafœtidus Leodegarius tuetur) *p. 4. de suo vero martyrio per pestem cap. 4. n. 7.* (cujus verba dedi *supra §. 3. p. 12.* eamque ex Patribus impugnavi; quare hîc solum

lum ſatisfaciam iis, quæ in defenſionem falſitatis Bucca fœtidus iſte, ut ſuum tueatur Raynaudum conglomerat) in primis contra me arguit ad hominem ſic. *pag.* 84. *n.* 2. quæ ibi dicit, per numeros diſtinguam, ut diſtincte impugnentur.

N. 1. dicit: *Ipſe Hurtado decurrens campum eloquentiæ ſuæ in deſcriptione calamitatis Hiſpalenſis, quam præ determinatus ad fugiendum perſpexit à longe, adhibito tubo Batavico, infeliciter æmulatus deſcriptionem calamitatis Lugdunenſis ſobrie ac pie, nec ineleganter à Raynaudo inſtitutam p. 3. operis de martyrio cap. 4. ann. 16. ſic ſcribit pag. 270 colum. 1. ejuſmodi commemoratione, quaſi ſtimulis quibuſdam ad earum rerum ſtudium excitantur, qui audiunt. Ita loquitur Nazianzenus de Machabæis orat. 23. qui paſſi ſunt pro patria, lege, & Deo. Sed, ecce (animadverte ſermonem Hurtado) pluſquam Machabæi (iſti Hiſpalenſes ægrorum curatores ac miniſtri) ecce pluſquam Alexandrini presbyteri, & Diaconi, ecce pluſquam Carthaginienſes Chriſtiani, ecce pluſquam Lugdunenſes Sacerdotes; etſi enim Deo omnes inſervirent, & infirmos juvarent, ſolarentur, & curarent, ſed dubito an tanto fervore & charitatis igne ſuccenſi, ac tanto animarum zelo. Na tu bellus homo es ô Hurtado. Quare dubitas, & quare in ſuſpicionem remiſſionis charitatis ac zeli, quam fuerit tuorum Hiſpalenſium, vocas tot, ac tantos Servos Dei, qui Lugduni, Carthagine, Alexandriæ animas pro Fratribus poſuerunt? & cum ſimpliciter aſſeras tuos Hiſpalenſes plus eſſe omnibus illis, tamen dubitas an alii tuos æquaverint zelo & charitate. Heus tu! ſtandum erat in gradu, non vacillandum, non debueras primum tuos anteferre, poſtea dubitare de zeli & charitatis præcellentia in aliis adæquatione.*

N. 2. *Sed quis ferat* (proſequitur) *cælites vindicatos (cujuſmodi Alexandrini in ſacras tabulas relati) poſthaberi ab Hurtado ſuis Hiſpalenſibus? Quis, inquam, ferat, obſcura adhuc nomina, cum his qui cælo ſunt deſcripta componi, imo præferri? At quis non contineat aures ſuas ad peccatum grande Hurtadi, quis de ſuis miniſtris Hiſpalenſibus*

ait:

ait : ecce plusquam Machabæi isti? Teneo te, os infrunitum. Tu molaribus tuis commandis Theophilum, quia dixit ex uno & altero capite: Martyres charitatis illustrius atque expressius configurari Christo martyrum principi, quam martyres fidei; & tu idipsum explicatissime, & non ex uno aut altero tantum capite sed absolute & simpliciter asseris: Plane asseris. An non enim Machabæi Martyres fuerunt, & quidem Dei? Si negas, Ecclesia tibi os oppilabit. Si ergo Machabæi sunt Martyres pro Religione & fide, & tui Hispalenses ministri, quos nec martyres quidem asseris, sunt plusquam Machabæi in perpessione pro Deo (nam de hoc agebas) qua fronte audes in Theophilo criminari, (& quidem adeo clamose) quod affine quippiam longe temperatius dixerit? non times adagium:

Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum?

N. 3. *At addit aliud quoque cap. configurationis expressionis martyrum charitatis cum Christo dicens: sicut Christus mortuus est in remissionem peccatorum nostrorum, ita Martyres charitatis mori in remissionem peccatorum ab ægris admissorum; juvando, ut redemptio pro eis à Christo appensa applicetur ipsis, si non excedant absque sacramentis, aut debita præparatione ad mortem; qua cooperatione ad salutem proximi destituuntur martyres fidei qui ad summum juvant proximos exemplo bono: quid hic immedicabile? Imo quid non verum & collaudandum?*

N. 4. *At nullus est* (submurmurat Hurtado) *adeo valens stomachus, qui tam crudam prælationem posset concoquere: Ain Hurtado? Næ tu admodum frigidi stomachi es. Prælatio vilioris (demus ita) supra simpliciter dignius potest penes aliquod caput admitti. Qui induxit S. Catharinam Senensem sic affantem Christum confixum cruci:*

Parce hominum superumque Pater, tibi turpia Miles;
Nobiliora mihi vulnera fecit amor.

Num blasphemus fuit, quia stigmata B illius Virginis secundum quid Christi vulneribus ante tulit? Cardinalis Petrus Damiani, quasi noxa impiavit, cum dixit; Assumptionem Sanctæ Dei Genetricis superasse magnificentia

Ascensionem Christi, quod Christus ipse Matris calum subeuntis triumphum honorasset? Resurrectionem nostram S. Aug. serm. 15. de verbis Apostoli cap. 10. mirabiliorem esse ait ipsa Christi resurrectione, quia caro Christi ita resurrexit, ut non viderit prius corruptionem, nostra autem de cinere comparabitur. Num ob eam nostræ resurrectionis prælationem ex illo capite S. Aug. dicendus est intolerabiliter & expugnabiliter locutus?

N. 5. Et paulo post. *Nemo tamen his comparationibus obstrepit, nemo tanquam ad fidei Catholicæ exitum conclamavit. Si quis de ministris Hispalensibus ægrorum ministerio immortuis diceret, eorum mortem faliciorem esse morte martyrum fidei, quatenus hæc cum immani inferentium tyrannide conjuncta fuit, cùm è contrario mors sanctorum pro Deo cadentium contracta lue, nullo peccato inquinetur, non arbitror ab Hurtado esse lapidandum. Imo ex illo ipso capite mors eorundem ministrorum charitatis posset videri beatior ipsius Christi morte; quæ, ut creditus Cyprianus dixit, per scelus scelerum, & peccatum peccatorum est patrata. ludimur, an ludimus, quærentes in his scirpis nodum, & fingentes in plano salebras, cum oratoria exornatione martyrii pugilum charitatis audimus eorum martyrium expressius configurari Christi martyrio, quam martyrum fidei, ex illo dumtaxat capite, quod martyres fidei abducantur, & trahantur ad cruces & mortem, ad quam martyres charitatis occurrunt, nomine urgente, nisi charitate Christi. pro quo ultronei ponunt animas?* Hæc ex Buccafœtido Leodegario Raynaudi, quæ sigillatim, sunt expungenda.

PARS V.

Rigide carpuntur istæ audacissimæ Propositiones Buccafœtidi Leodegarii Raynaudi.

Dum hæc in Leodegario Raynaudi lego, compellor ipsum interrogare solicite, ludone (ut sæpe fit) an serio ista loqueretur; at respondet: minime vero. Nunquam enim joco confingerem, aut loquerer, quæ plurimi

mi redemiſſem, votiſque omnibus expectaviſſem. Tum ſummo ego dolore affectus inquiro. *Sed quinam iſti*, quæſo te, aut unde ſunt, qui talia præſumunt? ut quid, quave ex cauſa, vel ad quem finem reſpicientes, lapides in ſublime jaciunt, telaque in cœlum jaculantur, atque adverſus Deum pacis pugnare contendunt? es ne tu iſte Leodegari, qui talia effutis, & ſerio plane quidem? dum *Laureolam in muſtaceo quæris*, deliras; nullus enim niſi delirus poſſet has bullatas nugas edicere, frivolis & ventoſis verbis uteris, dum deſideras famam magnificam, exoticam captas commendationem, & turgidus tua inani facundia *Pſelliſſas*, adverſus veritatem recalcitras, aculeo veritatis ictus ad cælum conſpuis, ut tuæ fætidæ ſalivæ ſupra te cadant; corrumpis vinum vetus, & novum muſtum utribus includis, quos diſrumpit fervore novitatis ſuæ; & dum re ſimilitudinem & apparentiam ſequeris, veritatem ipſam nunquam expiſcaris; imo, ea miſſa, Eccleſiæ Decretum perſequeris futilibus argumentis, quæ lance fideli ponderanda, ut omnibus conſtet *eſſe minus habentia*, & nihilum ponderis & gravitatis. Gravi Epiſtola te, Leodegari Raynaudi, Doctor Scholaſtice, carpit S. Iſidorus Peluſiota. *lib 3. epiſt. 215. ad Hieronem Scholaſticum. Qui ſermonum artificio veritatem obnubilant, multo mihi miſeriores iis eſſe videntur, qui eam minime perceperunt. Nam qui ob ingenii tarditatem eam haudquaquam aſſecuti ſunt, iis fortaſſe venia tribui poſſet. Qui autem ob mentis acumen eam indagarunt malitioſo autem, ac veteratorio animo ex hominum oculis ſubduxerunt, graviuspeccant, quam ut ipſis ignoſci debeat.* Heus tu bone, perlege epiſtolam, dum ego oſtendo veteratorio animo ea quæ adduxiſti, te ſcripſiſſe. Quæ ſigillatim pondero.

PARS VI.

Ea quæ effutit num. 1. 2. & 3. ponderantur.

Ea quæ ego dixi ornatu rhetorico per δεινολογίαν, & exaggerationem, ipſe Leodegarius Raynaudi in rigore ſcholaſtico dicta (ſicut ipſe dixit) putat, & in me retorquet; triumphum ante victoriam decantans. In panegyrica enim oratione licet aliquando multa dicere, quæ ſi rigore ſcholaſtico penſentur, vera non ſunt. Sic in Panegyrico, dicto ad Maximianum Imperatorem dicitur: *nec Iupiter quidem ipſe tanta celeritate faciem cæli ſui variat, quam facile tu Iupiter, totam prætextam, ſumpto thorace, mutaſti, haſtam poſito ſcipione rapuiſti.* Et innumera ſunt hujus rei exempla apud Poëtas & Oratores Panegyricos. Quidni etiam ſcriptores Catholici hac figura rhetorica paſſim utantur? obviæ enim ſunt in Patribus. Summus enim Pontifex Innocentius VI. in ſerm. panegyrico D. Th. pro themate poſuit: *Ecce plus quam Salomon hic.*

Sic ego, cum Encomiaſtes eſſem Hiſpalenſium miniſtrorum, Gregorii Nazianzeni ſententiam ſecutus, qui de Machabæis, qui pro patria, lege, & Deo paſſi ſunt; quorum encomia refert, ut eorum commemoratione, quaſi ſtimulis quibuſdam ad earum rerum ſtudium excitentur, qui audiunt, miniſtrorum Hiſpalenſium animoſitatem Chriſtianam, & piam impaviditatem contagii, dixi ἐγκωμιαστικῶς *ecce pluſquam Machabæi, ecce pluſquam Alexandrini Presbyteri, &c.* non in martyrio, non in ſanctitate vindicata, ſed in diligentia curandi, & in exemplo, quo quaſi ſtimulis ad ejuſdem diligentiæ ſtudium, qui audiunt excitarentur. Sic etiam Chriſtus, cum de B. Joanne Baptiſta dixiſſet, quod *inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta*, tamen alibi dixit, quod *qui minor eſt in regno cœlorum, major ſit illo*, non in ſanctitate, & gratia, ſed in viſione Dei clara, qua fruitur quilibet (quantumvis minor in ſanctitate) cœlitum, &

hunc

hunc esse sensum meæ locutionis claret ex dubitatione quam subjunxi, dicens. *Sed dubito, an tanto fervore & charitatis igne succensi, an tanto animarum zelo quoad quantitatem*, & intentionis magnitudinem, non quoad securitatem, quam habent sancti vindicati, Machabæi & Alexandrini; & quis me prohibet dubitare, dum vidi in Hispalensibus tot tam extraordinarias demonstrationes, tantam diligentiam in curandis infirmis tam in corpore, quam in anima, ut quisque prudens judicet non fuisse majorem in Alexandrinis, ac fuit in Hispalensibus, sed cum discrimine, quia illi sunt jam vindicati confessores, in Ecclesia, isti nondum.

Ecce jam te teneo Bucca fœtide Leodegari Raynaudi, qui strophis & næniis ludis, ut ludifices innocentes & populares; tu non me tenebis, quia Catholicam & sanam doctrinam teneo, tueor, & propugno. Decretum Romanæ Congregationis veneror, quod tu spernis, & pessundas, ut effrænis equus, quem Ecclesia fræno suo continere nequit. Non vides, quod cum dixi meos Hispalenses infirmorum curatores fuisse *plusquam Machabæos & Alexandrinos*, improprie sum locutus, ut in panegyricis loqui assolemus? at tu in disquisitione Theologica, in qua rigor ita premit in dicendo, ut omnis abesse debeat improprietas, nisi exprimatur: at tu, dum martyrium charitatis ejusque oblationem expressius & illustrius configurari martyrio Christi ibi absolute, & sine restrictione ex uno aut alio capite, hoc constabit legenti te. 4. *p cap.* 4. *n.* 7. ubi non ex uno, aut altero capite, & secundum quid, sed absolute, & simpliciter, dicit Raynaudus, *quod illustrius & expressius configurantur Christo Principi martyrii, Martyres charitatis, quam martyres fidei.* Quod rigore Theologico conatur probare, sed incassum; quia tamen absurditatem assertionis agnovit Leodegarius, ut in Patribus habeat aliquale asylum, dixit non simpliciter feciisse comparationem, sed ex uno vel altero capite. Videas, obsecro, quis alium teneat? an ego te ligatum catena S. Petri, an tu me araneis filis, tu ut disquisitor &

disputator Theologus, qui proprie debet loqui, ego, ut encomiastes Panegyricus, quia exaggeratione & improprie multoties fatur.

Videat prudens Lector, quis fuerit Homerus dormitans, quis imprudens. Suggillator, quis supplantator veritatis. Quis imitetur Paradisi deceptorem serpentem, qui calcaneo insidiatur, non valens amplius lædere, tu quidem qui Vigilantium illum (quem Dormitantium jure dixit Hieronymus) imitaris, dum ad nænias diverteris & calcaneum meum mordes, non valens superius ascendere, quia armis Ecclesiæ sum munitus, falsus & suggillator, & veritatis supplantator dormitans, dum mihi falso imponis, quod prætulerim ministros charitatis martyribus fidei, & hoc non ex minuto aliquo capite, sed ex præcipuo, scilicet ex charitate & zelo pro Deo. O putidum os! O hæreticorum genium proprium, qui ut Catholicos scriptores evertant, & exauthorent; falsiloquia & mendacia illis imponunt apud idiotam plebem. Dic Leodegari Buccafœtide, ubi ego hanc prælationem in charitate & zelo pro Deo feci? ubi in hoc ante posui curatores infirmorum pugilibus & martyribus fidei, ut improprietatem Panegyris meæ pro Hispalensibus ostenderem? subdubitavian Alexandrini & Machabæi exemplum darent moriendi pro Christo; isti, ut veri martyres; illi, ut veri confessores, & diminutive Martyres, tanto fervore & charitatis igne succensi, ac tanto animarum Zelo præstiterint. Hæc est prælatio, hæc est antepositio? falleris Leodegari Raynaudi, utique falleris, bene Publius de tui similibus,

Male facere qui vult, nusquam non causam invenit.
Vera sit an apparens arripiens de capillo, ut feriat.

Meliorem & solidiorem ego contra te causam habeo, cum præferas tuos Martyres charitatis martyribus nostræ fidei (quos ut tales simpliciter & sine addito veneratur & colit S. Mater Ecclesia) non imminuto uno capite; sed in præcipuo, quia, ait, *Martyres charitatis æque ac Christus ponunt lubentes ac volentes, prorsusque ultroneè & à nemine*

mine addicti animas suas ; Christus enim lubens, ac volens posuit animam suam, & nemo ab eo invito sustulit, quod in martyribus charitatis cernitur, non in martyribus fidei, qui præcinguntur ab alio & ducuntur quo non volunt. Obcæcatus & amens dum hæc pronuntias, es, Leodegari, tum quia si verum dicis, præfers martyres tuos martyribus Ecclesiæ in præcipua ratione, quæ ipsos consequi verum martyrium facit, scilicet in voluntaria & ultronea sui oblatione ad illud consequendum : si ergo martyres fidei; non ultronei : si ergo perfectior est ultroneitas & voluntas in iis qui curant infirmos peste infectos, non ex minuto aliquo capite, sed ex præcipuo capite illos in ratione veri martyrii præfers martyribus Ecclesiæ, & fidei. Præterquam quod si hos postponis tuis pseudo-veris martyribus charitatis, ostende nobis in quo martyres fidei simpliciter præcellant (ut præcellere debent) istis tuis pugilibus charitatis; nam juxta te, isti in objecto æquantur, & in modo tendendi isti illos præcellunt : qui modus simpliciter, ut ais, perfectior est, quam modus quo martyres immoriuntur, cum isti ducantur inviti quo non volunt, illi ultronei & libere simpliciter pergunt in mortem.

Sed attende (si vales) ignorantiam tuam, & pauperiem Theologiæ quam habes. Quis te docuit, quod Martyres fidei non ultronei, & perfectissimo modo libero, imo multo magis perfectiori mortem pro tuenda fide & confessione Christi oppetant, quam tui Martyres charitatis? certe quidem si hoc negas, in fidei principiis errás. Certum enim est, & fide sanctum, quod nec votum simplex sit, aut solemne Religiosorum, neque præceptum impositum â Deo, vel ab homine, ut quis aliquid operetur : aufert ab illo omnimodam libertatem & ultroneitatem in operando; imo qui ex voto operatur, perfectiori libertate operatur, & perfectius evadit opus tam in modo ultroneitatis, quam in substantia ; quod egregie agnovit S. Tho. 22. *q.* 88. *art.* 6. quem omnes expositores sequuntur: votum enim immobilem reddit voluntatem in bono; quæ immobilitas non aufert, sed perficit libertatem.

Quare in linea libertatis perfectæ, opus factum ex voto liberius est, perfectiore libertate & ultroneitate, qualem habet Christus, etsi impeccabilis sit ab intrinseco, & cui conformantur Christiani, dum bene operantur. Consule tuos de scientia media Doctores, in quorum schola hoc etiam est certum. Cum ergo martyres fidei lege Christianismi teneantur ad non abjurandam fidem, sed in illius testimonium & attestationem mori, si opus fuerit, (etsi corpore ducantur; quo non vult caro & sanguis, qui naturaliter vitam amant, & mortem naturaliter renuunt, renuit enim Christus dicens & orans Patrem, *transeat à me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*) etiamsi secundum portionem inferiorem, & carnis infirmitatem ducantur quo non volunt, & ab alio præcingantur, hoc nec in pilo obest, quo minus liberrime, & perfectissima libertate mortem subeant; & contrarium dicere est error in fide. Quare dicere, quod perfectiori modo se offerant morti, & quod in eo magis configurentur Christo curatores infirmorum lue infectorum, quia perfectiore libertate se offerunt, quam martyres fidei; ejusdem fidei principiis contrariatur: sicut, siquis dixerit quod Religiosi solemnibus votis adstricti, imperfectiori libertate vota ista adimplent, quam qui sine istis votis operantur. Vota enim propriam voluntatem adimunt, non propriam perfectissimam libertatem, quam retinuit Christus, etiamsi factus sit obediens usque ad mortem, quam ex præcepto sibi impositio oppetivit. Unde perfecta configuratio cum Christo, quem veri Martyres tanquam veri inartyrii Principem imitantur, stat solum in hoc, quod liberrime & perfectissima libertate se offerant ad mortem, etiamsi alias sint obligati ex præcepto illam subire; Christus enim simile habuit ut homo præceptum moriendi à Patre sibi impositum, ut certa sententia tenet. Quare laqueo, quem liberasti, suffocatus es Leodegari Raynaudi. Cætera quæ in his numeris turpiter effudisti, contemno; sunt enim loquacitatis tuæ insignia.

PARS

PARS VII.

Ea quæ obstrepit, numeris aliis *examinantur*.

Pergo ad alia lernæa capita, quibus tum publice, tum clam venenum diffundis. Audis infrunite & licentiose dicere, quod *immorientes inserviendo luepestifera infectis, in hoc configurantur Christo præ fidei veris martyribus; quod sicut Christus mortuus est in remissionem peccatorum nostrorum, ita Martyres charitatis mori in remissionem peccatorum ab ægris admissorum, juvando ut redemptio pro eis à Christo appensa applicetur ipsis, si non excedant absque sacramentis, aut debita præparatione ad mortem: qua cooperatione ad salutem proximi, destituuntur martyres fidei, qui ad summum juvant proximos exemplo bono. Quid hic immedicabile? imo quid non verum & collaudandum?* imo ego addo, quid medicabile? quid non falsum & vituperandum? primo, quia falsitate manifesta sanctos viros extollis, & veros martyres negatione illius falsitatis supprimis, dum in hoc illis hos supponis; & quamvis in veris martyribus neges falsitatem, hoc in te non est laudabile, quia illam ponis in tuis martyribus, ut extollas. Et sicut est summa impietas, Deum falsitate honorare, ita & sanctos falsitate illustres facere. Quis hæc proferret, nisi os putridum Leodegarii implacabilis feræ? Hunc alloquitur Isidorus Peluſiota. *lib* 3. *epist.* 113. *ad Zosimum presbyterum*, de quo dicit. *Effrænatum, januæque expers os habere, & adversus eos, quos minime fas est, impetum facere, nos quoque forsan operam ludimus, qui implacabilem feram monere aggredimur.*

Et vere quidem implacabilis bestia Leodegarius Raynaudi, quem non lenem fecit, placabilem, & summissum, hominum sapientium monitio, sacræ Congregationis Decretum, Summorum Pontificum increpatio, tot naufragia, quæ in multis suis libris est passus, imbonitates doctrinarum, quas prælo dedit, quarum una ista est, & non ex minutis, dum suos martyres extollit, & mar-

martyres Ecclesiæ supprimit ex ridiculo fundamento: quod si efficax est, multo altius verificatur in martyribus fidei: & imprimis inquiro, quid sibi velint illa verba, quod *martyres charitatis moriuntur, sicut Christus in remissionem peccatorum ab ægris admissorum?* an sicut hæc remissio causatur à Christi morte *ex opere operato*, ita ex morte curatorum *ex opere operato* causetur applicatio passionis Christi? hoc dicere erroneum est, quia solum sacramentis, & vero martyrio concessum est, & sacrificio altaris. Quare ex solo *opere operantis* id habent, quia animam ponere pro amicis, est charitatis excellentissimum opus, quod meretur de congruo, ut illis infirmis passio Christi applicetur; at hoc juvamine non carent martyres fidei, sed illo ardentiori, & efficaciori opere & exemplo juvant. Audi Chrysostomum, *epist. ad Episcopos & Presbyteros ob pietatem in carcere inclusos*, quos sic affatur. *Si ergo qui communicant, certant, multo magis qui sustinent. Non enim unam, duas, aut tres, sed longe plures sustinuistis mortes.* Et infra. *Gaudete igitur & exultate, viriles estote, corroboramini, cogitate quot vestro exemplo ad certamina armatis, quantos fluctuabundos confirmatis, quantos spiritus resuscitatis. Nam afflictionibus vestris multum profuturi estis, non solum præsentibus, sed absentibus, nec his solum qui vident, sed & his qui audiunt.* Videsne, si qui persecutionem patiuntur propter justitiam & pietatem, & sunt *martyres designati*, illam patiantur in remissionem peccatorum eorum, quos fluctuabundos confirmant, quorum spiritus resuscitant, suo exemplo multo illustriori, quam tui Martyres charitatis: quamvis, ut verum fatear, mihi non arridet modus tuus iste loquendi, quod *moriantur in remissionem peccatorum* ægrorum, qui immoriuntur, nullus enim catholicus eo usus est, sed soli Christo tribuitur, & nulli alteri. Quare, quia novus & rejiciendus, de veneno suspectus; ne *opus operatum* aliquis additionator nuperus illi tribuat.

Progreditur rugiens Leodegarius Raynaudi, ut vidimus *n* 5. dicens, *quod solum prætulit secundum quid martyres*

tyres ſuos charitatis martyribus fidei; plane (inquit) *licitum eſt, id quod vilius eſt in aliquo præferri ei, quod dignius eſt ratione alicujus circumſtantiæ, aut accidentis, quod in inferiori occurrit, & non in digniori.* Id conſtans eſt, nec negamus Leodegario, cum pervium ſit in Philoſophia, Theologia, & in Patribus, quorum exempla bene ibi ſubminiſtrantur, & ſunt alia innumera. aſt fallit, & *ſub vulpe* loquitur; nam, ut vidimus ex ipſo, non præfert ſuos martyres martyribus Eccleſiæ, prælatione *ſecundum quid*, ſed ſimpliciter & doloſe & vafrè: quam occultam vafriciem manifeſtavit Leodegarius Raynaudi, qui ſic fatur *n ſuo* 104. *pag.* 87.

Quid vero, ſi dixiſſet Raynaudus non ſecundum quid, & ex aliquo dumtaxat capite (quod verum dixit) martyres charitatis expreſſius Protomartyri Chriſto configurari, quam Martyres fidei, ſed ſimpliciter & abſolute dixiſſet martyrium charitatis, ſpectato dumtaxat objecto (quod eſt ubivis præcipuum, & maxime attendendum) præſtare martyrio fidei; quæ tanta eſſet iſta exerratio? Ne contineas aures tuas, bone Hurtade, ad has voces. F de Marinis ne infremas, tanquam ad manifeſtam impietatem S. Dionyſii. Alexand. referente Euſebio. 6. Hiſtor. cap 35. Martyrium, quod quis ſubeat pro conſervatione charitatis, etiamſi non agatur diſpendium fidei, præferendum affirmat ei martyrio, quod quis ſubit propter fidem Chriſti Num S. Dionyſ. quia hoc dixit, blaſphemavit? Num reus eſt mortis S. Chryſtoſt. quia homilia 29. ad Rom. anteponit mille martyribus eum, qui patitur pro charitate? Itaque rem hanc concludo, in qua Baptiſta de Marinis, & Hurtado è muſca fecerunt elephantum, & è feſtuca trabem.

Jamjam ex conceptu Raynaudi obſtetricante manu Leodegarii, eductus eſt coluber tortuoſus, qui venenum, quod occultum retinebat, palam profudit. Ain, Leodegari Raynaudi? quis Catholicus ſtomachus tam crudam, tam impiam, tam inſolentem prælationem ſimpliciter factam Curatorum infirmorum tempore peſtis cum martyribus Eccleſiæ ſufferre, & concoquere valebit, quin

quin evomat, & revomat? quis unquam talem ſententiam protulit? quis non videt hæc eſſe anilia deliramenta, lamiæ turres, pectines ſolis, nænias infantibus inter ſomni difficultates cantillandas? & hoc eſt *diptera loqui*, ut tu in me debaccharis, quia te urgeo: & cum non poſſis niſi ſtrophis agere, prorumpis in verba, armaris garrulitate, fallacias texens, omnibus Patribus tuam præfers opinationem, quod tantarum tragœdiarum & calamitatum extitit occaſio in Eccleſia. Quare liber tuus blaſphemat, & dignus eſt morte per ignem, & ut non educatur in refrigerium, ſed perpetuæ inter Catholicos tradatur oblivioni.

Aperio fallaciam tuam, & oſtendo craſſam tuam ignorantiam Theologiæ (niſi ſupina ſit, ut non acquieſcat veritati) dum aſſeris, quod martyrium charitatis à te inventum ſimpliciter & abſolute ſpectato dumtaxat objecto, quod eſt ubivis præcipuum, & maxime attendendum, præſtat martyrio fidei, eſſeque illo perfectius: Inquiro abs te Leodegari Raynaudi, quod objectum eſt maxime attendendum; hoc enim tuum martyrium, ſi verum & proprium martyrium eſt, eſt actus elicitus à fortitudine, & imperatus à charitate, & do tibi pro nunc, quod martyrium poſſit immediate elici à charitate abſque elicentia fortitudinis ethicæ infuſæ, de quo infra erit tecum conflictus. Eſtne attendendum objectum virtutis elicientis, an imperantis, an utriuſque ſimul? ſi objectum virtutis fortitudinis perfectius eſt in martyribus fidei, cum ſint pericula in bello, & pugna cum hoſte & inimico impugnante veritatem fidei, pro qua contemnitur vita: quod objectum & motivum virtutis elicientis, altius eſt longe in martyribus fidei, qui immediate contemnunt vitam, & immediate oppetunt mortem, ut defendant fidem, & pro illa ferant teſtimonium ſuo ſanguine conſignatum; hoc inquam longe perfectius eſt fortitudinis objectum, quam ſit objectum fortitudinis martyrum *tuorum*, qui nullo oppugnatore & inimico bellum contra fidem aut charitatem gerente ſe offerunt ad curandos infirmos lue infectos,

infectos, fortiter contemnendo mortis pericula; nec enim hæc fortitudo immediate contemnit vitam, aut immediate oppetit mortẽ, ut fidem aut charitatem tueatur; nec, ut illam exerceat, sed solum se committit periculo mortis, ut infirmis succurrat: quod longe inferius est: & uterque actus fortitudinis à charitate imperatur, & refertur ad suum objectum, qui est Deus.

Si tamen tam martyrium fidei, quam *charitatis*, quod introducere conaris, eliciatur immediate à charitate in objecto formali, paria sunt: & sic ratione objecti formalis tuum martyrium charitatis simpliciter & absolute non præstat, & illustrius est martyrio fidei, quod Ecclesia solum celebrat absolute, & sine addito. Si tamen attendamus objecta materialia utriusque, longe exuperat objectum materiale martyrii fidei, objecto martyrii *tuorum* martyrum, ut modo dicebam de actu fortitudinis in martyrio fidei, & actu fortitudinis, quo quis absque Tyranno impugnante se offert cum periculo vitæ, ad inserviendum infirmis peste infectis: isti enim non moriuntur ut curent, sed curant etiamsi adsit periculum proximum mortis; at Martyres fidei moriuntur, ut confirment fidem. Cæcus es, si hoc non vides, Leodegari Raynaudi.

Revenio ad illos duos Patres, quos pro hac tua nupera novitate, & clare effuso veneno perniciosissimæ audaciæ nobis obtrudere tentas, Dionysium dico Alexand. & S. Joannem Chrysost. Prior in loco, quem citas apud Eusebium, *lib. 6. Hist. cap. 35.* nec verbum facit de his, qui pro exercenda charitate immoriuntur: solum agit de Novati ingenio, fastu, & arrogantia, quod fuerit caput & dux Chatarorum, contra quem Concilium Romæ coactum est, sicut contra te Ducem novi martyrii coacta est Romę congregatio, imitatum in hoc callidum, versutum, agrestem, veteratorium Novatum, qui Concilio Romano non acquievit. Hæc sunt & alia similia, quæ lector inveniet, *cap. illo 35. lib. 6. Historiæ Eusebianæ.* & *lib. 7. cap. 17.* quod forsan voluisti citare, nullam facit comparationem, solum dicit, *quod in Alexandria quam plurimi*

mi adeo immenſo quodam charitatis & fraternæ benevolentiæ ardore erant inflammati, ut minime ſuæ parcentes vitæ, ſed ipſi ſibi inter ſe firme adhæreſcentes, eos qui morbo opprimebantur, nulla ſui cura aut cautione adhibita, ſedulo inviſerent, illis inſervirent aſſidue pro viribus, ob Chriſti amorem curarent, & verbum illud, quod vulgo ſemper dicitur, quodque veræ benevolentiæ ſolùm videtur convenire, nimirum ut ſinguli pro amicis abeant è vita, ſeque eorum cauſa (ut ita dicam) rejectamentum efficiant, reipſa expleverunt, adeo ut iſtud mortis genus propter incredibilem pietatem, & robuſtam fidem nihil à martyrii ſplendore abeſſe videretur. Hæc ex Dionyſio apud Euſebium. Ubi, obſecro, inſinuationis verbulum, quo S.P. præferat tuos martyres charitatis martyribus fidei? imo potius horum decorem altiſſimum conſiderans, ut illos, qui immoriuntur ſervientes infirmis iſtis, exaltaret, dicit quod illorum curatorum mors *nihil à martyrii ſplendore abeſſe videretur.* Quis enim dubitare, ſi cordatus eſt, poteſt, quod Martyres fidei, dum oppetunt mortem, & illa conſecrant ſuum pro fide teſtimonium, ex natura rei robuſtiorem fidem, & immenſiorem habent charitatem, quam curatores infectorum? Iſti enim ſolum oppetunt mortis pericula, quæ ſæpiſſime evadunt, illi mortem ipſam ſuſtinent, quam nunquam effugere, ſed patiuntur propter Chriſtum, evidenter oſtendentes ſe contemnere omne temporale propter æternum: iſti ex objecto ſuo mortem ambiunt, illi ex conſequenti oppetunt.

Chryſoſtomum etiam *aranearum telis* ſibi annectit Leodegarius Raynaudi, ſiquidem S D. *Homilia illa 29. ad Rom in expoſitione Morali circa finem* explicans illud Pauli *ad Hebr.* 10. *obedite Ducibus veſtris, nam ipſi vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem daturi* (ita enim legit juxta ſuum exemplar) ſic fatur. *Quando dicit, nam ipſi vigilant, innumeros labores, curas & pericula complectitur. Bonus enim Paſtor, & talis, qualem Chriſtus vult, cum innumeris componi poteſt martyribus; ſiquidem Martyr ſemel propter ipſum moritur, hic vero millies*

propter

propter gregem, ſi modo talis ſit Paſtor, qualem eſſe oportet. Talis enim Paſtor ſingulis diebus mori poteſt. Hactenus os aureum. Sed quid obſecro ad rem de qua agimus. Hoc eſt Sanctos Patres depravare, illorum ſenſus corrumpere, ut ad Patrum umbram novitates introducantur, non ſecus ac hæretici faciunt, ut ſuas tueantur hæreſes, quas palliant ſanctorum verbis male intellectis. Igitur S. D. bonos Paſtores comparat mille martyribus, quantum ad præmium eſſentiale quod promerentur, mille mortibus, quas patiuntur, quia ſingulis diebus mori poſſunt, pro ovibuſque ſuis animam ponere; at non comparat quantum ad præmium accidentale, & laureolam, (non enim *in muſtaceo eam quærit*, ſicut tu everrens totam Europam quæritaſti ſine licentia, *ſine luce, & ſine duce,*) vel dic quod. S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Joannes Chryſoſt. Gregor. Nazianzenus, S. Baſilius & ſimiles, qui ſingulis diebus mori poterant, & mori deſiderabant pro ovibus ſuis, fuerunt veri & proprii Martyres, & præſtantiores martyres, quam S. Stephanus, S. Laurentius, & multi alii. Unde Eccleſia celebrare deberet Paſtores illos, & Epiſcopos animarũ tanquam veros & proprios Martyres. Conſidera Leodegari Raynaudi inſolentem audaciam, qua polles, & revertere ad cor, ut emendes tot errata, quæ effundis.

Inter quæ non eſt illud omittendum blaſphemum abſque dubio verbum, quod dixiſti *pag.* 87. *n.* 103. agens de vana exaltatione *tuorum charitatis* martyrum. *Imo ex illo ipſo capite mors eorundem miniſtrorum charitatis poſſet videri Beatior ipſius Chriſti morte; qua, ut creditus Cyprianus dixit, per ſcelus ſcelerum, & peccatum peccatorum eſt patrata.* Hæc ſunt tua verba fœtida Leodegari Raynaudi. Cui Catholico videri poterit, niſi audaci hæretico, quod mors miniſtrorũ charitatis ſit ex aliquo capite Beatior, quam mors Chriſti Domini, ipſiuſque martyrium? cui tanta eſt congenita temeritas, ut hanc blaſphemiam proferat? quid obfuit? quid infecit? quid infuſcavit peccatum & ſcelus crucifigentium? ut nęvum aliquod vel minimum, aut extrinſecum paſſioni infinitæ, ſanctæ, & oleo divinita-

tis delibutæ impinxerit? quod Deus sit mortuus, nunquid mors infecit aut infuscavit, ex aliquo capite, nævumve posuit Deo ipsi? imo magnum extrinsecum honorem. Quid ergo infuscavit iniquitas Judæorum morti Christi, ut ex hoc capite beatior sit & sanctior mors ministrorum charitatis, morte ipsa salvatoris? si enim nostra Redemptio per mortem Christi nævo & defectu aliquo esset infuscanda, ut ex hoc capite præficienda esset illi mors ministrorum, perfectior esset Christi redemptio & beatior, si non morte illata à Tyrannis Judæis, sed actu charitatis nos redimeret. Apage! quis audebit dicere? Valeas, valeas Leodegari Raynaudi.

Bene de te & tui similibus dixit Pelusiota *lib.* 3 *epist.* 154. *ad Arpoeram Sophistam.* Quorum nihil est, quod *extremam stultitiam & impietatem non redoleat. Atque ita adversus divinam providentiam linguam instruunt, calumque sagittis petunt.* Quid ni? nonne adversus prudentiam divinam, quæ ex vi præsentis Decreti disposuit, quod Christus nos redimeret sanguine suo à Judæis violenter effuso, linguam tuam instruis? nonne cœlum sagittis à te solo fabricatis impetis? dum passionem nævo inficis, malitia occidentium ipsam infuscas, & ex hac parte Limpidiorem, Beatiorem, Innocentiorem facis Curatorum & Martyrum tuorum mortem, quia sine carnificis peccato oppetiram? O quanta ex scandaloso & pias aures offendente effrenato libero dicendi modo in Ecclesia sequuntur absurda! O quam repleta est oplotheca calumniantium hæreticorum, ut contra Catholicos se muniant, & ut nos oppugnent, ex nostris arma desumant? Quis *diptera loquitur*, quis blaterat, & ex aranearum filis telas conficit? tu ipse, ni cæcus sis, judex esto, quia frustra locutus es, vanos sermones jactasti, *meditatus es inania adversus Dominum & adversus Christum ejus*, cujus martyrium ex aliquo capite inferius judicas *Martyrio tuo charitatis*, quod beatius ex aliquo capite morte Christi esse affirmas. Quid ergo? pestis aliquid Religioni addere, *novos* martyres (quorum mors ex parte Christi morte

sit

ſit Beatior) creando, quaſi dogma de martyribus fidei revelatam non ſufficeret, ſed Eccleſia indigeat inſtitutione tua, quæ cum nova ſit, perfici nequit ſine magna reprehenſione Cenſorum fidei, ex quorum ſuffragiis Romana Congregatio *ſancto manifeſtavit eloquio* (loquitur Proſper *lib. contra Collatorem cap.* 14.) *evidenter pronuntians, quantum ſibi iſtius præſumptionis novitas diſpliceret, qua auderent quidam adverſus antiquos Magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationi veritatis obſtrepere.*

PARS VIII.

Mors curantium infirmos lue infectos non cauſat gratiam ex opere operato, *ut temere autumavit Leodegarius ex Raynaudo.*

Iam ſupra vidimus, quam audacter Theophilus Raynaudus dixerit, quod *ſuum novum creatum verum & proprium martyrium charitatis ex opere operato* cauſet gratiam, non ſecus ac martyrium fidei, quod divina inſtitutione, quæ ex traditione Eccleſiæ & Patrum conſtat, hoc habet ſingulare privilegium, ut certa docet ſententia. opinationem leviſſimam Raynaudi tuetur ſuus Leodegarius in *ſuo vulſorio & depilatorio* contra me (ſed confido quod nec *capillus peribit*) *n.* 8. *pag.* 83. ubi ſic fatur. *Alterum Romæ notatum in opere Theophili de Martyrio erat, quod dixiſſet martyrium conferre gratiam ultra opus operantis, atque adeo ex opere operato. Hoc in ſe notare deriſit Theophilus, cum ſit ſententia majoris partis Theologorum, verum martyrium eſſe ad eum modum gratiæ fertile. Ac proinde poteſt aſſeri de martyrio charitatis, ſi eſt martyrium verum, ut ex primæ tetræ notæ deterſione eſt ſuppoſitum.* Hactenus ille.

Belle, Leodegari Renaudi. Deriſit Theophilus hanc graviſſimam notam, *at riſu Sardonio*, & amarulento, deductis dumtaxat labris, cum intus moleſtia diſcrucietur; dentes dumtaxat oſtendens, ſpectans ſuorum pignorum

veſaniam, cittaſque rerum, στροφὰς & πταϱμάτων. Quid aliud eſt hoc figmentum tuum, quam ſtrophas fundere, & blateramenta diffundere in Eccleſia? & cum ſis *ferularius Magiſter*, vis videri novæ doctrinæ architectus; fora, porticus, & totam Europam nova imples Theologia à te ſolo excogitata; *& ita cernimus profanari res divinas, ut omnibus qui de Theologia diſſerere volunt, id liceat ſuopte arbitrio, & ſuffragio* (ait Gregorius *lib.* 11.) *quod imminentis ruinæ Græcæ Monarchiæ fuit.* Quidni? non profanas res divinas, dum tuo arbitrio & ſuffragio diſſeris *de novo martyrio*, cui (ut credo magis *Politice*, ut popularibus morem geras, quam *Theologice*, ut verum doceas) attribuis privilegium, quod ſancti omnes, dum de illo tractant, ſolis martyribus fidei attribuunt, & nullus tuo charitatis agoni; quod verum martyrium confingis.

Imo ex hoc manifeſte conficitur verum & proprium non eſſe; quia Patres, dum martyrio fidei attribuunt, quod ex *opere operato* cauſet gratiam, expreſſe loquuntur de vero & proprio martyrio, quod perficitur morte violenta, ex perſecutione tyranni occaſionata, ut legenti ipſos clare conſtabit. Unde ſic formo argumentum: quod aliqua res cauſet gratiam *ex opere operato*, habet ex Chriſti inſtitutione; Chriſti autem inſtitutio conſtat vel ex ſacra traditione Eccleſiæ, aut Patrum & ſcriptorum communi conſenſu; cum enim inſtitutio hæc dependeat à libertate Dei, hæc nequit nobis prudenter conſtare, niſi uno ex his capitibus; & nobis conſtat, quod martyrium ſanguinis cauſet gratiam *ex opere operato*, quia P. P. communi conſenſu ita adfirmant, quos ſequitur major pars Theologorum; atque Patres & Theologi ante Raynaudum omnes loquuntur de martyrio quod perficitur morte illata à Tyranno. Ergo temerarie & ſine fundamento in Patribus & Theologis aſſeritur, quod mors ſecuta in ſervitute & miniſterio lue infectorum, cauſet gratiam *ex opere operato*, quia non quod ſtatutum eſt in uno, ſtatim ſtatutum eſt in alio; ſunt enim diverſæ actiones diverſo modo teſtificantes fidei veritatem, nam mors in bello illato à Tyranno

in

in odium fidei, est testimonium proprium expressum, datum in contradictorio judicio, & rubricatum proprio sanguine, oppositum ex diametro oppugnationi fidei, quam impugnat Tyrannus; at qui immoriuntur inserviendo lue infectis, non opponunt suum testimonium Tyranno repugnanti fidei nostræ, sed solum in exercitio fidem nostram esse veram protestantur; sicut qui peccat mortaliter, factis negat Deum, & est ei infidelis; non tamen de hoc fert proprium testimonium quod fidem abjuret: unde nec coram Deo proprie est infidelis.

Quare claret, quod mors infirmorum, curationi immorientium non causet gratiam *ex opere operato*, quia hoc tam grande privilegium solum agnoscunt *in iis*, qui fidem profitentur, eam oppugnante Tyranno propter egregiam fortitudinem, quam in bello exercuerunt, oppetentes mori propter defensionem fidei. Qui autem inserviendo contagio infectis immoriuntur, non oppetunt mortem ut inserviant, sed inserviunt cum periculo mortis, ut supra expendebam. Quare non est eadem ratio eis, ac in martyribus fidei, ut mors sicut in istis, ita & in illis causet gratiam *ex opere operato*; ex quo colligitur manifeste, quod mors ministrorum non sit proprium & verum martyrium, sicut est mors martyrum fidei, quæ ex Christi institutione causat gratiam *ex opere operato*, quæ institutio non agnoscitur à Patribus & scholasticis in morte ministrorum tempore contagii.

2. Est aliud evidentissimum argumentum contra insaniam Leodegarii Raynaudi, quod ego proposui in præfata Resol. 42. §. 15. & Raynaudus illud præteriit, non valens illi satisfacere, quia si mors ministrorum, qui inserviunt infirmis, causat ut verum & proprium martyrium gratiam *ex opere operato*, sicut & mors violenter illata à Tyranno in odium fidei, propter cujus defensionem illam martyr oppetit; ergo sicut si mater gravida occidatur in odium fidei, non solum mater est proprie martyr, sed etiam ipse infans in utero materno inclusus, qui baptizatur baptismo sanguinis materni, vere & proprie

martyr eſt, quia ejus mors in infante hoc, & remittit originale, & cauſat gratiam *ex opere operato*, ut tenet ipſe Raynaudus, *q.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. de martyrio, & ego late probavi cum multis & gravibus Doctoribus in opere de martyrio fidei. *Reſol.* 22. ergo ſi mulier in utero habens *robuſta fide*, & *immenſo quodam charitatis ardore accenſa*, & inflammata, non parcens vitæ infantis, quem in utero geſtat, fœminis lue infectis inſerviat, & immoriatur huic miniſterio, infans ipſe etiam martyr proprie & vere eſt, & ejus mors *ex opere operato* remittet Originale, & gratiam producet. Conſequentia eſt evidens, quia hic eſt proprius effectus martyrii proprii; imo ſicut ſi in odium fidei mater verberetur, fuſtibuſque & ſcorpionibus cædatur ex vi quorum abortum facit, ſi ſciat tyrannus gravidam exiſtere (quod libenter do Raynaudo) infans mortuus martyr eſt, ut eſt omnino certum, & videri poteſt exemplum quod ex Sylveſtro adduxi §. *illo* 15. ita, ſi mulier gravida ob labores miniſterii, & ærumnas, fœtores, & alias imbonitates, quas patitur in miniſterio, mors infantis, ſi ſequatur, *ex opere operato* abſterget omnem maculam Originalis peccati. Utraque conſequentia eſt evidens, quia iſta mulier eſt vere & proprie martyr, & ut talis mortem & ærumnas perfert; unde puer eodem privilegio gaudet, ac ſi mater morte violenta deficeret illata in odium fidei. Unde introducis novum remedium contra Originale, quod in lege Euangelica nullus agnovit, peſtem ſcilicet & contagium. Contine linguam Leodegari Raynaudi, ſiſte pedem, vide quo vadas; timeo enim, ne pro tuo ficto vero martyrio, tanquam circuncellio in præcipitium eas.

§. IV.

§. IV.

Propugnantur fundamenta ſapientiſſimorum Cenſorum Romanæ Congregationis Eminentiſſ. Cardinalium de Indice.

Magnus ille Propugnator Raynaudi Leodegarius Buccafœtidus, exhalans putidum oris fœtorem, quo inficiat Sacræ Congreg. Decretum damnationis libelli de *martyrio per peſtem*, ſicut & alterius, *de communione non applicanda mortuis*, qui pariter eſt damnatus (quamvis circa hujus non ita ſollicitus extitit; quia forſan non invenit citius foveam, cum nec ſubſcriptiones Theologorum Europæorum noverat, ſubripere) totus eſt in arietando fundamenta ſapientiſſimorum Cenſorum Romanæ Congregationis, quibus nixi Eminentiſſ. Cardinales ex ſummi Pontificis ſpecifica conſulatione damnarunt contagioſam opellulam *de martyrio per contagium*; ut facilius debellet Decreti auctoritatem: quod, cum ſit *Rhadamantheum*, vinci nequit, nec gratia, nec favoribus, nec muneribus, ſemper invulnerabile perſeverat, & perſeverabit; utpote veriſſimum & juſtiſſimum cum ſit, quantumvis Leodegarius Raynaudi unguibus & dentibus dilacerare intendat. Cecinit contra te Proſper bene proſpere, *in Hymno de Ingratis:*

Adfuit, exhortante Deo, proviſa per orbem
Sanctorum pia cura Patrum, non diſpare motu
Conficiens diros jaculis cæleſtibus hoſtes:
Hiſdem namque ſimul decretis ſpiritus unus
Intonuit, peſtem ſubeuntem prima recîdit
Sedes Roma Petri ——

Cujus judicium in Congregatione publicatum, ut obnubilet Leodegarius, fundamina, quibus nititur, evertere curat.

PARS I.

Propugnaculum 1. *Decreti Apoſtolicæ Congregationis vindicatur.*

Igitur Cenſores Romani, ad quorum deciſivum ſuffragium in Contradictorio judicio allegantibus pro Raynaudo, & meditantibus inania, ſuam damnationis cenſuram fundabant 1. *quia ex doctrina libelli introducentis navum verum martyrium charitatis, ſequitur, quod dentur quatuor baptiſmata, nempe fluminis, flaminis, ſanguinis, & peſtis. In quo argumento magnam vim factam à cenſoribus retulit libri Auctori Eminentiſſimus Card. Spada, Præfectus Congregationibus Indicis.*

Huic ineluctabili argumento (ex omnium fere Theologorum doctrina, ut videre eſt in Magiſtro, & omnibus Scholaſticis *in* 4. *diſt.* 4. D. Tho. & omnibus ejus expoſitoribus 3. *p. q.* 66. *art.* 11. ubi ex Patribus Aug. & Cypriano & gloſſa ordinaria triplex eſſe dumtaxat aſſignatum baptiſma, oſtendit) Reſp. Leodegarius Raynaudi ſic: *Hoc argumentum laborat ignoratione terminorum; Nam Baptiſmus ſanguinis non eſt ille tantum, in quo adacto gladio ſanguis è venis prolicitur; ſed ea vox complectitur omnem mortem violentam pro Chriſto oppetitam. Alioquin is, qui ob Chriſtum intra culcitram ſuffocaretur, dicendus ridicule eſſet ſubire baptiſmum culcitræ, & qui moritur hauſtu veneni abſque effuſione ſanguinis, dicendus eſſet ſubire baptiſmum veneni. Non puduit has nugas objicere?*

Verum quis non videt, hanc ſolutionem veteratoriam & proletariam nullius ponderis eſſe, cum ejus Auctor vim ſummam argumenti non attigerit. Quare ipſam revinco ſui Auctoris verbis. Quia ſi vox, martyrium ſanguinis, complectitur omnem mortem violentam pro Chriſto oppetitam; ut omnes fatentur, quamvis reipſa ſanguis è venis exterius non diffluat: at mors violenta, quæ martyrium ſanguinis facit, illa eſt juxta Eccleſiæ traditionem & Patrum doctrinam, quæ ab extrinſeco Tyranno in

odium

odium fidei infligitur, alias non est proprie mors violenta, siquidem omnes qui in contagio intereunt, mortem violentam sustinerent, quod ridiculum est affirmare, cum occumbant ex naturali aëris intemperie, quam respirando naturaliter attrahunt, & sic dissolvitur intus temperies requisita ad vitam animalis. hanc esse mortem proprie naturalem, etsi acceleratam ex vi malignæ qualitatis in aëre residentis, nullus est qui non agnoscat. Quare, si tu mortem istam ex contagio ortam proprium dicis martyrium, quartum constituis baptisma fluminis, flaminis, mortis violentæ, quæ dicitur baptismus sanguinis, & mortis in contagio pestis, quæ martyrium *per pestem* tu ipse dicis, & omnino distinguis, & præponis martyrio fidei; cum ergo ex te duplex sit, proprium, & verum martyrium, unum *in peste*, alterum in pugna tyranni, duplex erit baptismus, qui duplici alteri, fluminis, & flaminis adjunctis, quatuor baptismata constituet. Obtumesce nugator, quem non puduit impudentem nugam de baptismo *culcitræ*, & de baptismo *veneni* obtrudere, ut simplices seducas.

PARS II.

Vindicatur propugnaculum secundum, ædificatum à Censoribus Romanis.

Quod tale est. *Si quis visurus amicum, quem audivit Neapoli ægrotare, eat Neapolim, & in itinere ruens ex equo moriatur, talem martyrem dicere, esset ridiculum. Huic validissimo argumento his verbis arietem, ut demoliatur, applicat:* Negando *talem esse martyrem; nam visitatio amici, ex mero moralis amicitiæ motivo susceptа, etiamsi mors eam sequatur, inepta est ad martyrium, quod soli supernaturali charitati potest implantari. Quod si amicus visitetur ex charitate supernaturali nec sic mors ob eam visitationem casu obveniens sufficit ad martyrium, ad quod necesse est perdi animam propter Christum, id est, vitam conjici in præsentissimum periculum præmeditatum & ni-*

hilominus alacriter aditum, & hominem in eo occumbere.

Egregie ad rem S. Prosper *in præfatione Responsionum adCapitulaGallorum*, qui frivola objiciebant argumenta, & eis præfecit S. Aug. inanes solutiones adhibebant, non penetrantes vim & energiam, qua eos premebat S. D. sic fatur. *Doctrinam quam Sanctæ mem. Aug. Episcopus* (ego Sancta Congregatio) *contra liberi arbitrii decomptores* (ego contra verum unicum martyrium fidei sanguine effuso rubricatum) *per multos annos Apostolicæ asseruit* (decrevit ex Apostolica potestate) *litteriſque* (decreto solemni) *mandavit: Quibusdam visum est aut intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere, & hoc quasi compendium cognitionis his, quæ judicio eorum ducebantur afferre, ut quæ in libris prædicti viri* (in fundamentis firmissimis Censorum) *damnabilia reperisse jactabant, brevium Capitulorum indiculis prædicarent, talique commento, & detestationem ejus* (eorum) *quem* (quos) *impeterent, obtinerent, & ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis excipiat, & talem putet sensum, in scriptis Catholici,* (Catholicorum Censorum) *inesse Doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotarunt, brevi & absoluta professione respondeo, ut facile vel tenuis diligentiæ advertat inspector, quam injustis opprobriis Catholici prædicatoris* (Catholicorum censorum) *memoria carpatur, & in quod peccatum calumdant, qui aliena instigatione commoti scriptorem* (censores) *celeberrimi nominis promptius habeant culpare, quam nosse.* Ecce Galle Leodegari Raynaudi, tecum & cum tuis Gallis loquitur S. Prosper, qui dum Censorum refers solida fundamenta, eos infamas, & promptius culpas, quam noscas, & injustis carpis opprobriis, & contumeliis, eosque, reprehendis, nolens sanam doctrinam intelligere; vel si intelligis, malitiose impugnas.

Quod constat in responsione hujus argumenti, quod contra te facere sapientissimi Censores, qui de illo, qui

adit

adit Neapolim ex motivo charitatis ſupernaturalis ad inviſendum amicum, ipſumque curandum, vel, ſi mavis, ex ardore charitatis inflammatus, quærens palmam tui ficti veri martyrii *charitatis* ad curandos infirmos, Neapoli peſte infecta, ad eam ſe conferat, & in itinere, aut contagio ſicut cæteri, non eis inſerviendo, aut à latronibus occidatur, aut ex infirmitate non contagioſa, aut alia ſimili morte violenta, aut naturali occumbat; iſte talis vere & proprie martyr Chriſti erit, cum ejus mors occaſionata fuerit ex itinere aſſumpto ad obtinendam palmam tui veri martyrii *charitatis*, quod quidem & abſurdum & temerarium eſt dicere. Hoc eſt argumentum Cenſorum, cujus ſenſum non attigiſti; & ut deteſtationem eorum obtineres, fruſtra calumniaris.

Attende ad hujus argumenti altiſſimam radicem. In martyrio enim fidei ille eſt vere & proprie martyr, qui afflictionem propter Chriſtum illatam patitur. Uſque ad mortem, ſive mors inde ſequatur, ſive non. Audi D. Tho. *in* 4. *diſt.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *q* 2. *ad* 7. ubi ſic fatur. *Sed ſi vulnus non mortale accipiat, & tamen exinde mortem incurrat, non enim iſta negligentia eum ad mortem perduxiſſet, niſi præſuppoſito vulnere, quod pro fide acceptum eſt, & ita vulnus propter Chriſtum ſuſceptum eſt ei plena occaſio mortis. Vnde propter hoc non videtur aureolam amittere, niſi ſit talis negligentia, quæ culpam mortalem inducat, quæ ei & auream aufert & laureolam. Si vero ex vulnere mortali ſuſcepto non moriatur aliquo caſu contingente, veletiam vulnera non mortalia ſuſceperit, & adhuc carcerem ſuſtinens moriatur, adhuc laureolam meretur. Vnde & quorundam ſanctorum martyria celebrantur in Eccleſia, qui in carcere mortui ſunt, verberibus longe ante ſuſceptis, ſicut patet de Marcello Papa. Qualitercumque igitur afflictio propter Chriſtum illata uſque ad mortem continuatur, ſive mors inde ſequatur, ſive non; aliquis martyr efficitur, & laureolam meretur. Si vero non continuetur uſque ad mortem, non propter hoc aliquis dicitur martyr, ſicut patet de Sylveſtre, de quo non ſolemnizat Eccleſia ſicut de martyre,*

quia

quia in pace vitam finivit, quamvis prius aliquas passiones sustinuerit. Hæc ibi; quibus veritas, quam tuentur sapientissimi Censores, oppilavit os tuum fœtidum Leodegari Raynaudi. Vide, obsecro, locum insignem contra te in Cypriano epist. 56. cujus verba do *parte quintâ.*

Si enim propter martyrii tui charitatis laureolam acquirendam, afflictionem suscipit itineris ad Civitatem lue infectam, ut ibi inserviat infirmis, in itinere occumbat, cum hanc afflictionem susceperit propter Christum, & ob immensam in proximos charitatem, sive inde per se sequatur mors, sive per se non sequatur, sed ex accidenti; quia incidit in latrones, vel in infirmitatem aliam, ex qua moriatur, verus martyr efficitur martyrio tuo charitatis; sicut efficeretur verus martyr martyrio sanguinis, ut vidisti ex S. Tho. & erudite prosequitur P. Fr. Petrus de Epiphania Carmeli excalceati cultor, *in vita S. Petri Thomæ Patriarchæ Constantinopol. Illustriss. Martyris* (cujus martyrium egregie propugnat) *advocatum apud Deum contra contagiosam epidemiam, cap.* 30.

Id autem quod Leodegarius dicit, ut hoc efficacissimum effugiat argumentum, nænia est frivola & anilis, quod mors ob visitationem casu obveniens, non sufficit ad martyrium, ad quod necesse est perdi animam propter Christum, id est, vitam conjici in præsentissimum periculum præmeditatum, & nihilominus alacriter aditum, & hominem in eo occumbere. Hoc inquam responsum inane est prorsus & evanidum; nam si ad verum martyrium sanguinis, quod solum absolute, & simpliciter agnoscit Ecclesia, sufficit quod quis vulnus suscipiat, si exinde ex negligentia propria, non mortali, mors sequatur, quia ista ad mortem non perduxisset, nisi prius suscepto vulnere, quod pro fide susceptum est; ita cum hic non arriperet iter ad locum lue infectum, nisi amore charitatis ad proximos juvandos inflammatus, jam ex contemptu periculi mortis, occasionata est illi mors, sicut martyri sanguinis ex vulnere non mortali negligenter medicato, est mors secuta propter Christum; sic propter Christum

quis

quis arripit iter, ut periculo præsentaneo se offerat, quod si, antequam præsens sit, periculo occumbat, sive ex morte violenta, sive naturali, martyr erit verus & proprius; quod & ridicule, & temerarie dicitur.

PARS III.

Defenditur propugnaculum tertium Censorum Romanorum.

Canticorum 4. *versic.* 4. in spiritu loquens de Ecclesia prophetavit Salomon. *Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Id est, ut ait D. Tho. ibi. *Bene collum Ecclesia, id est, Prædicatores & Doctores Turri David comparantur, quia semper quasi in bello sunt pro defensione Ecclesiæ pugnantes, & de propugnaculis jacula procedunt, quibus adversæ potestates repelluntur.* Censores Romanæ Congregationis tot sunt propugnacula ædificata in turri Davidica, id est, Ecclesia; ex quibus contra feram istam Leodegarium Raynaudi, tot *jacula processerunt*, quæ ipsum transfixere, & adhuc semivivus, ea dentibus suis vult infringere; fremit, & contra jaculatores armatur: sed isti arma reassumunt ex turri, in qua sunt ædificati, & ex qua omnis armatura fortium dimanat.

Igitur ipse Leodegarius sic ædificat propugnaculum tertium. *Ex eo quod martyr idem est quod testis, nemo autem se debet ingerere ad testificandum, sed tantum quis legitime testificatur, cum à superiore adigitur: atqui opitulatores ægrorum ferè sunt ultronei, & ad exercitium illud charitatis, cui immoriuntur, non adacti, sed volentes veniunt; igitur non sunt testes legitimi, ideoque neque martyres. sic rationatum memini quemdam Theologum apud S. Andream à Valle in Vrbe.*

Respondeo (ait) *si hoc argumentum esset solidum, probaret omnino multos sanctos martyres, qui se tyrannis ultro ingesserunt, non esse martyres: at S. Zeno effuse celebrat S. Archadium, quod se ultro ad martyrium obtulisset; & idem in*

S. Gor-

S. Gordio collaudat S. Basilius, & in S. Saba Gotto, ac in S. Phoca olitore Metaphrastes: referuntur alii in opere de Martyrio p. 2. cap. 5. an. 18. *Ridiculum sane est veritates Theologicas exigere ad apices juris humani, &c.*

Magis ridiculum est, verum sensum argumenti retorquere, ut ejus efficaciam fugias, utroque pede; à janua enim penitus aberras, nec palpando manibus sensum attigisti. Audi; & enim est, quem subjungo (vide si solutio tua illi aptetur; qui, ut propugnaculum depugnares, super luto tuæ intelligentiæ illud fundasti, cum sit ædificatum in Davidica turri, hoc est in Ecclesiæ sensu & praxi, quam tu evertere nequis) igitur argumenti energia, ut comprehendatur, supponenda est Doctrina S. Gregorii Nazianz. *Orat.* 20. *quæ est in laudem Magni Basilii n.* 14. *quod lex martyrii hæc est, ut nec nos ultro ad certamen accedamus; hac nimirum ratione, tum persecutoribus, tum imbecillioribus athletis consulentes, nec cum præsentes sumus, certamen detrectemus; illud quippe temerarii & præcipitis est animi, hoc timidi & ignavi.* Hactenus Nazianz. quod antea docuerat Origenes. *tom.* 28. *in Ioannem* his præclaris verbis *ad illud Ioann. Iesus autem jam non palam ambulabat. Præclarum est* (inquit) *eum, qui in certamen de Iesu professione descenderit, non recusare confessionem, nec dubitare mori pro veritate. Non tamen hoc minus præclarum est, non dare causam tali periculo; &, ut ita dicam, tentationi, sed omni ratione ei obsistere, non solum quia incertus est nobis ejus eventus, verum etiam, ne causa simus, cur scelestiores sint, majoribus peccatis se contaminando, qui profusionis sanguinis nostri rei fient; si ea quæ in potestate nostra sunt facientes, eos qui vitæ nostræ insidias parant, vitemus, atque fugiamus. Futuri sunt autem in graviori judicio opera nostra, si nosmetipsos amantes, neque illis consulentes, nos morti offeramus, cum ad hoc non præcurrerit necessitas.* Hæc ibi. & *lib.* 1. *contra Celsum*, qui fugam in persecutione, quam docet Christus impugnabat, ait: *vitæ constantia nullo pacto instituit intempestive ac temere adeunda esse pericula.*

Quod

Quod confirmat exemplo Aſ. qui cum ob dogmata quædam ſua Athenis abceſſiſſet Chalcidem, amicis reſpondebat: *Ex Athenis receſſimus, ne cauſam daremus Athenienſibus ſecundo ſcelus committere, quale in Socratem commiſerunt, neve contra philoſophiam iterato pietatis coarguantur.* Hæc omnia erudite adducit Nicetas ibi. cui concordant omnes fere Patres. Athanaſius. *Orat. de fuga ſua.* Ambr. *lib.* 1. *de Officiis. cap.* 38. Aug. *lib.* 1. *de Civit. cap.* 21. & *epiſt.* 180. *ad Honoratum*, & multi alii, quos dedit *tom.* 5. *de Martyrio Reſol.* 12. unde fuga in perſecutione, quum non adeſt neceſſitas, juxta multos Patres, eſt imperata à Chriſto Domino, & ad minus ſecundum fidem eſt licita. Unde liber Tertull. in quo dicit quod nunquam licet Chriſtiano fugere perſecutionem, damnatus eſt ab Eccleſia, ut Hæreticus, teſte Hierony. *de Script. in Tert.* unde Cyprianus Epiſt. 56. non dubitat plene vocare martyres, *qui in fuga occiduntur à fera, vel à latronibus, vel ſuffocantur in mari*, ut notat ibi Pamelius *n.* 17.

Igitur cum lex martyrii & veri teſtimonii in cauſa fidei ſit, ne nos ultro ad certamen accedamus temerarie, & ſine prudentia; quæ, ſi non adſit, fugere debeamus; ne, dum ſumus in certamine vocati, ignaviter, & ſegniter fidem abjuremus. Recte Bernardus *lib.* 1. *de Conſideratione ad Eugenium cap.* 8. dixit. *Fortitudinis matrem eſſe prudentiam, nec fortitudinem, ſed temeritatem quamlibet eſſe, quam non parturivit prudentia.* Hinc D. Tho. 22. *q.* 124. *art.* 1. *ad* 3. *Hoc præcipue conſiderandum eſt in martyrio, quod conſiſtit in debita ſuſtinentia paſſionum injuſte inflictarum. Non autem debet homo occaſionem dare alteri injuſte agendi; ſed ſi alius injuſte egerit, ipſe tolerari debet moderate.* Ecce ubi S. D. legem martyrii explicuit, quam poſuerunt Nazianz. & Origenes notionem, quam veri teſtimonii & martyrii enucleavit contra Raynaudi Leodegarium.

Sed addit S. D. q. *cit. art.* 3. *ad* 1. quod. *eſt aliquis caſus, in quo martyrium perferre, non eſt de neceſſitate ſalutis;*

puta,

puta, cum ex zelo fidei & charitate fraterna multotiens leguntur S. Martyres ſponte ſe obtuliſſe martyrio, non quod ſponte ſe obtulerint, intendendo mortem à tyranno infligendam; hoc enim temeritatis, & animi præcipitis eſſet, & directe dare cauſam periculo; &, ut ita dicam, tentationi, & efficere ut *tyranni ſceleſtiores ſint, & majoribus peccatis ſe contaminent, ſintque in majori judicio opera noſtra, cum nos ipſos amantes, neque illis conſulentes, nos morti offeramus*, ut ajebat Origenes. Quare nulli martyrum licuit morti ſe directe offerre ultro & ſponte; in hoc enim Circumcelionibus adjungerentur, qui etiam ob Chriſtum ſe præcipitio & morti dabant. Quare ideo aliqui ſancti martyres ultroneè & ſpontaneè dicuntur ſe obtuliſſe martyrio, quia ex zelo fidei & charitate fraterna, ex qua judicabant eſſe prudenter neceſſarium, aut prædicare fidem, aut confeſſionem externam fidei facere coram tyranno, ut alii confirmarentur in fide, & animoſitatem illam intrepide confitendi acciperent: in quo ipſi non dabant occaſionem tyranno occidendi, & ſceleſtiorem fieri, ſed ipſe eam aſſumit ex bonis actibus martyris, quos facere intendebat ex zelo fidei confirmandæ, etſi ſciret inſtare periculum mortis ſuſtinendæ propter illud teſtimonium, quod propter Chriſtum ferebat coram tyranno.

Hanc doctrinam egregie docuit Cajet. *in Commentariis art.* 1. *cit.* §. *in eodem*, ubi ſic fatur: *Dubium occurrit de martyribus, qui ſponte ſe martyrio obtulerunt; quoniam videntur dediſſe tyrannis occaſionem injuſte agendi, quum non erat de neceſſitate præcepti ſubire martyrium, ſed poterant ſalva conſcientia ſe non offerre. Ad hoc dicitur, quod Sancti Martyres ſponte procedebant, quum eis expedire videbatur, ad actus fidei exteriores, puta, prædicationem vel confeſſionem, vel ad actus fraternæ charitatis: ut in art.* 3. *Auctor dicit, etiamſi non erant in præcepto hi actus, ſcientes quod inde tyranni ſumerent occaſionem affligendi & occidendi eos, & non procedebant ad provocandum eos ad afflictionem, vel mortem inferendam; & ideo non dabant tyrannis*

rannis occaſionem inveſtigandi, ſed ipſi accipiebant talem occaſionem injuſte agendi, ex bonis actibus, quibus dabant ſponte operam imperterriti ſancti illi, & propterea dicuntur ſponte ſe ad martyrium obtuliſſe. Vnde & de B. Ant. legitur, quod ibat quidem cum martyribus, optans eſſe martyr, & triſtabatur, quod non habebatur martyrio dignus, nunquam tamen provocavit ad ſui mortem Tyrannos. Hoc ibi: quo nihil illuſtrius.

Ex qua doctrina colligitur, quomodo martyres ſe martyrio & Tyranno obtulerint ultronei & voluntarie, clariſſime, ſine recurſu ad disjunctum illud Cardinalis Lugo, quod late impugnavi *Reſol.* 38. §. *unico.* Ubi & antea *Reſol.* 27. explicui S. Martyrem Eulogium, qui *lib.* 1. *Memorial. Sanctorum* acriter exſurgit in quoſdam Epiſcopos Hiſpanos, qui *in pſeudoconcilio Cordubenſi* dixere, non eſſe veros martyres Chriſti, qui ſe ultro offerebant Tyranno; unde S. Martyr Archiepiſcopus Toletanus. *cap.* 16. extollit S. Sebaſtianum, S. Babilam & S. Aulatiam; *Qui omnes* (ait) *nemine urgente palam coram Tyranno comparuere, fidem Chriſtianam profitentes, & proclamantes alta voce ſe Chriſtum adorare.* & *cap.* 20. hujus excellentis martyrii rationem dat: *quia fidei noſtræ confeſſio prædicationem exigit, & teſtimonium poſtulat.* Ex quo rurſus colligebam, *Reſol.* 27. aliud eſſe provocare Tyrannum, ut inferat mortem, aut ad martyrizandum, quod nunquam licet, cum ſit contrarius naturæ, neque exerceri poſſit ſine peccato mortali; aliud ſe offerre martyrio ultroneè & voluntariè, quod licitum eſt; habet enim objectum honeſtum, ut fidei confeſſionem, prædicationem & teſtimonium fidei, abominationem idololatriæ, & hujuſmodi actus per ſe bonos, ex quorum executione martyres agnoſcebant certo moraliter irritatum iri Tyrannum ad inferendam mortem, & hoc non obſtante, quia ſequebatur ex malitia Tyranni, actus illos bonos exercebant, & ſic dicebantur ſponte ſe offerre martyrio.

Ex eadem radice ortum ducebat, quod ſancti abominantes idololatriam, paſſim proſiliebant forti animo ad ido-

la confringenda, templa & fana deorum gentilitatis diruenda, & urenda; ob quæ variis tormentis afflicti occumbebant, ut de S. Eulalia, S.S. V.V. & Martyribus Justa, & Ruffina, Sancto Eupsychio martyr legitur, de quibus Historiæ sunt plenæ, quorum celebrationi non opponitur *Canon.* 60. *Concilii Eliberitani*, qui loquitur de Circumcellionibus, qui ex occisionis desiderio, non ex fidei zelo, hæc faciebant; ut ex Aug. Baronio, Binnio, *Resol. illa* 28. explicabam. Præterquam quod S. Martyres hoc faciebant (ut aiunt Baronius & Binnius) ex *speciali instinctu*, & *divino impulsu* Sancti Spiritus, ut de Samsone dicit S. Aug. *lib.* 1. *de Civit. cap.* 24. quem sequitur D. Thom. 22. *q.* 64. *art.* 5. *ad* 4. dicens, quod *seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, quia latenter hoc Spiritus Sanctus ei jusserat*, quod non incongrue dici potest de his martyribus, qui cum evidenti moraliter scientia se offerebant Tyranno, quod illis Deus *hoc latenter jubebat*, quia in illis circunstantiis fidei nostræ confessio *prædicationem exigit*, & *testimonium postulat*, ut ajebat S. Eulog.

Ex quibus omnibus non iniocunde paulo latius exaratis constat manifesta energia, & fortitudo, propugnaculi hujus ædificii à censoribus Romanis constructi, quod vult quatere & destruere Leodegarius Raynaudi, sed inani molitione, ipsum retorquendo ad terminos juris humani, cum sit ejus fundamentum in *jure divino*, quod inalterabile est. Siquidem verum martyrium est verum testimonium fidei, datum in ejus defensionem in contradictorio judicio cum Tyranno, qui curat fidei abjurationem, quia falsam judicat Religionem Christianam, quam veram esse testificatur Martyr, etiamsi voluntarie se offerat, vel quia Deus illi hoc *jubet latenter*, & fidei nostrę confessio *prædicationem exigit*, & *testimonium postulat*; quorũ primum præstat Martyr, dum voluntarie se offert Tyranno prædicans fidem, & abominans idololatriam, fana destruens, & idola confringens. Secundum vero, dum mortem illatam à Tyranno patitur, cui ea testificatur veram esse Religionem, quam prædicat, & profitetur; unde

coram

coram judice Tyranno, qui cogit abjurare fidem eam esse veram protestatur, etiamsi minis & morte cogat illam abnegare: qua coactione posita, *jure divino* tenetur testificare veritatem fidei, & sic efficitur testis legitimus fidei, quam legitimationem ex jure divino non habent curatores ægrorum lue infectorum; qui solum in exercitio nullo cogente, se voluntarie & ultroneè introducunt ad exercitium charitatis, & sic de facto testificantur illud, non tamen juridico, ex divino mandato, testimonio.

PARS IV.

Defenditur Propugnaculum 4. Qualificatorum Romanæ Congregationis.

Hoc est supra firmam petram ædificatum, *contra quam portæ inferi non prævalebunt.* Et est tale. Ad martyrium exigitur, ut mors inferatur à Tyranno fidei persecutore, qui certe in hoc negotio non intervenit. ad hoc respondet Leodegarius Raynaudi 1. negando persecutorem requiri: pro qua adfert quinque modernos scriptores, quorum tres contrarium expresse dicunt, ut vidimus supra; duos, ut ibi dixi, non vidi.

Addit, ut fucum faciat lectoribus: *Et sane Deus in decernendo suis Agonistis bravio, non Tyranni adversarii malignitatem quærit, sed attendit eorum generositatem in Dei causa expromptam, ut recte notavit Academia Vilnensis, nec non Pragensis, & Ossunensis, in approbatione conclusionis, cui confirmandæ hîc insistimus.* Belle Leodegari Raynaudi; deliras ne, an insanis? dum ad negandum tam celebre in Theologiæ principiis, diverticula quæris, ut fugias à *facie arcus*, qui ex hoc firmissimo propugnaculo sagittas jacit, & spicula? quis dicit quod Deus quærat Tyranni malignitatem, ut Agonistis martyribus bravium & laureolam decernat? non quærit, sed expectat, ut videat generositatem illorum in fidei confessione, & testimonio ferendo, ortam ex iniquitate Tyranni, quam permittit. Non quærit, imo exterminat voluntate bene-

placiti (attendat pauperrimus Theologus) quamvis voluntas signi illam permittat, ob bonum martyrum, quorum violentas passiones illatas voluntarie susceptas amat, & quærit, ut coronet. Numquid, dum Deus decrevit Christum redemptorem, quæsivit Adami peccatum, etiamsi redemptor non esset, nec ut talis gloria & honore esset coronatus, & exaltatus super omne nomen? nisi quia se humiliavit usque ad mortem crucis, quæ non esset sine grandi peccato Judæorum. Nunquid hoc quæsivit Deus? non utique, sed permisit, in decernendo bravio Christo redemptori. idem facit in martyribus fidei, quorum generositatem attendit, & non quærit malignitatem Tyranni, sine qua non splendesceret illa; sicut Christus non mitteret radios Redemptoris, nisi permitteretur peccati tenebra, sic enim facit Deus *de tenebris lumen splendescere.*

Sed non contentus, nec quietus, prædicta solutione, accedit ad. 3. dicens. *Accedit, quod si opus esset assignare persecutorem externum sacris istis pugilibus lethiferum, facile assignaretur, quia illis utique extrinseca est lues virulenta ægrorum; aut certe Satan, cujus hæc solet esse immissio: satis ergo est, quod hi sacri athletha ita moriantur propter Deum, ut tamen ipsi more Biotha natorum sibi non inferant mortem, quod cum scelere fieret, & martyrii decus excluderet.*

Huic solutioni in materia gravissima, & quæ ad dogma pertinet, multa obsunt, quæ in propugnatione aliorum propugnaculorum sunt tacta. 1. quod omnes illi qui non fugiunt civitatem contagio infectam, non ut inserviant infirmis, sed ut ob Christi amorem in Ecclesiis assistant, ibique preces fundant pro infirmis, aut ut cultum deferant Deo in altaris ministerio, aut non desolentur filii, uxor, & alii consanguinei; omnes isti veri & proprii martyres erunt, quia adest motivum charitatis, propter quod contemnitur mortis periculum, & insuper adest Tyrannus, aër contagio crudeli infectus, aut Satan. O magna martyrum inaudita in Ecclesia multitudo!

2. Quia

2. Quia impugnatio Dæmonis per infirmitates mortales non ſat eſt, ad verum & proprium martyrium; alias Job verus & proprius eſſet martyr, quod negat Raynaudus Leodegarii, qui bene aſſerit, quod ad verum martyrium ſufficit, quod vulnus ſit lethale, etſi miraculoſe non ſequatur mors. Rurſus infirmitatum complicatio, quam Dæmon intulit, niſi Deus miraculoſe ſupponeret manum, mortalis ſine remedio humano erat, & tamen non fuit Martyr, quia non adfuit Tyrannus perſecutor.

3. Quia mors ſequuta ex contagio aëris (niſi aliqua cauſa extrinſeca, quæ veneficiis & aliis incantationibus extrinſece adhibitis operatur, ut ſolent ſtrigæ, malefici, & alii hujus farinæ) non eſt violenta proprie, quia dimanat à diſtemperie à corporibus cœleſtibus originata, aut à multitudine cadaverum, quorum fœtore naturaliter corrumpitur aër, quare iſte proprie Tyrannus non eſt, coram quo in contradictorio judicio ut abjuretur fides, ut ipſe intendit; aut teſtificetur ejus verita ſanguin effeuſo rubricato, teſtimonio. Quare ſolutio iſta latebras quærit, & dum proprietatem martyrii ſui charitatis perquirit, aſſignato improprio Tyranno, velit nolit, prolabitur in ejuſdem martyrii improprietatem.

PARS V.

Propugnaculum 5. eorumdem, firmatur & roboratur.

Quod ſic ædificat. *Objectum eſt quinto loco, martyrem non debere obſiſtere mortem inferenti, ſed debere imitari Chriſtum, qui ſicut agnus innocens tonderi ſe paſſus eſt. At miniſtri agrorum alexipharmacis ſe muniunt, & quantum poſſunt, nituntur contra mortem.* Sic conatur deſtruere. *Hoc telum eſt imbelle, & ſine ictu; nam contrapugnatio adverſus cauſam in animam, cujuſmodi eſt lues, non tollit confirmationem cum Chriſto martyrum Principe, qui coram tondentibus obmutuit. Quid, quod nonnulli recentiores habent pro martyribus milites in bello contra fidem cadentes, qui tamen valde contra pugnant?*

quod tametsi fuse excutitur, & rejicitur in opere de martyrio pag. 2. cap. 5. anno. 4. tamen admittitur à Paludano in 4. dist. 49. q. 8. art. 4. concl. 4. & à Dominico Soto ead. dist. q. 5. art. 2. Non est igitur certum, quod contra pugnatio (etiam cum persecutore proprie dicto) excludat verum martyrium. Atque ita proposita objectio evanescit.

Bene Galenus contra quendam medicum, Aphorismos Hippocratis calumniantem, seseque illis opponentem sine intelligentia, refert ex communi celebrata sententia: *Nihil est pertinacius ad contradicendum, quam homo garriculus, qui cum nunquam se fateatur stupiditate & imperitia, semper garrit adversus veritatem, & cum hæc vinci nequeat, obnubilat & obscurat garrulitate sua.* Igitur Leodegarius Raynaudi laborat ἀπεφυθλογίᾳ, nesciens garriendi finem, & dum flores dicendi, & exaltandi martyres suos à se inventos *charitatis*, quos ut tales simpliciter veneratur, *cinerem eorum dispergit*, quia ut Aug. *lib. 2. adversus litteras Petiliani cap. 62.* refert. Donatistas suos, qui sibi ob Christum manus intulissent, in numerum martyrum referebant, & eorum monumenta frequentabant, dicentes eorum animabus impletum esse cœlum, & corporum memoria terræ florebant, *quorum flores cinerem* appellant; S. D. & quidem satis apte, nam martyrium verum noviter creatum igni traditum est ab Ecclesiæ Romanæ Congreg. ex consulto Papæ. Quare flores hujus martyrii *cineres* sunt infructiferi, & marcidi, & flores veri martyrii fidei, semper incorrupti, odorem suavitatis spirantes.

Igitur hujus propugnaculi telum non est imbelle, & sine ictu; sed cuspidem habet valde acutum, ex cujus ictu sanguis Leonis profluat. Sed ipse obcæcationis lorica indutus, non præsensit vulnus insanabile, quod hoc discursu manifestissime liquet. Martyrium proprie est actus fortitudinis ex natura sua (quidquid sit, an mori propter Christum in bello cum Tyranno inito, possit immediate elici à charitate; de quo alibi) ita quod eo naturaliter martyrium elicitur à fortitudine ethica supernaturali, &

impera-

imperatur à charitate, & fide, cujus est testimonium; ut egregie enucleat Thomas 22. *q.* 124. *art.* 2. & *in comment. §. ad hujus difficultatis.* Fortitudo autem ethica elicitiva martyrii, ut Aſ. *lib.* 3. *Ethic. cap.* 9. & ibi S. D. *lectio* 18. *litter.* A. & 22. *q.* 123. *art.* 6. quos sequuntur fere omnes expositores tam ethici, quam Theologi, asserentes quod habet duos actus; unus est *sustinere*, & alter *aggredi*; principalior autem actus fortitudinis est sustinere mortem, quod egregie ex Ae. & rationibus probat S. D. *art.* 6. *cit.* tam *in corp.* quam *in sol. ad* 1. quo remitto lectorem.

Ex qua doctrina, me quidem judice, certa, tale formo argumentum. Martyr proprie est, qui est immobilis in sustinendo mortem propter Christum, cujus fidem testificatur, ejusque testimonium morte & sanguine effuso consignat, ergo si sumit alexipharmaca ut mortem vitet, non est immobilis in principaliori actu fortitudinis, qui est immobiliter *sustinere.* Consequentia videtur manifesta, quia ponit media ad non sustinendam mortem in periculo, ipsamque vitandam; unde absolute non est immobilis in sustinentia mortis, cum ad eam repellendam remediis utatur, & alexipharmacis, quibus repellere intendit mortem, procuratque quantum in se est, eam non sustinere, & eam prævenit, ut non sustineat; & sic clare colligitur, quod solum intendit juvare infirmos, lue infectos motus ex charitate, & impavidus circa pericula mortis; impavidus autem non est idem ac principaliter fortis: unde ex impaviditate non elicitur proprie martyrium, & ad impaviditatem augendam licet uti alexipharmacis.

Objectum autem impaviditatis non esse primum, & proprium objectum fortitudinis (etsi fortis ad illam bene se habeat, ut dicit S. Thom. 22. *q.* 123. *art.* 5.) rationem egregiam dedit D. Cajet. *ibi. §. in eodem art.* cujus verba iterato referre non gravabor, quia concludunt intentum contra quemcumque, si contumax & obcœcatus non sit. Sic enim loquitur eminentissimus: *Nota quod quum Aſ.* 3. *ethicor. posuit fortes principaliter respicere pericula maxima, & optima, qualia sunt bellica, & secundario*

bene quocumque se habere circa quacunque alia mortis, quia impavidus existet. Auctor hunc secundarium actum extendit & traxit ipsum ad majorem, ob proximitatem ad principalem, ostendens in eo tum inveniri rationem boni, ex intentione operantis, dum scilicet aliquis propter virtutem subit periculum pestiferæ infectionis, ac per hoc periculum mortis per ægritudinem, vel navigare, & sic periculum mortis in tempestatibus, vel itinerari in locis, ubi non sine latronum metu itur. Impavidum siquidem esse in hujusmodi periculis, quacunque occasione inveniat se in his homo; spectat siquidem secundario ad fortem; ut dicitur 3. ethico. Sed impavidum esse in eisdem propter aggressum opus virtutis multo propinquius, spectat ad fortem. Quoniam hujusmodi pericula mortis sunt etiam bona, quia propter bonum virtutis; deficiunt tamen à principali materia fortitudinis, quia mala hujusmodi (adverte Leodegari Raynaudi) *non directe, & per se tendunt ad bonum virtutis, quia non ideo imminent; ut virtutem destruant; sed tantummodo imminerent; si quacumque ex causa illic homo inveniretur. Fortitudo enim circa maxima, & directa optima, est circa pericula, quæ scilicet directe tendunt contra optima, hoc est virtutes.* Ita ibi. Ex quibus clare & dilucide (quidquid Leodegarius Raynaudi rugiat) probatur veritas in Ecclesia semper recepta, quod martyrium proprie dictum sit solum, quo quis fortiter propter veritatem supernaturalem directe oppugnatam, mortem oppetit, quod fuse persecutus sum. *tom. 5. Resol. 6.*

Ex quibus ad præsens deducitur, quod aliud est impavidum esse, aliud fortem esse; cum enim fortitudinis primarius & proprius actus consistat in *sustinere* tristitiam & mortem, illi immediate repugnat contrapugnatio externa, quæ evertat illam sustinentiam. Unde forti ut sic, primario considerato repugnat, uti remediis ad vitandam sustinentiam voluntariam, & sic proprie martyres *cædunt*ur more bidentium, *non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito conservant patientiam*, sed solum dant testimonium fidei, quod opponitur Tyranno. Ast impavi-

impaviditas, cum ſecundario pertineat ad fortitudinem, & non excludit remedia contra mortem, ſicut nec contrapugnationem, ei qui mortem infert, aggredi enim pertinet ad fortitudinem, ſecundum quod iram moderatur, ſed illam ratione correctam includit; unde curatores infirmorum impavidi quidem ſunt, & ita alexipharmacis contra mortem uti poſſunt, quia fortiter ejus pericula aggrediuntur, at non ſunt primario fortes, quia contra mortem ſuſtinendam voluntarie ſe muniunt, non enim in illis mortis ſuſtinentia eſt ſimpliciter, & primario voluntaria, ſed ex conſequenti, & ſecundario, cum remedia apponant ut mors non ſequatur, & in hoc conſiſtit ineluctabilitas *hujus propugnaculi quinti*, quod cenſores Romani in turri Davidica ædificarunt.

Id, quo illud impugnat Raynaudi (quod verius eſt imbellę & ſine ictu) de militibus, qui in bello contra infideles, qui odio in fidem, eam impugnant; pro quo citat Paludanum, & Sotum, & plures alios poſſet, quos ego adduco & ſequor *Reſol.* 32. §. 5. Sed ipſe pauperculus Theologus ſententiam non intellexit, & ſuomet, ſine cerebro, judicio eſt obcæcatus. Milites enim qui ſtipendii militaris, aut prædarum intuitu, aut aliqua alia intentione, vel prava, vel ad bonum dumtaxat humanum expectante debellant, etiam contra infideles, qui in odium fidei contra fideles inſurgunt, non ſunt proprie martyres, ſed illi (ut ait D. Thom. *in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3.*) *qui propter bonum commune, non relatum ad Chriſtum, mortem ſuſtinent, laureolam non merentur, ſed ſi hoc referatur ad Chriſtum, laureolam merebuntur, & martyres erunt, utpote, ſi Rempubl. defendant ab hoſtium impugnatione, qui fidem Chriſti corrumpere moliuntur, & in tali defenſione mortem ſuſtineant.* Hæc ibi.

Ut autem hæc doctrina (quæ celebris eſt inter Doctores antiquos & primarios, contra quam ſe oppoſuit Raynaudus, ſecutus ſuum Leſſium, quorum verba dedi *Reſol. cit.*) comprehendatur, ut ea quæ ibidem dixi lucidiora appareant, pudeatque Leodegarium Raynaudi ita gracili

fuisse intellectu, ut veritatem non queat defendere, sed impugnare. Notandum, quod cum fortitudo duos habeat actus, primarium unum, qui est *sustinere* mortem, & secundarium alterum, qui est *aggredi*, quæ aggressio contrapugnantiam includit, quam primario dicit impavidas; milites bellantes *bella Domini*, & defendentes Ecclesiam Catholicam contra infideles, qui in ejus odium impugnant Religionem Christianam, & sunt impavidi contrapugnando infidelibus ut defendant Ecclesiam, in quo actu non sunt primario fortes, quia non sustinent, sed impugnant, & aggrediuntur; dum tamen moriuntur in bello, cum mors sit illis illata in odium fidei, dubio procul veri martyres sunt, & laureolam merentur, si in gratia decedant; nec enim contrapugnatio in bello contra infideles impugnantes Ecclesiam in odium fidei, est contra actum primarium fortitudinis, qui est sustinere voluntarie mortem propter fidei defensionem, imo hoc est necessario requisitum ad illum actum, alias non defendent Ecclesiam in bello publico illato; unde si milites contrapugnando se defendunt, non est amore sui, sed amore Ecclesiæ, quam non defenderent, nisi contra pugnando se defenderent, ut victrix Ecclesia sit contra hostes, qui fidem impugnant, & in odium fidei fideles occidunt; quare dum isti occumbunt, testimonium dant verum nostræ fidei, quod consignant sanguine suo.

Et hoc est, quod egregie dixit Bernardus *in sermone exhortatorio ad milites templi cap.* 1. *Quam glorioſi reverteruntur victores de prælio! quam beati moriuntur martyres in prælio! gaude fortis athleta, ſi vivis & vincis in Domino, ſed magis exulta & gloriare, ſi moreris & jungeris Domino; nam etſi beati, qui in Domino moriuntur, multo magis qui pro Domino moriuntur.* Quod enucleatissime dixit Paludanus *in* 4. *dist.* 49. *q.* 8. *art.* 4. *in fine* asserens. *Qui cruce signati in bello hostium Christi pugnando pereunt, martyres fiunt; quia non se, sed Christum & Ecclesiam defendendo moriuntur, unde mortem non fugiunt.*

Ex

Ex quibus conſtat manifeſtum diſcrimen inter hos milites, & curatores infirmorum utentes alexipharmacis contra mortem; iſti enim iis utuntur ut vitent mortem, & ſe defendant à contagio, at milites non fugiunt mortem, ut ſe à morte defendant, ſed ut Chriſtum & Eccleſiam. Unde martyres ſunt proprie, illi vero minime. Quod ſi curatores etiam utantur alexipharmacis, ut vitando mortem magis inſiſtant curationi, hoc non eſt ex vi operis, ut contingit in militibus cruce ſignatis, qui ex vi hujus militiæ pugnant pro Chriſto, & pro Eccleſia, ejuſque fide tuenda, & ſic contrapugnant, at Curatores infirmorum id habent ex intentione libera operantis, ut egregie adnotabat Dominus Cajet. quare ex vi operis ſe defendunt, & ex vi ejuſdem invicti accedunt ad mortem. quare ex vi illius non eam patiuntur voluntarie omnino propter Chriſtum, ſed renituntur cum alexipharmacis, quæ arma ſunt inania contra inanimem inimicum, ſcilicet luem peſtiferam; at qui in certamine particulari contra inimicum, qui poteſt inferre mortem, arma ſumit, invictus accedit ad mortem. Unde notat Paludanus, quod *Mauritius cum ſociis ſuis, quos celebrat Eccleſia veros martyres die. 22. Septembr. arma projecit, ut fieret martyr*, ut ex eorum actis ſcriptis à S. Eucherio Lugdunenſi notant Surius *tom. 5. in hoc menſe & die*, & alii.

PARS VI.

Propugnaculum 6. Cenſorum congregationis Romanæ ineluctabile monſtratur.

Hoc ſic formatur: *Ex hac* (Raynaudi Leodegarii) *opinione infertur dari ingentem omnino numerum martyrum; omnes enim qui morerentur miniſtrando ægris, vel faciendo aliquid boni, annumerarentur martyribus; item qui malunt mori, quam flagitioſo remedio vitam conſervare, eſſent habendi martyres, & qui præmonitus à Mago de cæde inferenda; nolens Mago auſcultare, obtruncaretur, inter martyres eſſet recenſendus: Quod ipſum affirma-*

re

re oporteret de reo, qui mallet mori, quam mentiri fallendo judicem, & sic effugeret justum supplicium; at hoc pacto agnoscendi nimis multi martyres, essentque bella in pace in Ecclesia, per quod tempus Patres solos late dictos martyres admittunt, eos nimirum qui injurias irrogatas tolerant patienter, aliasve tribulationes excipiunt æquanimiter.

Hæc est munitissima arx, quam nunquam arietabit Leodegarius, quamtumvis eam impugnet, quantumvis in omne latus se vertat, semper inexpugnabilis erit. Non enim timemus, quod martyrum multitudo nimia sit in Ecclesia, quia ut quidam dixit: martyrum

Sanguine mundata est Ecclesia, sanguine cœpit;
Sanguine concrevit, sanguine finis erit.

Vnde Tertullianus alicubi sanguinem martyrum *semen Christianorum* dixit satis apte; & Severus Sulpitius *lib. 2. Historiæ Sacræ*, Diocletiano (inquit) *& Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta est, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata est, in qua tempestate omnis fere martyrum cruore orbis infectus est. quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tunc gloriosis mortibus martyria quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur.* Similis multitudo Sacrorum Purpuratorum sanguine proprio pugilum pro fidei defensione conspici quibit in sacris historiis, in aliis Tyrannorum persecutionibus, ex omnibus gentibus, & populo, & natione, qui in conspectu Dei stant *amicti stolis albis, quas dealbaverunt in sanguine agni.* Antiquitus in Ecclesia martyribus color albus aptabatur, ut notat Guilielmus Durandus. *in rationali lib. 3. cap.* 18. *num.* 5.

Non enim veremur, quod crescant in Ecclesia martyres; sed quod ex nimia licentia transferendi improprios loquendi modos Patrum ad proprios, martyria confingantur fine causa martyrii legitima, sed conficta ad nostrum placitum, assumptis aliquibus P. P. locutionibus, nudis & sine antecedentibus & consequentibus, quæ licentia pernicies fuit in Ecclesia, qua utuntur hæretici

tum

tum in S. S. tum in Sanctis Patribus, ex quorum libris truncata adducunt testimonia, quibus nudis consideratis, suas confirmant hæreses & novitates. Gravissime consideravit hoc S. Joan. Chrysost. *hom.* 4. *in cap.* 1. *Epistol. ad Galatas. Non enim verba nuda oportet expendere, alioquin multa sequerentur absurditates. Neque convenit sermonem per se nudum examinare, sed observare mentem scribentis. In humanis enim sermonibus nisi hac ratione fuerimus usi, expendentes quid senserit is qui loquitur, multas inducemus simultationes, omnia subvertentur. Et quid attinet loqui de verbis, quum & in factis, nisi regulam hanc servaverimus, omnia in sursum, deorsumque miscebuntur? Homicida pariter ut martyres torquentur, at non quia patiuntur eadem tormenta, utrique eodem habeantur loco, sed plurimum instat in hos, & illos. Quod ni regulam hanc servaverimus, nulla de re recte judicare poterimus, sed ipsum etiam Heliam homicidam censebimus, cumque hoc Samuelem & Phinees. Quin & Abraham filii interfectorem dicemus, si res nudas expendimus, non addentes quamobrem, & quo animo id fecerit.*

Quam egregiam, salutarem & necessariam doctrinam, si multi nuperi scriptores observassent, non in tot novitates prolapsi eas niterentur ex Patribus comprobare, ne *ipsi primi aut soli* dicantur excogitasse. Unde oriuntur tot simultationes, tot absurditates, omnia subvertuntur, nihil est jam firmum, nisi fidei dogmata, & hæc novo modo interpretantur, omnia denique sursum ac deorsum turbata & conturbata sunt, quia nudos Patrum sermones, nuda verba pensitamus, non observantes scribentium mentem. Quam regulam, quia non observavit Raynaudus ex quibusdam Patribus, testimoniisque truncatis, quia ibi invenit *martyris* nomen, nude positum, & improprium positum, per analogiam & proportionem ad martyres fidei, statim verum martyrium introduxit diversum à martyrio fidei.

Ex hoc modo utendi libris Patrum, tam hoc tempore nostro, quam Patrum nostrorum magnæ sunt ortæ absurdi-

ſurditates. Quia non obſervavit Chryſoſtomi Regulam Auctor Anonymus, *in Epiſtola impreſſa Pariſiis ann.* 1645. & miſſa ad ſummum Pontificem tunc gubernantem Univerſalem Eccleſiam *Innocentium* 10. auſus eſt dicere, quod D. Paulus fuit Pontifex & caput Eccleſiæ cum D. Petro, quia multorum Patrum legit teſtimonia; quibus nude ſumptis, id inſinuabatur, & forſan magis clara, quam quæ adducit Raynaudus pro ſua ſententia de vero martyrio charitatis, & tamen novitas de primatu Pauli ſimul cum Petro ſtatim intercluſa fuit, & ut hæreſis damnata ab eodem ſummo Pont. *Innocent.* 10. & ex mente eorum Patrum præſpecta claret eorum intelligentia, quod dicant Paulum & Petrum fuiſſe æquales in ordine ad *Apoſtolatus* dignitatem, non in ordine ad *Primatum Eccleſiæ*; vel fuerunt æquales quoad clavem doctrinæ, non quoad clavem potentiæ. Legatur P. Antoninus Diana *pag. 9. diſquiſ. Apologetica*; *pro hac veritate.*

Antiquitus, quia Regulam Chryſoſt. non eſt ſecutus Pelagius, conſiderans nude aliqua Sacræ Scripturæ teſtimonia, ut ſe opponeret Manichæis, qui liberum arbitrium negabant, in alio ſe conſtituit extremo, dicens quod ut liberum arbitrium operaretur *prout oportet*, non erat neceſſaria *gratia per Chriſtum*, & cum urgeretur quod *gratia ſalvi facti ſumus*, intelligebat de gratia externæ prædicationis, & ad operationes liberas dicebat requiri gratiam, ſed non *ſanantem*, ſed gratiam *creationis* qua creati ſumus, quæ gratia aliquatenus, etſi improprie, dici poteſt, & abſolute talis dicebatur à Pelagio, nomine impropriæ notionis propriam ex ſuo cerebro notionem imponente, qua ſimplices ſeducebat, & doctos conabatur ſeducere; unde referente Aug. *lib. de gratia Chriſti cap.* 35. *purgans ſe* (Pelagius) *apud Sozimum Papam in Epiſt. quam ad illum ſcripſit, dicit: legant illam Epiſtolam, quam ad Sanctum virum Paulinum Epiſcopum ante ferme duodecim annos ſcripſimus, quæ trecentis fere verſibus nihil aliud niſi Dei gratiam & auxilium confitetur,* quam etiam in aliis libris ſubdole faſſus eſt. Adeo, quod

Aug.

Aug. teſtatur. *cap.* 37. *mihi* (ait) *pene perſuaſerant, hanc illum gratiam, de qua quæſtio eſt, confiteri*; gratia autem quæ proprie eſt talis juxta Patrum ſenſum & notionem antiquam, eſt qua *ſanati ſumus*, & operamur *prout oportet*, data nobis per Chriſtum, ut late Aug. *in lib. contra Pelagium*, & cum eo S. Proſper *in lib. contra Collatorem.*

Quid non poſſumus jure timere? quod aliquis novitatum amator dicat, quod martyrium ſive fidei, ſive noviter inventum *charitatis* ſit verum & proprium Sacramentum, ultra ſeptem quæ inſtituit Chriſtus, quæ antonomaſtice dicantur Sacramenta; martyrium vero etſi proprium, non tamen in communi uſu, bene tamen apud Deum cum cauſet gratiam *ex opere operato*, quod eſt proprium Sacramentum, remittatque tam mortale, quam veniale, nec deficiant Patres, qui truncatis teſtimoniis id inſinuent, & communis Patrum locutio, qua dicunt martyrium eſſe baptiſmum *ſanguinis*, quo delentur peccata *ex opere operato*, hoc tamen nullus audebit dicere qui Chryſoſt. Regulam amplexetur; ergo audacia temeraria eſt adfirmare verum & proprium martyrium *charitatis* diſtinctum à martyrio fidei.

Exempla, quæ adducit propugnaculum, tot ſunt ſagittæ ardentes contra Leodegarium Raynaudi, cujus ſolutiones ſupra manifeſte rejecimus, & ſic cum veros martyres non faciat *pœna, ſed cauſa*, non quælibet mors paſſa propter Chriſtum ejuſque amorem eſt proprie martyrium, ſed illa cujus cauſa eſt fidei profeſſio; alias omnes illi qui ibi adducuntur, veri martyres eſſent, & *teſtimonium perhiberent veritati.*

§. V.

Vindiciæ propriorum fundaminum, quibus Καινολογίαν, *vaniloquium Leodegarii Raynaudi impugnavi, & rejeci.*

Vidimus in anterioribus, quam mollis & ſpumoſus fuerit Leodegarius Raynaudi, fragoſitatem oſtendens

dens ſuam verbis dumtaxat & foliis, rumorem faciens adverſus tela, quæ ex propugnaculis *Turris Davidicæ* miſſa ſunt à Cenſoribus deſignatis à Sacra congregatione, & à ſummis Pontificibus; quibus Cenſoribus & conjudicibus parvipenſis, eos improperiis cædit & verbis, contempta numinis Apoſtolici reverentia, & quid mirum quod ſupra ipſum *Sabaritica calamitas* ſuperveniat? Modo rugiens, & ſpumam craſſam & fœtidam contra me effutit, curans fundamina, quibus antiquam in Eccleſia doctrinam ſolidavi, evertere; ſed in eis exædificandis *ſpongia mollior* exiſtit; quare dum iſtum Leonem mihi objicit Raynaudus,

——— pepona loris, quantus eſt effecero,
Niſi ſpongia illi molliorem qualibet
Reddidero vultum.

Ita ut coram univerſis vultu mœrens appareat, & erubeſcat, quod talia dixerit.

PARS I.

Primum fundamentum vindicatur à calumniis Leodegarii Raynaudi.

Hoc primum conſarcinavit Leodegarius hic, *ex titulo operis mei de vero martyrio fidei ſanctorum ſanguine rubricato*, contra Καινολογίαν. *De vero martyrio charitatis & miſericordiæ. Vnde Theophili opinio novella eſt, atque adeo eſt improbanda, quia Eccleſia non amat novitates. Ipſe Apoſtolus explodit noviloquia, quale revera eſt illud hoc tempore fabricatum in gloriam S. S. martyrum, cum Eccleſia unicum martyrium ſanguine violenter effuſo rubricatum agnoverit ſemper, nec Patres præter hoc martyrium aliud tradiderunt. Hanc* Καινολογίαν *hæretici ſpiritus propriam notam Hurtado jam ex ipſo operis titulo intentatur in martyres charitatis.*

Huic, ex meis verbis in titulo poſitis fabrefacto fundamento, mirum eſt quot inſumat Leodegarius, ut ab illo ſe expediat & ſatisfaciat *notæ novitatis*, qua ejus ſententia

jam

jam est inusta à Censoribus Romanis, quam non absterget, quantumcumque blateret, & inania profundat verba. Imprimis notat, quod *Resolutiones de vero Martyrio Orthodoxas* nuncuparim, *quia titulus hic libro de Pontificius Oraculis ex Cortina Apostolica fusis par esse posset.* Verum hoc nihil aliud est, *quam Thriorum strepitum facere minacem in sonitu*, & formidandum; cum alioquin inanis sit & contemnendus. Quid amplius habet vox *Orthodoxa Resolutionis* in titulo affixæ, quam *Fortalitium fidei*, quam *Analysis fidei*, & similes aliæ, quæ passim in titulis librorum Catholicorum inveniuntur, dicuntur enim Orthodoxæ, quia de materia ad Orthodoxam sanamque doctrinam attinente ut plurimum tractant. Quare Leodegarius Raynaudi *sarmentitias quisquilias* primo objicit, ut illis obtegatur suæ sententiæ falsitas, at acris disputator velut ignis in vepribus haud difficulter absumet.

Pergit ulterius. *Nunc dico falso & ignoranter Hurtado asserere doctrinam de martyrio charitatis, esse recens inventam, cum jam in primis sæculus fuerit trita, ut liquet ex S. Dionysio Alexandrino.* Vide Leodegari Raynaudi, in quas salebras incidisti, in quod præcipitium es prolapsus. De antiquitate tui martyrii gloriaris, & unum dumtaxat testem profers Alexandrinum Dionysium, qui illos *veluti martyres* dicit, & quod eorum mors nihil differre *à martyrio videretur.* Da vel unum Patrem, qui *absolute, & simpliciter*, & absque addito minuente hos pugiles tuos *charitatis*, dicat veros & proprios martyres, sed solum martyres *misericordiæ*, sicut dicunt martyres *condolentiæ*, martyres *patientiæ* in supportandis opprobriis aut morbis, ex quo capite Job dicitur *plusquam martyr.* Rursus martyrium *vitæ Religiosæ*, de quo plures Patres pluries & elegantius, imo & strictius loquuntur, quam de martyrio tuo *charitatis*; & tamen, si Religiosus in hoc agone vitam finiat, vere martyr non est. alias si martyrium tuum *charitatis* verum & proprium est martyrium *coram Deo*, quis prohibet dicere, quod Religiosi occumbentes in perpessione laborum & ærumnarum vitæ quam sunt pro-

feſſi, & proprie martyres non ſint, & laureolam mereantur; hoc autem ex nullo alio capite à Catholicis omnibus denegatur, niſi quia uſus & praxis Eccleſiæ, & vera notio martyrii mortem violentam à Tyranno illatam in odium fidei exigit, pro qua Orthodoxa veritate firmanda, duo fortiſſima agmina Patrum inſtruxi.

Amplius ſubjungit. *Deinde ridicule Hurtado petit principium, aſſumens quod probandum erat, & contendens Eccleſiam non agnoviſſe niſi unicum martyrium, quod ſit ſanguine rubricatum. An enim, qui abſque effuſione ſanguinis pereunt in aquis propter fidem & caſtitatem, excluduntur à ratione veri martyrii? Heus tu Hurtade, Nyctalops revera es, aut Patus. Apage adeo pinguem hallucinationem ex defectu effuſionis ſanguinis è vena proſciſſa, excluſio veri martyrii à te arguitur. Cogitandum ergo Hurtado fuerat, cum agitur de martyrio, ſanguinem pro Chriſto fundere, idem ſonare, quod mortem obire, ſive ſanguis effluat & purpuret, ac rubricet hominem, ſive non: quia Deus non attendit colorem, ſed mortem generoſe oppetitam ex cauſa ad martyrium idonea, qualis cernitur in ſacris pugilibus immorientibus miniſterio charitatis.*

Verum *Ianus* iſte *in occipitio oculos gerit*, dum mea ſcripta legit, & arripit verba, quæ ſono dumtaxat ſibi proſunt, & *Gallus cum ſit, coccyſare nequit*, è ſarmentis circulum valde vitioſum componit, *ut cum Nibas ſit, artificio Coccyſet*; dum ego dixi verum & unicum eſſe martyrium fidei *ſanguine ſanctorum violenter effuſo rubricatum*, non fuit ſenſus ille, quem tu malitioſe fingis, quod ut ſit verum martyrium, ſit requiſitum, quod ſanguis è venis profluat & rubricet colore purpureo martyrem; hic enim ſenſus tuus eſt, & ſic perverſus, ut tuam dumtaxat mortem oppetitam abſque violentia introducas ad verum martyrium ſufficere. Aſt meus ſenſus eſt ille, quem ſemper habuit, & habebit Eccleſia Catholica, qui per ſanguinem fuſum intelligit mortem violenter illatam à Tyranno, ſive fiat in aquis, ſive laqueo, ſive fame, ſive carcere, omnes enim qui morte violenta à Tyranno occaſionata,

occum-

occumbunt, ſanguinem effundere dicuntur. Sic Eccleſia à ſuis incunabulis non edocet, ſic canit in Martyrum officio, *in Hymno unius Martyris ad Veſper. Fundenſque pro te ſanguinem.* Et *ultimo Reſponſorio: hic eſt vere martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem fudit.* Et *in communi plurimorum Martyrum in Hymno ad Veſperas. Rubrinam fluido ſanguine fulgidi.* Et *in Hymno ad matutin. Chriſto profuſum ſanguinem & martyrum victorias.* Et *in ſecundo reſponſorio. Viri ſancti glorioſum ſanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Chriſtum in vita ſua, imitati ſunt eum in morte ſua.* Et de Virgine & martyre canit in hymno ad matutin. *Sanguine effuſo meruit ſere-num ſcandere cœlum.* Et *in primo Reſponſorio* dicitur de eadem. *Pro cujus amore ſanguinem tuum fudiſti.* Hæc omnia ex officiis Eccleſiaſticis: quæ ſi legis Leodegari Raynaudi, mirabor ſi os habes ad loquendum contra me, cum in titulo conſtruendo phraſi Eccleſiæ ſum uſus, quæ ea officia canit pro ſancta Leucadia & aliis martyribus utriuſque ſexus, quibus ſine venarum ſciſſione *ſanguis dicitur fuſus*, quia morte violenta occubuerunt; niſi mordeas loquendi modum, quo utitur ſancta Eccleſia, & dicas hæc non poſſe vere dici, at blaſphemus eris. Quare dum mea verba nude & ſyncere dicta carpis, exorbitas à Regula quam ſupra dedi ex D. Joanne Chryſoſt. *Et ſic omnia ſurſum, deorſumque miſces, ſimultates inducis, & abſurditates obtrudis innocentibus*, dum nude & truncate verba ponis, ut pleno ore verbis inſultes, & Latinitate ſpatieris. Bene de te Cyprianus *de unitate Eccleſiæ. Interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt, partis memores, partem ſubdole comprimunt, & ita capituli unius ſententiam ſcindunt.*

Id quod blaterat Leodegarius Bucca fœtidus *me petere principium, aſſumendo quod probandum erat, &c.* At ipſe impetit principium quod ſatis probatum eſt, & repugnatum *à ſacræ congregationis* doctiſſimis Cenſoribus, non eſſe in Eccleſia niſi unicum martyrium verum ſanguine effuſo conſignatum. Cætera autem martyriorum gene-

ra impropria esse & analoga ; quod etiam constabit ex vindiciis meorum fundaminum, quas subjiciam. Quare subdole versipellis Leodegarius me petere principium ait. Ain, Raynaude ? probas tu altius aut firmius novitates tuas dum conventicula quæris, veritatis caput atque originem aquæ vivæ relinquis, faciens *tibi cisternas dissipatas*, corrumpendæ sanæ doctrinæ artifex, sedens in pestilentiæ cathedra, ut pestilentiam tuam defendas, martyres pestis veros creas, & introducis in Ecclesia, quæ unum martyrum Chorum sanguine violenter effuso purpuratum, custodit & veneratur, & tu nova excogitata fraude, sub Christiani martyrii nominis titulo, fallis incautos, veritatem corrumpis, martyrii veri unitatem scindis.

Quare in hujus primi fundamenti parte concludit, *succlamat Hurtado ; at Ecclesia nullum aliud agnovit martyrium præter illud, quod sanguine per tyrannum effuso rubricatur. Tu dixisti. Tu es Ecclesia ; nam resolutiones tuæ sunt Orthodoxæ non minus quam Pontificiæ. Hæc tua sunt vaniloquia Hurtade, vel profer pro tua audaci resolutione aliquam Ecclesiæ definitionem, enuntia ubi dixerit Ecclesia nullum esse martyrium verum, nisi sanguine violenter effuso rubricatum. Desine poëtare ex tuo capite. Hunc esse sensum Ecclesiæ, hanc esse mentem sanctorum.*

Quisquis hæc legit, recte judicabit Leodegario isti Raynaudi nihil relictum, nisi linguam maledicam, & dentes mordaces. Nunquid vaniloquium est *decretum Congregationis Romanæ?* nunquid ex *suo cerebro poëtarunt*, eminentissimi Cardinales, qui, adhibitis sapientissimis Consultoribus consultis summis Pontificibus, sententiam damnationis in tuum de novo martyrio librum tulere? hæc si non Ecclesia definiens, aut est Ecclesia sancte, prudenter decernens, præscindens malas doctrinas. Nunquid est Ecclesia efficacius decernens, quam Congregatio consulto summo Pontifice dici exagitata, & cogitata sententia suffragia emendicata & subrepticia Doctorum Europæorum, quos introducis? nunquid Universitates

illæ

illæ Vilnenſis in Lituania, Viennenſis in Auſtria, Pragenſis, Aquisextenſis, Bituricenſis, Muſſipontina: & ſimiles, prævalent Congregationi Romanæ? Jam dixi ſupra hæc omnia ſuffragia clam emendicata eſſe *vindemias Abiazer*, & unam Congregationis ſententiam *eſſe racemum Ephraim*, qui longe melior, firmior, & ſanior eſt. Hæc eſt Eccleſia, quæ damnato martyrio novo *charitatis*, ſolum cognoſcit & agnoſcit martyrium ſanguine ſanctorum effuſo rubricatum, hanc ſequor, hanc amplector, hanc quæro, hanc rogo, cui repugnas, & impugnas multos decipiens inanibus verbis, & ſub pietatis fuco ſciſſuras veræ doctrinæ introducis, non acquieſcens veritati.

Sed dicit. *Ineptit inſuper Hurtado, cum, ſupponit omnem doctrinam novam eſſe reprobandam. Vide ſic contrarium late diſcuſſum pag 2. operis de injuſta confixione librorum, Erotemate 20. ubi varia proferuntur, quæ ſi Hurtado expendiſſet, non fuiſſet adeo præceps, & temerarius in damnandis ac ferreo ore commolendis alienis placitis.* Sed vere Leodegarius me obturbat fruſtra, velut unda, & inanibus convitiis moleſtat, & ut draco venenoſus fiat, ſerpens cum ſit, ſerpentem veneficum edit, & venenum maledicentiæ ſuæ large diffundit, corrumpens ſententias meas. Ego enim non omnem damno novitatem, ſed perverſam, ut late diſcuſſi *tom. 5. Reſol 68. §. 2.* quam ſi placide legiſſet Raynaudi Leodegarius, non tot coacervaret opprobria contra me. Librum ſuum, ad quem me citat, legere non potui, quia interceptus à Supremo Generalis Inquiſitionis Conſilio, & damnatus quouſque corrigatur, (& nondum habeo licentiam ipſum legendi) habet enim plura quæ juſta confixione indigent, & tranſire per ignem & aquam, educatur refrigerium. Novitatem quam ſemper damno & ſemper damnabo, eſt novitas perverſa, quam ſic demonſtrat Petrus Cellenſis. *in epiſt. Dedicatoria ad Ioannem Salisberienſem. lib. de Panibus. De ſegete Domini, quos potui, manipulos legi, & novos panes; non tamen ex nova ſenſu farina compoſui. Novitatem enim illam, quæ à Patrum veſtigiis exorbitat, tam in*

fide, quam in moribus nec non in vocum ac nominum novitatibus ſemper anathematizandam duxi. Si quid tamen novum Sancti Spiritus illuſtratione apprehendere potui, quod tamen Cherubin & Propitiatorium vultu tam ſeduloquam humili reſpiciat, non reſpui. Ecce Leodegari Raynaudi, quam novitatem cum Cellenſi ſemper anathematizo, perverſam ſcilicet, quæ à Patrum *veſtigiis exorbitat*, qualis dubio procul eſt ea, quam introducere tanto conatu curas de vero martyrio *charitatis*. Ecce etiam novitatem permiſſam, quæ non novitas ſimpliciter eſt, *ſed quaſi novitas*, quam amplector, qua delector, quam ſuadeo, ut Sancto Spiritu illuſtrante, & dirigente, exerceantur ingenia, illuſtrentur, non impugnentur, veritates, ſanæque doctrinæ.

Et tandem lubricus venenoſus anguis, ut vim veritatis effugiat, ſuam de vero martyrio *charitatis* opinationem comparat opinioni de V. M. immaculata conceptione. O *infelix præſumptio! O ingens hominis audacia! quis dicit: Hoc ipſo argumento Eminentiſſimus Cardinalis Cajet. Dominus tuus (ſic ſoles ineptiendo compellare) & Bartholomæus Spina, homo nominis tui, ac genii tui hirti ac hiſpidi, & ſequacium, quibus abblandiri quæris, immaculatæ conceptionis adverſarii, uſque ad Sixtum 4. impetiverunt aſſertionem conceptionis immaculatæ, dicentes eſſe doctrinam novam ac Eccleſiæ incompertam, & pugnantem cum doctrina ſanctorum, & tamen diviſa ſunt in ea parte effutiæ; & doctrinæ, quæ inſimulabatur novitatis, deprehenſa eſt perantiquæ, & magnum in Patribus habere fundamentum; ac proinde habetur omni acceptione digna, ut poſſit à ſummis Pontificibus definiri, etiam abſque concilio Generali, velit nolit Hurtado, qui per putentem aſſentationem, & amicitiarum, quæ ei non proderunt, captationem, tentat injicere nebulas honoribus Deiparæ. Quæ de re ſuo loco.*

O Bucca fœtide Raynaudi, quot tricas involvis ſermonibus imperitis; &, ut ait Martialis, ea quæ congeris

Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Futilis

Futilis & ad rem, de qua agimus nugatoriæ, *caniſque ad myrtum Admeti nænias*, quas hîc extricare & diſcutere non expedit, quamvis liceret. Solum adnoto doloſe & inerudite Eminentiſſ. Cajet. Domino meo & Rev. Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum Spina, adtribuis argumentum in materia, de qua loqueris, multis annis imo & ſæculis antiquius, quo uſus eſt Petrus Abbas Cellenſis, ille doctiſſimus ſui ævi, contra Nicolaum Monachum, qui licentioſe loquebatur contra S. Bernardum, eo quod dixerit conceptionem Virginis non eſſe celebrandam. Et contra Nicolaum ſic argumentatur Cellenſis. *Proverbium eſt, non ſunt dimittenda veteres viæ, propter novas. Quis ſanctorum, quis antiquorum non ambulavit ſemitam noſtram? Credo & vere fateor, ſi in hoc erraſſent, & hoc eis Deus revelaſſet. Quibus enim ſua tam familiariter revelavit conſilia, ut etiam ad ſupplementum Euangeliorum, Epiſtolarum, & Prophetarum, perpetua ſtabilitate canones & decreta ſtatuerint, pari pene obſervantia tenenda cum Euangelio, hoc ſolum eis tacuiſſet.* Ecce argum. quod fecit Cajet. & ſecutus eſt Spina; ipſis antiquius eſt. Ne tamen glorieris in te poſſe deficere argumenti valentiam, audi eundem Abbatem paulo poſt ſic loquentem.

Licuit quoq; ſemperq; licebit ſponſam Chriſti Eccleſiam, quæ in terris peregrinatur, ſecundum mutationes rerum, temporum, & perſonarum variare rationes Decretorum, & nova adinvenire medicamina remediorum, & ſtatuere ſanctis adeptione gloriæ frequentiam ſolemnitatum. Eſt tamen auro locus, in quo conflatur, & habet argentum venarum ſuarum principia, ſedem Petri & Curiam Romanam, quæ claves cœli principaliter tenet, & clauſura Conſiliorum Dei reſerata diſpenſante Deo, unguentum gratiæ à capite uſque in oram veſtimenti habet compluere. Vtinam ſalva veritatis auctoritate, lance communis Concilii hæc Domina & moderatrix totius Chriſtianitatis conceptionem Virginis librasſet & approbaſſet, & à mari uſque ad mare propagaſſet, ſole, ideſt Apoſtolica, ac luna, ideſt Curia Romana præeunte! tam ſecure, quam expedite in lu-

mine vultus eorum gressus ponerem, & disponerem, ex hoc videns vitare lubricum & sequi solidum & securum: Nihil in Ecclesia pessimius præsumptione erronea, nihil stultius præsumptione temeraria, nihil odibilius præsumptione noxia, &c.

Bone Doctor, dormitasti & apertis oculis dormis; nunquam in Ecclesia opinio pia expulsa est, vel à sede Apostolica, vel ab aliqua Congregatione Cardinalium Romanæ Curiæ, vel ab aliquo Tribunali Sanctæ Inquisitionis; unde crescente populorum devotione, crevit & ejus probabilitas, summique Pontifices ad pacificum Ecclesiæ Regimen multis favoribus condecorarunt, manente apposita in sua probabilitate speculativa immutata, sicut antea. *Vtinam salva veritatis auctoritate lance communis Concilii conceptionem Virginis librasset & approbasset, & usque ad terminos orbis terrarum propagasset. Sole, ideſt Apostolico, ac luna ideſt curia Romana præeunte!* Ut enim *quodam scripto*, quod ad pedes summi Pontificis *Innocentii* 10. summissum est, monstratur, valde convenit quod hæc controversia decidatur, & quod summo Pontifici, cum sit supra Concilium (ut nos Hispani semper sentimus, an sentiant D. D. Gallicani tu videris) licet sine Concilio decidere, & definire; at non expedit, quod sine Concilio communi id faciat. id quod expressit Abbas Cellensis. Videas ergo quot ineptitudines, quot verborum & rerum imbonitates, quot sine pudore dicta opprobria. Sed accipe Leodegari, quid in persona audacis Nicolai *Galli*, tibi *Gallo* dicat *Anglicus* Abbas. *Extremam apponimus manum ad Samsonis nostri problemata, multis sindonibus involuta, nec parvo pretio resignanda. Habeant* (inquiens) *Galli de Anglica quæstione quid ruminent, & Angli de Gallicano hausiu, quid pitissent.* Et infra. *Nisi vera scriberem, meum confiteor dicerem, attamen quia veritas odium parit, digito compesco libellum, & interim nova tonitrua, & fulgurationes* (Leodegarii Raynaudi) *humo absconditus non reformido.*

PARS

PARS II.

Firmitas mei ſecundi fundamenti ineluctabilis monſtratur.

Hoc fundamentum poſui *Reſol.* 62. (*tom. de vero & unico martyrio fidei*) §. 11. & 12. Et ſic male digerit Leodegarius Raynaudi ann. 58. *Martyrium debet conſtitui ex primario actu fortitudinis elicito circa pericula ex natura rei pugnantia contra optimum. Hæc enim pericula primo ac per ſe objiciuntur fortitudini ethicæ, ſed talia dumtaxat pericula bellica* (*adverte ſermonem, Theophile, exclamat Hurtado*) *ergo extra pericula bellica non eſt martyrium. Eſto, ex intentione operantis, poſſit aliqualis fortitudo cerni circa alia pericula, quæ ad fundandum verum martyrium non ſunt idonea, quia etiamſi homo occaſione illorum poſſit exercere actum charitatis, tamen ea pericula cum ingruunt, non contendunt ut evertant bonum virtutis, ſed æque ingruerent, ſi deeſſet exercendæ virtutis occaſio. Hinc Hurtado ait, per ſe ruere muros Raynaudi contrarios: Diceres os Hurtadi inflare tubas ſacerdotales, ad quas labuntur muri Hiriſunthini, & quia Proſper hoc dixit de ſacerdotalibus Oraculis, hoc eſt de Pontificiis definitionibus, tacite inſinuat Hurtado ſuas Reſolutiones Orthodoxas eſſe decreta Pontificia.*

Mirum eſt, quanta ſit oppreſſus amaritudine Raynaudi Leodegarius, & febri quartana ante tempus laſſus, rugitibus ſuis circuit, quærens varia diverticula, & latibula, in quibus ſe abſcondat ab argumenti, etſi male digeſti fortitudine, cujus timore perculſus ſubdolus eſt homo, ad certamen deſcendit veſte doloſa indutus, & ad dedecus eluendum *tinctura Cyzenica* tingit, cum Purpurea non poſſit. Eſt enim *Cynozolus* niger colore, & odore fœtidus. Quare multa quæ in ſolutione diſſolute inculcat, omittenda; quia ad rem non pertinent, & eſt divagare ſine urgenti cauſa; nam quod ego fugerem Hiſpalenſe contagium, ex meorum ſuperiorum præcepto,

quid criminis eſt, imo etiamſi præceptum non inſtaret, nunquid notantur infamia omnes Religioſi viri, qui aufugere, ut vitam conſervarent ad majorem Dei gloriam & proximorum utilitatem, & ſuæ Religionis in aliis negotiis juvamen? Damna Athanaſium, & alios Patres, qui perſecuti à Tyranno fugam dedere, ſe ſervantes ad opportuniorem occaſionem, niſi velis obligare fideles ad martyrium à te confictum conſequendum, ad quam Chriſtus obligavit martyres ſuos, quibus dixit: *Cum vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*; quam fugam fuiſſe præceptam S. S. Patres Græci affirmant, & multi ex Latinis. Si obſtreperus iſte Abulenſem legiſſet. *q.* 8. *ad cap.* 14. *Geneſ.* non ita effutiret, ubi ait: *Tanta fatuitas eſt manere in loco ubi eſt peſtis, ſicut in medios ſe projicere gladios, aut ignes, aut hoſtilia arma; imo ſanctius eſt fugere, quam permanere in maxima peſte, &c.*

Quid, quod tu non fugiſti, ſed infirmos lue Lugdunenſi infectos curaſti, omnes qui ſic non faciunt, notantur infamia. Abſit, quia in Eccleſia diverſa ſunt officia, ſicut & membra, quorum unum alteri non improperat, quod ſuum munus non exerceat, ſi proprium bene exequitur. Audi Apoſtolum Leodegari Raynaudi, ne glorieris in tua fortitudine, & ne aliis improperia impingas. Audi, inquam, Apoſtolum 1. *ad Corinth.* 12. *anno* 19. *Nunc autem poſuit Deus membra unumquodq; in corpore, ſicut voluit; quod ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus? nunc autem multa quidem membra, unum corpus. Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii, ſed multo magis, quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circundamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra abundantiorem honeſtatem habent, & ſiquid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra, & ſi gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra.* Videas Leodegari Apoſtolicam doctrinam, ut non inſultes in infirmiora membra, quia

forſan

forsan necessariora corpori, & quæ tu putas ignobiliora, his honorem abundantiorem circundat Deus, circundat Ecclesia, circundant prudentes. Nunquid omnes Theophili? Nunquid omnes Augerii? quos ob impaviditatem in contagiis Lugdunensibus adnumeras? nunquid omnes gratiam ad curandum ægrotos hos, habentes? si ita docet Apostolus; qua mente mihi objicis *tubum Batavicum* ad conspicienda lue interfectorum corpora? oculis vidi, conspexi, tum Hispali, tum in *oppidulo de Salteras*, in quo habitavi, ubi proportione ad Hispalim major fuit occumbentium multitudo.

Quare turpiter & temerarie, & dignus gravissima censura es Leodegari, dum invectivam confingis factam à Sanctis Alexandrinis ad me tuis exaratam impiis caracteribus, tenoris sequentis; nec enim pudet impudentiam, qua uteris vertigine arreptus, mundo iterum propalare, & ad sedem Petri, curiamque Romanam adducere, ut dijudicaretur audacia & præsumptio tua, erronea, temeraria & noxia; omnibus notus sit spiritus tuus, an ex Patre Diabolo, an ex Deo sit; an dimanata zelo veritatis, an à zelo dissensionis. Sic habet putidum & fœtidum Epistolæ exemplar: audiant & mirentur omnes, quod à viro Catholico tale virus dimanet.

Immortales Christi pugiles, Alexandriæ sublevandis lue contactis immortui 28. Februarii, Triumphales palmas in Cœlo assecuti Martyres, Thomæ Hurtado filio Ephrem, sapere ad sobrietatem.

Male feriatus es, audens in Sanctis Dei malignari, & quos Christus Martyres suos in Cœlo agnoscit, tentans de gradu dejicere, & prærogativis divinitus collatis spoliare. Tu excusans divinam prædeterminationem, qua te ad fugiendum ineluctabiliter adegerit, Hispalim lue contactam præpropere deseruisti, nec impressis per nos vestigiis institisti. Fuimus enim fortes in bello, & cum morte malorum omnium terribilissimo propter Deum generose luctati,

vitam

vitam generoſe prodigentes, per heroïcum actum charitatis, qua majorem nemo habet, decus & lauream martyrum ſumus emercati. Tu prætexens ignaviæ tuæ decreta adamantina, ſalutem æternam proximorum preſſorum extrema neceſſitate (quantum in te fuit) abjeciſti, nec contentus pretioſam vitam tuam locaſſe in tuto, mulces ſegnitiem tuam, ſatagens ab imitatione generoſæ charitatis noſtræ avertere cæteros, exagitando doctrinam nulli noxiam, miſeris utilem, vel etiam neceſſariam, Deo per honorificam, qua apud eum martyres dicimur, titulo vitæ pro veritate revelatæ ex ſupernaturali motivo deperditæ. Ita enim nos geſſimus, audientes Chriſtum docentem per Apoſtolum ſuum, ſicut Chriſtus animam ſuam pro nobis poſuit, ſic debere nos pro fratribus animas ponere. Hanc tu doctrinam ignaviæ tuæ abblandiens, & tui ſimilium tepenti charitati lenocinans, ſtramineis ratiunculis omni vitro fragilioribus oppugnas, illecebram charitatis ad miſeros ſublevandos, captatis prætextibus ſubmovens, frigidam affundens bene animatus in facinorum noſtrorum imitationem. NI SAPIS, *& quæ male in nos, ac æmulatores noſtros chartis illeviſti, retexis, manent te multa, nec levia mala à Chriſto Chryſtarcho & Epiſtate noſtro, decorumque, quibus labores noſtros remuneratus eſt, ponderatore æquiſſimo. Sat tibi fuerit fugiſſe illaudabiliter, & corii tui indemnitatem ſaluti æternæ plurimorum, quos juvare poteras, prætuliſſe. Abſiſte impulſione cæterorum ad eandem animi puſillitatem, ac dejectionem. Non abſiſtes autem, quandiu ſcripta infamantia titulos noſtros, quibus candidato martyrum exercitui conſerimur, non aboleveris. Hoc ſaltem præſta, niſi velis à Deo ſagittas ſuas ardentibus efficiente, iis involvi calamitatibus, à quarum incurſu, nulla te ad fugam adamantina prædeterminatio eximit. Sape, ſi te amas. Ne moretur te pudor noxius. Sententiam falſam nunquam tenere, prima laus eſt, ſecunda, mutare.*

Quid, obſecro, licentioſius poſſent ſcribere Lutherus, Calvinus, Melanchthon, aut Mercerus, aut alii hujus furfuris homines? Sanctos vindicatos fictitie cogit urgere

ad

ad probra & ludibria impingenda; certe quidem os putidum Leodegarinum adlambent flammæ zeli iracundi, oſcitatur, cavillatur, argutatur, dum cavillatores introducit Alexandrinos Presbyteros, & Diaconos, ad has infernales præſtigias coërcendas, & virus lernæum corrigendum, utor Aug. verbis *Epiſt.* 167. *ad Feſtum ſtatim in principio: ſi pro errore homines, & damnabili diſſenſione, & convicta modis omnibus falſitate, tanta præſumunt, ut eorum ſaluti requirenti Catholicæ Eccleſiæ inſidiari, minarique non ceſſent, quanto magis æquum eſt, & oportet eos, qui pacis & unitatis Chriſtianæ aſſerunt veritatem, omnibus etiam diſſimulantibus & cohibentibus manifeſtum ſatagere inſtanter, atque impigre pro eorum munimine, qui jam Catholici ſunt? nam ſi pertinacia inſuperabiles vires habere conatur, quantas debet habere conſtantia, quod in eo bono, perſeveranter, atque infatigabiliter agit, & Deo placere ſe novit, & procul dubio non poteſt hominibus diſplicere? Quid autem infelicius, aut perverſius, ſicut Donatiſtæ faciunt,* (quos imitatur Leodegarius Raynaudi) *qui ſe perſecutionem perpeti gloriantur, quam de coërcitione iniquitatis ſuæ per imperiale decretum* (& Leodegarius per Apoſtolicum) *non ſolum neſcire confundi, ſed etiam velle laudari, ignorantes cæcitate mirabili, vel in neceſſitate damnabili, ſe ſcire diſſimulantes, quod martyres veros non facit pœna, ſed cauſa? Adverſus autem iſtum quid dicam, cujus tam perniciosa perverſitas, quam quod ubique diffuſa ſit Eccleſia, quam mavult oppugnare, quam agnoſcere* (revereri ejus Decretum?)

Et infra. *Nunc autem, quia ipſi ſuperati ſunt* (& Theophilus ſuperatus eſt) *quia ea quæ intendebant probare, minime potuerunt* (ſicut nec potuit Leodegarius) *ſiquid patiuntur, perſecutionem vocant, nec tamen furorem peditum minime reprimunt, & honorem martyrum quærunt* (ſicut Leodegarius verum martyrium charitatis ſine licentia quæritat, ſpreta Romana cenſura, ſicut & illi Regia) & infra. *Datum in urbe Romana Epiſcopale judi-*

cium,

cium, in quo primum victi sunt (& victus fuit Raynaudus) *apud quem novissime superati in sua perversitate permanserunt. Puto quod ipse Diabolus, si authoritate judicis, quem ipse elegerat, totiens vinceretur, non esset tam impudens, ut in eadem causa persisteret*, ut persistit Leodegarius Raynaudi, qui non confidens congregationi Eminentissimorum Cardinal. provocavit ad summos Pontifices Urbanum VIII. & Innocentium X. ut ab aliis Censoribus revideretur libellus, & tandem re mature examinata & discussa, lata est sententia damnationis. quid ergo ad sanctos Alexandrinos recurris, ut in me invehantur? ipsi in cœlo tibi irrident, & contemnunt, quia adducis in falsitatis advocatos. prorsus ignoro, ni phreneſi aut lethargo labores, quomodo in has nugas abeas.

Quid igitur hîc faciat Ecclesia (inter Raynaudum & Leodegarium suum) *medicina, salutem utriusque materna charitate conquirens, tanquam inter phreneticos, & lethargicos æstuans?* (ait Augustinus) *nunquid desistere vel debet, vel potest? utrisque necesse est sit molesta, quia neutris est inimica. Nam & phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari, sed perseverat diligentia charitatis phreneticum castigare, lethargicum stimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, sed ambo diliguntur, ambo molestati, quamdiu ægri sunt, indignantur.* Sic indignatur contra me Leodegarius Raynaudi, & Sanctos Alexandrinos indignatos contra eum magno ipsorum dedecore introducit, & non solum contra me, sed contra Congregationem Romanam, & summos Pontifices, qui damnationi libelli de martyrio per pestem assensum præbuerunt; quasi facilius fit hæc humana Eminentissimorum judicia circumveniri, aut falli, aut corrumpi posse, quibus consensit sedes Petri, quam judicia emendicata, & non è cardine Ecclesiæ loquentia, quibus dissentit summus Pontifex, rectus gubernator Ecclesiæ, & semper rectus in doctrinis secernendis. Jure conqueritur Aug. de Juliano *lib. 1. contra ipsum cap. 5. tantumne apud te possunt Pelagius & Cælestius, ut à solis ortus usque ad occasum tot ac tantos Catholica*

lica fidei Doctores, & defensores antiquos, & nostræ ætati contiguos dormientes & manentes (sicut manet sedes Petri, & Sacra Congregatio, cujus decretum contra te ab illa fuit consignatum) *disserere.*

Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? Quæ abs te arma non fugient, nudumque destituent? an forte dicturus es, neminem illorum te in isto crimine nominasse? De Patribus Antiquis poteris dicere; at nequibis affirmare, Leodegari Raynaudi, de Patribus conscriptis purpuratis, de Cardinibus Ecclesiæ; qui de consensu capitis & Patris ac Pastoris communis te nominarunt expresso nomine, & damnarunt *libellum de martyrio per pestem*, dicentes: Theophili Raynaudi disquisitio Theologica, &c. iterum te rogo, iterum te admoneo; aspice tot ac tales Ecclesiæ Catholicæ defensores atque Rectores: vide, quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaris injuriam. Sanctissimo Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quam isti, in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, te introduxi. Desine ergo sanctos Confessores Alexandrinos ad invectivam provocare, qui suo titulo sunt contenti, nec indigent fictitio, quem illis appingis.

Sed his obiter dictis; veniamus ad splendidissimam solutionem argumenti re ipsa ineluctabilis & insolubilis, si doctrinam ethicam, quam omnes Doctores Catholici sequuntur, & tu sine fundamento insequeris, & persequeris. Dicis enim *n.* 59. *Adverte sermonem Hurtado. Quæ te oscitantia perpulit, ut scriberes sensum Ecclesiæ plane ferre (atque adeo de fide esse) fortitudinem ethicam, cujus actus est martyrium versari tantum circa pericula bellica? In quo registro Pontificio, vel in qua Conciliari Pinacotheca deprehendisti, aut constitutum legisti, fortitudinem ethicam habere pro objecto fundante martyrium sola pericula bellica? Premo, inculco, insisto, in qua Decretali Pontificia fortitudinem ethicam (cujus actum vis esse martyrium) in sola pericula bellica occupari? Neque vero Aristoteles, quem*

tu

tu inepte ſtatuis amuſſim definitionum Eccleſiaſticarum, tale quid habet. actu comminiſceris. Ariſt. enim non niſi exempli gratia proponit pro fortitudinis objecto bellica pericula, tanquam ſplendidiſſima, & apud mortales laudatiſſima; Non tamen habet pericula pro objecto adæquato fortitudinis; & patet; quia cum præmiſiſſet fortitudinem verſari circa illuſtria mortis pericula, addit; & talia ſunt pericula bellica, non ſola (ut fingit Hurtado) at talia ſunt inter cætera ejuſdem generis. Quo pacto Ariſtotelem accepere optimi quique interpretes, ut Iulius Paceius, Balfoureus, Giffanius, Peregrinus. Inter pericula porro illius generis, in quibus deſpicientia mortis illuſtrius micat, recte numerari horrorem calamitatis publicæ per tempus peſtis, norunt, qui viderunt. & cætera in quibus ſpatiaris, luna plena conſcripta.

Hæc eſt prima Leodegarii Raynaudi ſolutio, quam omnino diſſolute, & abſque fronte *ſtrophis* plenam adhibet meo, ut dixi, ineluctabili argumento; imprimis ego non dixi fortitudinem eſſe ſolum circa pericula in bello, ſed quod primaria materia & objectum eſt periculum mortis bellicum, & ſuſtinere mortem in bello, ut jam demonſtro. Deinde ego non ſomniavi aſſerere, eſſe conſenſum Patrum, & per conſequens, quod ſit de fide per ſe, quod fortitudo ethica verſetur circa pericula bellica, tanquam primariam adæquatam materiam & objectum; ſed quod dixi, (& obcæcatus non intellexiſti) eſt, eſſe Patrum conſenſum martyrium, præcipuum actum fortitudinis ethicæ, ſicut objectum Religionis eſt cultum deferre Deo (ſive quis poſſet pati martyrium immediate per actum charitatis, ſive non, quod in ſecunda tua ſolutione expendam, ne tibi ſuperſit refugium aliquod) quid autem ſit actus præcipuus; & objectum primarium fortitudinis, quamvis ex Patribus & Scriptura poſſet deduci, tamen Philoſophi Ethici, & Theologi agentes de virtutibus tradidere, quibus ſtandum eſt, & non ex proprio marte confingendum, ſicut conſenſus omnium Patrum eſt, quod in Chriſto ſunt virtutes Ethicæ, quod ſit charitas

tas habitualis, dona Spiritus Sancti, & similes perfectiones; tamen quæ sint primaria objecta harum virtutum, ex Theologis & Philosophis Ethicis venanda sunt, & illis standum, alias nihil firmum erit.

Igitur manifestissimum est, quod As & D. Tho. objectum primarium fortitudinis ponunt circa pericula optima mortis, quæ solum sunt in bello. de Aë. compertum est. *ex 3. Ethicorum cap. 9. lect.* 14. apud S. D. juxta versionem Argyropyli, quæ clarior est. *At* (inquit) *enim neque circa omne genus mortis vir fortis est, & habetur. Non enim circa mortem eam, quæ fit in mari, aut evenit nobis in morbis. circa quam ergo mortem vir fortis erit? An circa ea, quæ est pulcherrima? talis autem est ea quæ fit in bello* Circa quæ verba sic S. Commentator Philosoph. *litt. h.* sic fatur. *Dicit ergo* (As) *primo, quod neque etiam fortitudo est circa mortem, quam aliquis sustinet, in quocumque casu vel negotio, sicut in mari, vel in ægritudine, sed circa mortem quam quis sustinet pro optimis rebus, sicut contingit cum aliquis moritur in bello propter patriæ defensionem, & eadem ratio est de quacunque alia morte, quam quis sustinet propter bonum virtutis; sed specialiter facit mentionem de morte in bello, quia in tali negotio, ut frequentius, homines sustinent mortem propter bonum.* Sed prosequitur As & determinat circa quam mortem sustinendam, & dicit *Is igitur proprie dicitur fortis, qui circa honestam mortem, & ea omnia, quæ repente eveniunt, atque afferunt ipsam, interritus est; hujusmodi enim sunt ea, quæ contingunt in bello. Quin etiam & in mari, & in ipsis morbis vir fortis timore vacat, non tamen ita, ut nautæ, fortes enim & de salute sua desperant, & mortem talem aspernantur, illi autem spe propter experientiam sunt freti.* Circa quæ verba D. Tho *ibi litt. n.* dicit. *quod principaliter dicitur aliquis fortis ex eo, quod impavide se habeat circa bonam mortem, sicut omnis fortis ordinatur ad bonam. & circa pericula illativa mortis, præcipue si sint repentina. & litt. m.* ostendit (As) *quomodo se habeat impavide fortis circa alias mortes, & dicit quod consequenter & in mari, &*

in ægritudinibus fortis est intimidus, quia videlicet non stupescit, & non turbatur propter timorem talium, aliter tamen sunt intimidi, fortes in mari qua marinarii. Nam fortes, etiamsi non sperent salvari, tamen non timent, contemnentes hanc mortem. Non enim tantum de ea curant, ut inordinate commoveantur, sed marinarii sunt intimidi in periculo maris, in quantum sperant se posse bene evadere propter experientiam.

Exquibus Af. verbis enucleatis à S. Commentatore (quem sequuntur illi moderni interpretes, quos obtrudis) duo manifestissime habentur, quibus non nisi insscius & ineptus potest contra dicere. 1. Quod objectum fortitudinis proprium & primarium non est mors quomodocumque contempta, sed est mors honesta & bona, quia fortitudo sicut omnis alia virtus Ethica, ordinatur ad bonum & honestum, atqui mors non est primario & proprie honesta; nisi sustineatur propter bonum virtutis, ad quam pertinet impavidum facere, ne quis timeat ea, quæ bono & optimo opponuntur. Unde vere & pulchre D. Thom. 22. *q.* 124. *art.* 2. dicit *in Solut. ad* 2. *argumentum*: in quo fere omnia tela, quæ Raynaudus jecit contra veritatem, ex ratione, authoritate Sacræ Scripturæ, & Patrum, compilavit, & ea his verbis confregit. *In actu fortitudinis duo sunt consideranda, unum est bonum, in quo fortis firmatur, & hoc est fortitudinis finis. Aliud est firmitas* (attendat, obsecro, malus Philosophus, & pejor Theologus Leodegarius Raynaudi) *qua quis non cedit contrariis prohibentibus ab illo bono, & in hoc consistit essentia fortitudinis.* Quid amplius egemus testibus? de essentia fortitudinis quoad ejus primarium actum est firmitas, qua quis non cedit contrariis prohibentibus ab illo bono, quod quis habet pro fine, dum sustinet mortem propter illud; à quo habet quod sit mors bona & honesta.

Quare ubi non sunt contrarii prohibentes ab illo bono propter quod suscipitur mors, non erit firmitas primaria fortitudinis, qua non ceditur contrariis, & à qua mors habet primariam honestatem fortitudinis propriæ Ethi-

cæ,

cæ, ſed ſecundarium & conſequentem; alias qui deſperati de vita in maris procella mortem contemnentes, illam ſuſtinent propter Deum, mortem ſuſtinerent ex primario actu fortitudinis: ſimiliter & illi, qui contagium non fugiunt, non tamen inſerviunt infirmis, nec ſe ad illud exercitium offerunt, primario fortes erunt; quod & ridiculum eſt & expreſſe contra Am. Unde non quælibet mors oppetita propter Chriſtum eſt actus primarius fortitudinis, etſi ſit actus perfectiſſimæ charitatis & conſequentis fortitudinis, ſed mors oppetita propter Chriſtum impugnatum ab iis, qui veritatem ſuæ fidei impugnant, firmitas enim, qua quis his oppugnatoribus contemptis perſiſtit in veritate Chriſtiana, talis proprie eſt fortis, quia circa honeſtam mortem verſatur impavidus, non obſtantibus oppugnatoribus.

2. Quod deducitur ex hoc primo, eſt quod *licet Aſ.* in hoc loco, ut explicaret objectum primarium fortitudinis, poſuerit exemplum, in morte in bello, & in periculis bellicis repentine mortem inferentibus; cæterum ut ex D. Thom. retulimus, eadem eſt ratio de quacumque alia morte, quam quis ſuſtinet propter bonum virtutis, à cujus ſcilicet bono contrarii prohibent, quibus quis non cedit ob bonum virtutis, quod habet pro fine, & ſic in eo eſt firmitas primaria fortitudinis, & ſic verus eſt fortis & proprie, ex motivo fortitudinis mors eſt optima, ſitque proprie martyr, ut fuit S. Joannes Baptiſta, qui ob defenſionem virtutis decapitatus eſt. S. Thom. Cantuarienſis, & alii multi.

Sed accedant in hujus veritatis firmitatem D. Angelicus & Eminentiſſimus Cajet. qui ineluctabile ponunt illius fundamentum, quod eſt principium Ethicum. S. Doctor 22. *q.* 123. *art.* 5. hujus titulus ſic præfigitur. *Vtrum fortitudo proprie conſiſtat circa pericula mortis quæ ſunt in bello?* Et cum hinc inde quæſtionem ancipitem conſtituerit, ita Reſp. in corp. ait. *Sed quia fortitudo virtus eſt, ad cujus rationem pertinet, quod ſemper tendat in bonum; conſequens eſt, ut homo pericula mortis non refu-*

giat propter aliquod bonum consequendum. Pericula autem mortis quæ sunt ex ægritudine, vel ex tempestate maris, vel ex incursu latronum, vel si quæ alia sunt hujusmodi, non videntur alicui directe imminere, ex hoc quod prosequatur aliquod bonum; sed pericula mortis quæ sunt in bellicis, directe imminent homini propter aliquod bonum, in quantum videlicet defendit bonum commune per justum bellum. Potest autem aliquid esse justum bellum dupliciter. Uno modo generale, sicut cum aliqui decertant in acie: alio modo particulare, puta cum aliquis Iudex, vel etiam privata persona non recedit à justo judicio timore gladii imminentis, vel cujuscumque periculi, etiamsi sit imminentus. Pertinent autem ad fortitudinem, firmitatem animi præbere contra pericula mortis, non solum quæ imminent in bello communi, sed etiam quæ imminent in particulari impugnatione, quæ communi nomine bellum dici potest: & secundum hoc concedendum est, quod fortitudo proprie est circa pericula mortis, quæ est in bello, sed circa (attende Bucca fœtide) pericula cujuscumque alterius mortis fortis bene se habet, præsertim quia homo cujuscumque mortis potest periculum subire propter virtutem, puta cum aliquis non refugit amico infirmanti obsequi propter timorem mortiferæ infectionis, vel cum non refugit itinerari ad aliquod pium negotium prosequendum propter timorem naufragii, vel latronum. Et *in Solut. ad* 1. Enucleans quomodo martyres habuerint primarium objectum fortitudinis, dicit *quod martyres sustinent personales impugnationes propter summum bonum, quod est Deus: ideo eorum fortitudo præcipue commendatur, nec est extra genus fortitudinis, quæ est circa bellica. Unde dicuntur fortes facti in bello.*

Ex tanti Doctoris doctrina colligit Eminentiss. Mag. Cajet. *ibi. §. quo ad secundum. Sciendum est secundo, in hoc differre materiam fortitudinis, circa quam est fortitudo ab impaviditatis materia in periculis mortis propter ægritudinem, vel tempestatem maris, ut in littera optime dicitur, quia fortes imminent periculis directe propter aliquod bonum conservandum, &c. Ægritudinis autem & maris pericula*

pericula non imminent directe propter boni impugnationem, etiamsi propter pias & sanctas causas navigant. Quod ex eo patet, quod communia sunt omnibus in mari tunc existentibus ex quacumque causa. Ex hoc siquidem habes quod in fortitudinis exercitio semper oportet intervenire duo, scilicet id de quo est pugna, puta fides, Iustitia, Regnum, &c. Et hoc ex parte materiæ, circa quam: & ipsam pugnam inter impugnantem & impugnatum. Et hoc ex parte formæ, seu habitus fortitudinis. Quod enim exigatur id de quo ex pugna patet, quia aliter fortitudo non haberet propriam materiam, scilicet pericula mortis; optima namque sunt optima propter bonum, de quo est pugna. Quod vero exigatur pugna aliqua, patet; quia aliter fortis non persisteret in boni proprii exercitatione.

His duobus testibus conformantur omnes fere qui post Am. scripsere de fortitudine Ethica, Antiqui & R. R. usque ad Raynaudum, nec aliquis posuit propriam fortitudinem, nisi circa mortem illatam, aut illius pericula mortem inferentia, ab impugnante illam, circa quæ non timenda firmitatem facit fortitudo, ut illis non cedat quis; & *in hoc consistit essentia fortitudinis*, atque in communi contagio nullus est, qui pugnet contra bonum fidei, charitatis, aut alterius virtutis supernaturalis, nullus est qui prohibeat ab harum virtutum bono; ergo dum quis impavide ministrat infirmis peste infectis, non est proprie in eo fortitudo, ergo non est proprie martyr. Utraque consequentia manifesta est, quia in eo non est essentia fortitudinis, quæ consistit in hoc quod quis non cedat contrariis prohibentibus ab illo bono, quod non habet, qui voluntarie se offert ministerio infirmorum lue infectorum; etsi enim pestis bellum divinum dicatur, quod gerit Deus in vindictam peccatorum, & bonorum exercitium: cæterum non impugnat, aut prohibet quod quis se exerceat in bono charitatis erga infirmos, etsi interfit periculum mortis, imo & in hoc exercitio maxime delectatur, & commendat ut fiat. Unde tales ministri impavidi quidem sunt propter Christum amatum, at

non ſunt fortes mortem oppetentes propter Chriſtum impugnatum.

Ex quibus liquido conſtat, quanto jure, & gravi fundamento Sacra Congregatio Cardinal. oppilarit os Raynaudi, ejuſque temerariam novitatem repreſſerit. Hanc eſſe eſſentiam fortitudinis Ethicæ, ſi Leodegarius Raynaudi pia humilitate inſiſteret & inculcaret, inveniret, etſi non expreſſe, in *Conciliari Pinacotheca aut Decretali Pontificia conſtitutione, at in Regiſtro Pontificio librorum prohibitorum Sacræ Congreg Pontificiæ de Indice*, in quo regiſtratus eſt liber Raynaudi *de martyrio per peſtem*, & alii libri ejuſdem in integrum damnati. Aſt turgido faſtu ſuperbus, & temeraria præſumptione inflatus, hoc Pontificium Decretum parvi pendit, non cum parvo damno Eccleſiæ, *ut infra pag.* 5. monſtrabo. Bene tibi & tui ſimilibus, qui depoſitum antiquæ, ſanæque doctrinæ ſuis novitatibus depilare contendunt, dixit celeberrimus ille ſemper Vincens Vincentius Lirenenſis. *cap.* 26. *contra prophanas vocum novitates Depoſitum cuſtodi. Quid eſt depoſitum? ideſt quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in quo non auctor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens, nolo mihi pro aliis alia ſubjicias, nolo pro auro imprudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas*, hoc tuum novum proprium martyrium, hanc tuam novam fortitudinem à te inventam, à te excogitatam Purpurati proclamant *rem eſſe ingenii uſurpationis* (nominis martyrii) *privatæ, non doctrinæ, & publicæ notionis traditæ ab incunabulis Eccleſiæ, in qua te auctorem, non cuſtodem, inſtitutorem* (ſicut & reſtrictionis mentalis) *non ſectatorem agnoſcunt.* Quare pro vero martyrio, *fictitium & plumbeum, non aureum, ſed æramenta ſupponis. Antiqui uſque ad nos nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his.* Leodegario & Raynaudo circa proprium martyrium chari-

charitatis) *delirarunt*, ut bene Irenæus de Novatoribus sui ævi *lib. 3. cap. 3.*

PARS III.

Tertium fundamentum à rapacitate Leodegarii Raynaudi liberatur.

Etsi à libera loquacitate Leodegarii Raynaudi liberi non sunt Eminentissimi & integerrimi judices Cardinales Sacræ Congregationis, præsumptio erit me ab ipsa liberari; *Loquacitas enim temere ac præter decorum nugatur, & frustra declamat. Quippe* (inquit Theophrastus in Ethicis caracteribus) *loquaci durum est tacere; linguam enim tanquam in udo habet, atque adeo præ quavis hirundine garrulus videri ille malit, quam tacere.* Et ut ait Sarisbariensis. *lib 5. Policratici. cap. 6. strepit* (Leodegarius) *velut rabulus anser immixtus oloribus, omnem materiam credit aptam litigiis*, cum sententiam Congreg. quæ in publicata transit in rem judicatam, loquacitate sua obstrepens, ut rabulus anser se immiscet sacris purpuratis oloribus & litigiis vult obscurare sententiam. Quare quis me liberabit ab hujus leonis fœtida loquacitate & rugitu? sed fundamentum quod tertio loco ponitur ab eo facile defendam; sic enim ipsum proponit *num.* 64.

Novellam (sic appellat) opiniunculam Raynaudi altero ineluctabili argumento, ut vult, quatit Hurtado, quod scilicet martyrium sit opus alienæ violentiæ, & Tyranni persecutoris, qui hîc desideratur. Sic porro auspicatur hujus argumenti texturam. Verum enimvero Theophilus iste aquilas Ecclesiæ noctuis jungit? Cum enim Patres & Doctores Ecclesiæ tanquam perspicaces aquilæ verum martyrium à violenta aliena illatum viderint, sole aperto veritatem martyrii noctuis objicit conspiciendam, quam ad radios solares expositam aspicere satagunt, sed excutiunt, & aspicere nequeunt. Nimirum judicio Hurtadi omnes Doctores martyrium definiunt per violentiam à Tyranno per-

ſequente illatam, contra quam fecit Theophilus; quem cenſet à Philippo Abbate Bonæ ſpei ſpiritu Prophetico impugnatum in Epiſtola Duaci approbata à Franciſco Sylvio anno 1617. *Vnde concludit Hurtado. Valeat ergo Raynaudus, novellam hanc opinionem introducens. Vtinam ut mus piſcem deguſtet! Alias Margites erit; cum alias eruditione valde lectus, & egregius ſit. Sed caveat, obſecro, thoracem, & frænet linguam, ne voces petulanter emiſſæ per jugulum maximo decoris dolore exeant; etſi enim colore pietatis, & dulcedine charitatis ductus hanc protulerit ſententiam. tamen in apes irruit, quæ Eccleſiaſtico aculeo circumvolantes, ipſum impetunt, & fugientem perſequuntur.*

Huic magnifico & præclaro fundamento, quod eſt unum ex præcipuis, cui nixa eſt Sacra Congregatio, videns Leodegarius ſuam nuditatem & pauperiem, ſolum dicit: *Hoc argumentum inter antiquas objectiones quarto loco jam adductum eſt, atque contritum monſtrando ad verum martyrium non exigi Tyrannum perſecutorem*; ſed ego pariter plumbeos malleos, & vitrea inſtrumenta, quibus intentavit Leodegarius hic demoliri hoc fundamento, tanquam ſtipulas ante faciem venti diſſipavi. §. 3. *pag.* 4. quibus nihil addere oportet, manet enim & manebit ſemper firmum, ſemperque inconcuſſum; ea quæ addit Leodegarius, quæ nihil conducunt ad argumenti ſolutionem, jam ibidem obiter diſſipavi; ſunt enim næniæ & ſtrophæ pueriles, & *ſi quid eſt vilius iſtis.* Quis iſti revelavit, quod dum nominavi apes, quæ aculeo circumvolantes Eccleſiaſtico ipſum impetunt, & etiam fugientem ſequuntur, me uſum fuiſſe verſu pſaltis, *circumdederunt me ſicut apes*; & non in ſignificatione allegorica? Origenes *in Iſaiam* dicit quod apes ſignificent Apoſtolos & ipſum Chriſtum, velut apum regem, & Sacerdotes, adde & Cardinales qui in ore Chriſti favum ſuaviſſimæ doctrinæ conficiunt, & habent aculeum, quo contradicentes transfigunt. Sic allegorizant apes Origenes *hom.* 2. *in Iſaiam.* Ambr. *ſerm.* 83. quis, inquam, tibi revelavit? an aliquis martyrum tuorum, in gratiarum

actio-

actionem, quod ficto titulo eos honores? an de tua maledicentia dimanavit, qua impingas opprobrium? Certe quidem novorum leonum creator, unum facis mortuum, ut tanquam in timidum leporem insultes; alium vivum; ut impugnet Cardinales, & te audacissime ac temerarie propugnet, sed incassum, quia mutata sorte, leo quem putabas mortuum, vivit, ut Ecclesiæ Decretum & se defendat; at quem putabas vivum leonem, *simia est induta pelle leonis*, qua ablata, simia semper manebit.

PARS IV.

Quartum fundamentum eruitur ab aranearum telis, quibus Leodegarius Raynaudi, illud irretivit, falsitate contextis.

Quod sic ædificat *n.* 66. *Ministri ægrotorum, de quibus hîc agitur, non confitentur fidem, sed moriuntur ex charitate pro aliis. At hoc non sufficit ad martyrium, quum quidem nec idem Christus martyr est ex hoc capite quod mortuus est pro nobis. nam ut ait* D. Tho. 22. q. 124. art. 4. (*verba Hurtadi appendo*) *ad martyrium pertinet, quod homo testificetur fidem: ubi autem non est hujusmodi testificatio, vera martyrii ratio non subsistit. Hæc enim est genuina, vera, antiqua, primordialis, & usitata apud Patres & Ecclesiam notio martyrii, & quæcumque alia introducatur, fictitia & novitia est; & sic prorsus explodenda; hoc est meum argumentum, etsi vivacius à me propositum, agnosco illud, & recognosco malitiam, & dolum quem ille malus Commentarius exædificare tentat.*

Respondetur: si hæc Hurtadi assertio crude accipiatur, non esse tollerandam; ex ea quippe sequeretur eradendos esse martyrum albo S. Ioannem Baptistam, S. Tho. Bechetum Cantuariensem præsulem. S. Stanislaum Cracoviensem, aliosque omnino multos, qui non sunt mortui confitendo explicite fidem, sed propter aliquam veritatem revelatam. Itaque si stemus verbis Hurtadi, fatendum est eum insolentissimæ insaniæ reum teneri. Sic enim S. Aug epist. 118.

pronuntiavit de attollentibus cristas adversus Ecclesiæ communem sensum. Extat egregia in hanc rem disputatio B. Anselmi cum Lantfranco prædecessore suo, cui durum videbatur S. Elfegium vocari martyrem, cum non fuerit cæsus in odium fidei Christianæ. Monstravit autem S. Anselmus omnem virtutem Christianam esse idoneum subeundi martyrii fundamentum, & acquievit Lantfrancus. Ut narrat Edinerus, & habetur in ipsius Lantfranci vita cap. 17. Hæc Heduus Quintinus Raynaudi.

Pulchre S. Hilarius *enarrat. in Psal.* 119. *ad versus* 3. *&* 4. *quid detur tibi, aut opponatur tibi ad linguam dolosam ? sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. ideſt* (ait S. D.) *quid tibi adversus falsitatem hujus præsidii afferetur? Responsum est, sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Solæ enim Domini potentes sunt sagittæ, quæ linguam dolosam valeant configere, habentes in se virtutem perimendæ fraudulentiæ atque vastandæ.* Quis major dolus ? Quæ major fraudulentia, falsitas, & mendacium, quam ut me notet imponere, quod dixerim, cum contrarium semper probarim, docuerim, & tanquam verissimum propugnarim ? monstra Leodegari Raynaudi, ubi ego dixerim, vel leviter insinuarim, quod ad martyrium requiratur explicita confessio fidei, & quod non sufficiat mors pro defensione alicujus virtutis supernaturalis, aut immunitatis jurium Ecclesiæ, in cujus odium quis interficiatur, proprius & verus martyr est, id quod expresse dixi & Catholicum esse monstravi *Resol.* 25. §. 2. ex D. Tho *q.* 224. *cit. art.* 5. & est indubitatum inter Catholicos.

Quare tu, Leodegari Raynaudi, insolentissime insanus es & fallarii crimine reus; cum enim quid argumento responderes, non haberes, ad mendacia, & falsas impositiones recurris, ut ad præsidium tuæ novitatis falsus calumniator intendisti (ut *fugeres à facie arcus* Romani) arcum, parasti sagittas tuas in pharetra falsitatis, ut sagittes in obscura luna rectum sermonem. Audi Aug. *enarr. in Ps.* 10. ad illa verb. *vers.* 3. *paraverunt sagittas suas in pharetra,*

retra, ut ſagittent in obſcura luna (ſic legit S. D.) *rectos corde. Quoniam quæ tu perfeciſti, deſtruxerunt.* Omnes (ait novitatis perverſæ amatores) *quantum in ipſis eſt, deſtruxerunt laudem, quam ex ore infantium & lactentium perficis Deus, dum quæſtionibus vanis & ſcrupuloſis exſagittant parvulos, & eos nutriri fideli lacte non ſinunt* Quare te terreant, *qui intenderunt arcum ad ſagittandum in obſcura luna rectos corde? Reſpondet ideo utique me terrent, Quoniam quæ perfeciſti, deſtruxerunt. Vbi, niſi in conventiculus ſuis, ubi parvulos & interioris lucis ignaros non lacte nutriunt, ſed venenis enecant?* Hæc tibi ſcripſit, contra te, qui cum ſis deſtructor ejus quod Eccleſia à ſuis incunabulis ex *ore infantium & lactentium* perfecit, quod martyr non eſt, niſi qui enecatur à Tyranno in odium fidei, aut alicujus virtutis ſupernaturalis, *quæſtionibus vanis parvulos exſagittas, non lacte nutris*, ſed *venenis falſitatis enecas.* & ne hoc dicam, me terres tanquam inſolentiſſimæ inſaniæ criminor. Pro me reſpondet S. Ambr. *ſerm. 21. in Pſal. 118. Qui loquitur juſte, & non audiatur, qui laqueatur plena ſalutis* (& veritatis) *& impugnetur, ut poſſit dicere; cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur perſecutionem patitur, qui impugnatur ſine crimine, impugnatur ut noxius, cum ſit in tali confeſſione laudabilis. Vere fruſtra impugnatur, qui apud impios impietatis accerſitur. Cum fidei ſit* (& veritatis) *magiſter.* Cujus operis tu corruptor in multis es.

PARS V.

Cavillatio contra quintum fundamentum, quam ſubdole fecit Leodegarius, aperitur, & propalatur.

Quintum fundamentum ſic erigit Leodegarius. *n.* 67. *Ille non eſt verus martyr, pro quo poteſt fundi oratio; juxta illud Innocentii III. Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. Atqui pro morientibus in obſequio luè contractorum orandum eſt, ut habet praxis recepta. Igitur*

non

non ſunt Martyres. Hoc argumentum Hurtado Reſol. 43. §. 7. ait eſſe evidentiſſimum contra imaginationem Raynaudi.

Hoc fundamentum deprimit ſic. *Reſpondeo. Imaginatio oblæſa Hurtadi, potuiſſet ab eo corrigi, ſi librum de martyrio per peſtem legiſſet animo intelligendi veritatem, non affectu hoſtili, ac bruto, ad cavillandum & mordendum dumtaxat. nam dicto lib. p 3. cap. ult. in fine fuſe dicitur etiam pro martyribus fidei fundendam eſſe orationem, donec vindicatio Eccleſiaſtica interveniat, ut recte pronunciavit Molanus lib. de tribus quæſtio. cap. 6. ad 2. ergo Hurtado æque probaret cæſos pro fide non eſſe coram Deo martyres, quia ante vindicationem Eccleſiaſticam poteſt pro eis fundi oratio, ſicut vere fuſa eſt pro Carthuſianis ab Henrico VIII. directiſſime in odium fidei Catholicæ trucidatis, quia Eccleſia non declaraverat in eorum cæde intervenisſe omnia, quæ ad verum martyrium requiruntur. Similiter ergo funduntur prèces pro immortuis miniſterio charitatis, quum Eccleſia vindicationem martyrii eorum non interpoſuit. Abſiſtitur tamen oratione pro eis, cum primum fuerint vindicati. Vnde pro S. S. Alexandrinis, quorum Martyrium Eccleſia 28. Februar. vindicavit, nefas eſt orare, aliave ſuffragia adhibere. Secus eſt de eorum imitatoribus ante Eccleſiaſticam vindicationem.*

Mira jactantia Leodegarii depilatoris, raſoris meorum capillorum novaculæ *Doëg Idumei* Potentiſſimi Paſtorum Saul, te alloquitur Aug. *enarrat. in Pſal. 51. quid facturus es, ô potens, quid facturus es? multum te jactas, occiſurus & hominem hoc & ſcorpius, hoc & una febris, hoc & fungus malus. Hæccine redacta eſt omnis potentia tua, ut uni malo fungo coæquatur, tota potentia tua, tota cogitatio iniquitatis, tota meditatio malignitatis in lingua, ſine intermiſſione quid egit? quid fecit? ſicut novacula ācuta feciſti dolum. Ecce quod ſanctis faciunt, mali capillos radunt. Quid ergo factura eſt novacula Doëg, homini veritatem defendenti? Quid eſt factura illa novacula? Capillos raſura, calvum factura eſt, & hoc ad Chriſtum pertinet. ergo amat*

ſicut

ſicut novaculam acutam linguam ſuam Doëg acuat, dolum quantum poteſt ablaturus eſt ſuperflua nunquid neceſſaria ſempiterna veritatis. Hæc ex Aug. acuat linguam ſuam Doëg Idumæus Leodegarius Raynaudi, acuat dolum, ſicut *novaculam*, me *brutum*, *mordacem*, *cavillatorem* dicat; quid factura hæc *idumæa novacula?* capillos raſura, calvum factura; ſed *hoc ad Chriſtum pertinet* ejuſque diſcipulos, qui ibant gaudentes à conſpectu Concilii malignantium, quia *digni habiti ſunt pro nomine Ieſu* & veritate prædicanda *contumeliam pati.* Quid gloriaris in fronte libri, *de iterata vulſione*, & *depilatione mea*, quaſi hoc non faceret *novacula Idumæi Doëg?* quaſi hoc non faceret vilis barbitonſor? huccine redacta eſt omnis potentia & gloriatio tua, ut uni Idumæo, & vili barbitonſori coæquetur: ecce quod ſanctis & bonis faciunt mali, capillos radunt; vellunt, depilant, quod facis volſella tua, ſicut anus quæſtuaria, & vix invenis vel lanuginem probroſam, ſed doctrinam omni acceptione dignam, quam ſæpe recepit Eccleſia.

Verum ad diſcuſſionem eorum, quæ in ſolutione mei quinti fundamenti dicit, accedo. imprimis corruptor iſte mei libri, falſo citat *Reſol.* 43. §. 7. quod ibi hoc argumentum poſuerim. ibi enim ſolum probavi, non eſſe pro martyribus orandum, ne illis injuria inferatur. *Reſol.* 62. §. 16. illud conſtruxi, & non dixi eſſe *evidentiſſimum argumentum* contra imaginationem Raynaudi; ſed quod re vera urget, ibique triplicem ſolutionem, quam adhibet argumento diſcuſſi. primæ & ſecundæ non facit mentionem Leodegarius, quia compreſſas videt à me. Prima enim manifeſte eſt temeraria & impia; ait enim *n.* 9. *cap.* 6. *p.* 3. *Imprimis mihi non ſatis conſtat, quis uſus in hac parte univerſaliter vigeat: ſuppoſita autem univerſitate vel etiam frequentia majore & communiore uſurpatione, uſus illius erit, qui illud reponat ex Concilio Carthaginenſi apud Aug. lib.* 6. *de Baptiſ. cap.* 37. *in Euangelio, Dominus dicit: Ego ſum veritas, non ego ſum conſuetudo; itaque veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati.* Quod

ex

ex Tertul. depromptum lib. de Veland. Virg. cap. 1. & firmatur ex Concil. Turon. ſub Alexand. III. ſanciente, veritati nullam quantumvis inolitam conſuetudinem præſcribere, nec invaleſcere longo temporum ductu. Breviter & concinne idem tradit Cyprianus epiſt. 74. cum ait: conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. Erit, inquam, qui contra ſtatuat, uſum illum ad abuſum pertinere, & ex non ſatis explorata veritate ſententiæ, cui ſubſcripſimus inductum probabiliter, atque retentum fuiſſe ab his, qui aliter opinabantur.

Hæc eſt prima hujus argumenti ſolutio, quam non impugnat, nec rejicit Raynaudus, & eam defendendam non reaſſumit Raynaudi Apologiſtes, eam ego impugnavi loco cit. & modo expugno manifeſto argumento ad hominem contra Raynaudum, qui aſſerit pro quocunque etiam martyre occiſo in cauſa fidei, & in ejus odium, niſi ſit vindicatus ab Eccleſia, poſſunt fundi Orationes, & fieri ſuffragia; hoc enim indubitatum eſt, & omnibus Catholicis conſtat; vindicatio enim ſolemnis, ſive particularis, quæ dicitur *Beatificatio*, ſive univerſalis, quæ dicitur *Canonizatio*, certam facit & ſecuram hominis Beatitudinem; ergo cum certum etiam ſit, quod ſummus Pontifex eorum qui moriuntur in hoc charitatis miniſterio, non vindicet ſanctitatem, ergo omnibus debet conſtare, quod ſit univerſalis uſus, & praxis Eccleſiæ, quod pro iſtis poſſunt, & debent fieri preces, & fundi ſuffragia, ſicut pro aliis defunctis. Qua ergo fronte in dubium vertit Raynaudus hanc praxim, uſum iſtum univerſalis Eccleſiæ in dubium vertit? dicens: *ego vero ea ſuppoſitione facta* (ſive ſuppoſito, quod generalis, vel etiam communior uſus ferat, ut Chriſtiana ſuffragia perſonis, de quibus agimus, impendantur) *illud imprimis ſtatuo*, &c. & progreditur ad ſecundam ſolutionem mei argumenti, quam loco citato late, & à priori, & ab abſurdo impugnavi.

Videas candide Lector, quam *acuta ſub dolo ſit novacula Doëg hujus Idumæi*, non vult concedere abſolute uſum & praxim Eccleſiæ orandi, & ſuffragia faciendi pro his, de

de quibus est sermo, *sed suppositione* (ait) *ea facta, quod ita sit*; quasi possit praxis ista deficere, & consuetudo possit esse sine veritate, & *vetustas erroris sit*. imo est cum summa veritate, ut tua novitas erroris sit, & præsumpta temeraria audacia, qui absolute non vis concedere, quod olfacis tibi opponi. Quid ex suppositione loqueris, quum absolute debes concedere id, quod ab initio nascentis Ecclesiæ fuit observatum? ut quod pro omnibus fidelibus defunctis (qui non sunt sancti vindicati martyres, aut confessores conclamati à sede Apostolica) orationes fundantur, suffragia fiant? quis, nisi tu solus hoc in dubium vertit? hoc omnibus Catholicis est exploratum. qua ergo fronte dicis, *imprimis mihi non satis constat, quis usus in hac parte universaliter vigeat; supposita tamen universalitate vel frequentia majore & communiore usus illius*, quod iterum inter parenthesim dicis, dum vis aperire fontem sensus tui, qui semper manet inter parenthesim inclusus, & sic cæno ipsius mixtus & male olens; quare de te bene meus Adagiographus, *lupus pilum mutat, non mentem*, quam semper infectam habes contagio *tui novi martyrii*.

Revenio ad tertiam solutionem, quam adhibet Leodegarius Raynaudi nostro fundamento, quæ quidem veram & sanam doctrinam continet, at non sane & syncere, sed dolose applicatam argumento; cum me remittat ad Raynaudum, qui tandem dicit, quod ut orationes & suffragia non fiant pro his, de quibus est sermo, requiratur Ecclesiæ vindicatio: sed *sub vulpe* addit circa finem illius *cap. 6. quare ex usu illo orandi, & suffragia impendendi personis, de quibus agimus, etiamsi dicatur universalis, & ubi vis probatus; quod ultro dedimus, tantum sequitur, nempe sententiam nostram usquequaque certam non esse, aut talem, ut ex ea privato tantum ejusque arbitrio fas sit ante Ecclesiasticum Decretum novare aliquid circa defunctos, de quibus actum est.* Ecce Leodegari, quomodo lubricus, anguis latet sub herba, ut calcaneo Ecclesiæ insidietur, & mordeat eos, qui veritatem tuentur, si non est fas circa

hos

hos defunctos, de quibus actum est, aliquid novare ante decretum Ecclesiasticum; & hæc est praxis Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, cujus caput summus Pontifex, qui sibi privative ad omnes alios Pastores, & Doctores vindicationem sanctorum reservavit; ergo evidens, quod in tota Ecclesia est usus, quod pro istis, de quibus agimus, orationes & suffragia fiant, & qui aliter fecerit sine consensu sedis Apostolicæ, scelus superstitionis immanissimum committeret, dignum, ut à judicibus fidei coerceatur, censura erroris inuratur, & graviter castigetur.

Qua ergo fronte dicis, *quod ultro concedimus*, cum Ecclesia infallibiliter teneat, quod nulli ante vindicationem dandi sunt honores sanctorum, & quod nulli ante vindicationem eximuntur, quin pro illis non possint orationes fundi, ut à pœnis releventur, pro illisque suffragia fiant sub hac implicita conditione, si non sint à pœnis soluti; nam si sunt, & Deo fruuntur, hæc suffragia reponuntur in Thesauro Ecclesiæ: vide ergo *si hoc ultro*, & voluntarie, & non omnino necessario teneatur concedere tuus Raynaudus, cujus doctrinæ venenum latebat. quare eo ipso, quod non concedit necessario, quod usus, & praxis fidelium in tota Ecclesia, est quod pro istis orationes & suffragia fiant ante vindicationem Pontificiam, dolose exquirit istam, & non ex animo; si enim alicubi talis usus esset, illum non reprobaret, sed admitteret, aut permitteret tanquam licitum, cum *ultro concedat* hanc praxim esse universalis Ecclesiæ. Quare Leodegarius vir sanguinum est. Nam, ut ait Hilarius *in Ps.* 138. *viri sanguinum sunt, quorum doctrina est dolosa sub prætextu Religionis, impia, sub veritatis specie, fallax. Quorum in animo & cogitatione solum contentionis studium persistit, nihil pacificum cogitant, ut omnibus his in contentionibus labor sit, & pugnam meditentur.*

PARS VI.

Apologetica disputatio pro defensione Decreti editi à sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium de Indice, *contra libellum Raynaudi* de Martyrio *per pestem.*

Apologetica hæc disputatio constructur ad tuendum fundamentum quod sexto loco (in meis) ponit Raynaudi Leodegarius, quod sic proponit: *Sententia Raynaudi est damnata Romæ, & liber ejus proscriptus, non ut liber Marchini, donec corrigatur; sed absolute & simpliciter. Prorsus ita explodenda est ejus assertio, in qua stabilienda pene totus liber Raynaudi consumitur. Hurtado hanc Romanam damnationem ingerit, ac regerit plusquam vigesies, veritus lectorum immemoriam.*

Huic argumento veternosus & versipellis anguis plenus veneno, ut clam illud effundat, non est credibile; quot diverticula quærit; ut fugiat jaculum, quod illi inflixit in capite, quod contritum manfit, sacra Congregatio consultatione facta cum sanctissimo *Innocentio* X. Quare operæ pretium duxi, ob reverentiam, quam tenemur deferre tantæ congreg. omnes fideles; & obedientiæ sedi Apostolicæ, à qua ejusdem congregationis decreta, ut à primo fonte dimanant: omnia quæ Leodegarius Raynaudi ore fœtido effutivit, sigillatim, & per partes examinare, ut videant omnes leonis hujus Buccafœtentis audaciam, & temeritatem, insolentissimamque impudentiam.

SECTIO I.

Si liber ob malam doctrinam, aut quia contra bonos fidelium mores Romæ prohibetur, ubique locorum proscriptus est, nisi intercedat supplicatio ad sanctissimum.

Hoc est fundamentum valde notandum, ut omnis tergiversatio, & circuitio Leodegarii Raynaudi reprimatur

matur, comprimatur & oppiletur. Hoc posuit Nicolaus Papa, rescribens Archiepiscopis, & Episcopis per Gallias constitutis, quia nolebant accipere Epistolas Decretales, quia in corpore canonum quod Isidorus fecit non erant insertæ; contra quos sic arguit Pontifex: *Si Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur ita, ut quod sedes Apostolica approbavit, hodie teneatur acceptum; & quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur.* Et in eadem epist. *cap. ult.* sic eosdem affatur: *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro Catholica fidei disciplina, pro emendatione sceleratorum, pro correctione fidelium, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à sedis Apostolica præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.*

Ex quibus tale formo argumentum cuilibet morigerato, & non obcæcato in sua sententia ineluctabili: summus Pontifex suo decreto potest sicut approbare, ita & reprobare libros, non solum hæreticorum & schismaticorum; sed quorumcumque etiam Catholicorum, qui non continent sanam doctrinam, interdicens imminentia vel futura mala circa disciplinam & doctrinam sanam, tam in dogmatibus, quam in moribus, quod decretum promulgatum, si quis non acceperit, sed ante supplicationem ad sanctissimum non obtemperaverit, sed contempserit; aut contra illud scripserit, anathema est; hoc nullus Catholicus & vere fidelis negat. Rursus, Decretum Pontificium, & ex ejus consensu factum, consultatione ejusdem præeunte, non coarctatur terminis locorum, aut ad aliquas Provincias dirigitur, sed cum sit Decretum ab universali Pastore dimanans, omnes illius omnino oves respicit, quia omnes dirigit circa materiam illius Decreti; quæ, si sit in materia sanæ doctrinæ, omnes comprehendit, & censura ex officio, qua inuritur liber damnatus (neque enim potest damnari, & prohiberi, nisi sit censura tali dignus) ubique locorum exerit vires suas; si enim est temeraria, si erronea, si impia, si hæretica, si scandalosa,

Romæ,

Romæ, ubi aliqua ex his inuritur, ubique locorum & temeraria, & erronea, &c. judicanda eſt; quia ſic à ſedis Apoſtolicæ Præſule promulgata eſt.

Rurſus ſummus Pontifex erexit varias congregationes Eminentiſſ. Cardinal. ut ipſo conſulto, decreta ſalubria promulgent & edant, ad quæ ſuam delegat poteſtatem, & ſic harum Congregationum Decreta, quæ vicariæ in negotiis ſibi attinentibus ſunt Papæ, earum decreta Pontificia ſunt, & à ſede Apoſtolica dimanantia; unde ſicut Epiſcopus & vicarius idem conſtituunt Tribunal, ita Congregationes Cardinalium, & Pontifex unam conſtituunt ſedem Apoſtolicam in ordine ad negotia ſibi commiſſa, pro regimine totius univerſalis Eccleſiæ, quam reſpiciunt eorum Decreta, ſicut reſpicit ſedes Apoſtolica, quæ ſpecialiter conſulitur ante eorumdem Decretorum promulgationem; hinc eſt quod Decreta Congregationis S. Officii, quæ non dantur pro aliqua Diœceſi, ſimiliter Congreg. Rituum, & Congregationes Epiſcoporum, & Regularium omnem ubique provinciam ligant, ſi fidei dogmata, cultum ſanctorum, & ſimilia reſpiciant, quia in aliis materiis Regiminis poteſt occurrere talis circumſtantia in aliqua Provincia, quæ ibi non reſpiciatur, ſicut & contingit in Decretis Pontificiis & Conciliorum.

Cæterum Decretum Congregationis in materia Doctrinali, qualis eſt librorum prohibitio, ſemel facto Decreto, quo aliquis liber propter aſſertionem doctrinalem prohibetur Romæ à Congreg. Cardinal. ſpeciali Decreto, quod publicatum eſt in forma Juridica Urbana, ubique locorum proſcriptus eſt, prohibitus, & interdictus, ut cum illo communicent fideles (niſi fiat ſupplicatio *ad ſanctiſſimum* ut jam explico) Ratio eſt perſpicua, quia illud Decretum eſt ab ipſo Pontifice dimanans media Congregatione ipſius, quantum ad hoc vicaria, quæ, ipſo ſpecialiter conſulto, illud ſolemniter *ad Valvas S. Petri & aciem Campi Floræ* publicari mandat. Unde Sixtus quintus in illa celebri conſtit. Sua edita *ann.* 1585. *die* 23. *Martii*, incipit *immenſa Dei*. Poſtquam § 2. ut erigat quindecim

Congregationes S. Rom. Eccleſiæ Cardinalium, quos *ſenatores Orbis terræ* appellat, agens *de Congreg. 7. pro Indice librorum prohibitorum* §. 1. hujus Congregationis formam & juriſdictionem tribuens, ſic fatur: *Libros, qui poſt indicem Trident. Concilii juſſu editum prodierunt, Catholicæ doctrinæ, Chriſtianorumque morum diſciplinæ repugnantes expendant, & recognoſcant, ac ubi nobis retulerint noſtra auctoritate rejiciant.* hæc ibi. unde libri prohibitio facta ab hac Congregatione, relatione Papæ facta, & illius Decretum Pontificium eſt: ergo cum ſit in materia Doctrinæ & Chriſtianorum morum diſciplina, vires ſuas exerit ubivis locorum.

Hoc manifeſtum fiet in aliis Congregationibus, quæ erectæ ſunt, non pro aliquo genere negotiorum alicujus Provinciæ, aut Civitatis; ſed pro univerſalis Eccleſiæ utilitate. Decreta Congregationis *univerſalis Inquiſitionis*, quæ doctrinam aut declarationem alicujus Conſtitutionis Apoſtolicæ concernunt, Decreta Congregationis *Rituum*, quæ univerſalem cultum ſanctorum, & eorum officia reſpiciunt, Declarationes authenticæ Congreg. *Concilii*, circa ejus intelligentiam. Declarationes & Decreta Congregationis *de propagandâ fide*, quis Catholicorum ubique terrarum illas mordebit, aut non recipiet, niſi ad non recipiendum expreſſum adſit Apoſtolicum indultum? unde ſemel publicatæ, cum materiam Religionis reſpiciant, eo ipſo quod ad notitiam venerint, vires ſuas, quas habent validiſſimas ad obligandum exerunt; neque aliquis ad operandum in contrarium audebit, niſi temerarius exiſtat. Unde cum Congregatio *de Indice librorum prohibitorum* erecta ſit pro univerſa Eccleſia, & toto Chriſtiano Orbe, & non pro aliqua Civitate, Regno, aut Provincia, liber ab ea damnatus, & cenſura ex Officio inuſtus, ubique terrarum damnatus eſt, & tali cenſura affectus; quare, qui ipſum legerit ſine licentia habita ab eo, qui poteſt, peccati mortalis reatu afficitur, & dignus eſt ut judicio Epiſcoporum ſevere puniatur, ut in fine *Regulæ* 10. *de libris prohibitis* habetur, comprobatæ, *Conſtitu-*

ſtitutione Pii 4. *quæ incipit Dominici die* 24. *Martii* 1564. niſi liber à damnatione alio Decreto Pontificio liberetur.

Totum hoc urgetur. quia ſi hoc ita non eſt, ſed quod liber damnatus (ante ſupplicationem ad Pontificem) Romæ, à ſacra Congregatione *de Indice*, poteſt alibi non recipi ejus damnatio, & impune manibus teri, & quiſque extra Romam illum impune legere, innumera ſequuntur abſurda intolerabilia in Eccleſia. 1. Schiſma in doctrina, cum aliter ſentiat Pontifex, ſuo Decreto publico damnans librum tanquam non continentem ſanam doctrinam, & immunem à cenſura, & extra Romanam Provinciam liber, ut ſanæ, bonæque doctrinæ, ſit receptus à fidelibus; Pontifex enim etſi dum annuit & confirmat damnationem libri factam à Congregatione, non illam definiat, ut omnino immutabilem, ſicut dum dat Decretum contra hæreſim, aut definit aliquam veritatem, tamen non confirmat libri damnationem, ut Particularis D. ſed ut univerſalis Eccleſiæ Paſtor, & Rector, cujus, ut ſic eſt vicaria Congregatio damnans; ergo illi tenetur obedire quilibet fidelis, & damnationi aſſentiri (niſi fiat ſupplicatio ut liber permittatur, & Pontifex annuat ſupplicationi, ut in multis libris Juriſtarum Hiſpanorum de facto contigit) conſequentia eſt manifeſta, quia in materia doctrinæ Pontifex, ut univerſalis Eccleſiæ Paſtor, primatum habet; non ſolum in definienda vera doctrina; ſed etiam in rejicienda ea, quæ ovibus ſuis conveniens non eſt, etiamſi non ſit hæretica, aut erronea, ſed quia temeraria, aut impia eſt judicata à judicibus ab ipſo deputatis, & de ejus conſenſu. eſt enim Papa omnium Chriſtianorum D. illique regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam poteſtatem plenam à Domino Jeſu Chriſto traditam eſſe, ut eſt de fide; ad regimen autem, & gubernamen univerſalis Eccleſiæ pertinet doctrinam ſanam defendere, & temerariam rejicere.

2. Eſt, quod ſi licet damnationem factam Romæ alicujus libri non recipere in Gallia, aut in Hiſpania, non

facta ſupplicatione *ad ſanctiſſimum*, etiam liceret non recipere damnationem factam ab aliqua Congregatione circa perſonam alicujus Epiſcopi aut Regularis ; ſed etiamſi damnatus fuerit Romæ ab aliqua Congregatione de conſenſu Papæ, poterit privata authoritate, ſequis indemnem conſtituere alibi, & pro non condemnato ſe habere, & exercere ea, quibus per ſententiam Congregationis eſt privatus: conſequens autem intolerabile eſt, quia contra ſententiam Juridicam datum de conſenſu Papæ nullus Catholicus niſi abſolvatur à Papa. quare Romæ ſententia damnatus à Congreg. aliqua, ubi damnatus eſt, nec ſententiæ poteſt contravenire, etiamſi habeat mille ſuffragia, quod injuſte ſit condemnatus, quia non ſunt ſuffragia judicum, ſed particularia, quæ non evertunt vires ſententiæ, quæ tranſit in rem judicatam, alias omnia judicia & eorum executiones turbarentur, omnia tribunalia contemptibilia redderentur: ergo liber damnatus ſententia & decreto publico, cui annuit Pontifex, & ejus authoritate latum & publicatum à Congregatione de Indice librorum, ubique gentium eſt damnatus. Conſequentia eſt evidens, quia idem operatur ſententia circa librum, quod operatur ſententia circa perſonam.

Urgetur hoc: quia ſi aliqua perſona ſit interdicta Decreto Romani Pontificis, ut nullus Catholicus ei communicet, nullus ubique gentium poteſt illi communicare, quia ejus cõmunicatio eſt prohibita, ſive propter hæreſin ſive propter ſchiſma, ſive ob aliud delictũ, quod in primis Eccleſiæ ſæculis ſatis obvium erat, ut legenti Hiſtorias Eccleſiaſticas conſtabit. Unde Hieronymus *epiſt.* 58. *ad Damaſum Papam.* ait: *Idcirco obteſtor Beatitudinem tuam per crucem Domini, ut mihi litteris tuis apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. Noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt.* Tanti faciebat communionem Romani Pontificis ſanctiſſimus & doctiſſimus ille Pater, ut id ad ſalutem animæ ſpectare maxime judicet. ergo ſi aliquis liber damnatus eſt de conſenſu ſummi Pont. ejuſque

que authoritate, privati sunt fideles illius usu & communicatione; hoc enim ad salutem animæ maxime conducit. nullus ubique gentium illum poterit communicare sine ejus, qui potest dare, permissu, & indulgentia Pontificia.

Verumenimverounum hic valde notandum est discrimen inter libros prohibitos & damnatos à sacra Congregat. *de Indice librorum prohibitorum*, & ab aliis tribunalibus etiam supremis fidei, quale est consilium supremum S. Inquisitionis Hispanæ, & Portugalliæ, quod erat distinctum ab isto, etiam ante rebellionem, quod libri ab istis damnati & prohibiti non sunt ubique gentium interdicti, quia eorum damnatio non extenditur ultra territorium, respectu cujus delegata est summi Pontificis jurisdictio. quare liber prohibitus Castellæ dumtaxat, legi potest Portugalliæ, & è contra, aut alibi, quo non extenditur jurisdictio delegata, nisi liber contineatur prohibitus in Regulis generalibus expurgatoriis, quas *speciali bullæ* confirmavit Pius IV. ut supra vidimus. At liber prohibitus Romæ à sacra Congregatione *de Indice*, ex consultatione Papæ, ubique gentium damnatus est, prohibitus & proscriptus ex authoritate Pontificis, quæ illimitate respectu Ecclesiæ universalis, in cujus utilitatem erecta est sacra Congregatio, ut dicit Sixtus V. in bulla citata illi concessa est, jurisdictio ad prohibendos & damnandos libros, qui adversantur sanæ doctrinæ & bonis fidelium moribus.

SECTIO II.

Liber Raynaudi in totum est proscriptus, & non solum assertio de vero martyrio per pestem.

HOc supposito, examinare oportet ea, quæ congerit Leodegarius Raynaudi, ut se extricet ab speciali Decreto contra suum præfatum librum edito à sacra Congregatione *de Indice*, quæ per partes oppugnare necessarium putavi, prius tamen quam singulas periodos

hujus ſolutionis examini ſubjiciamus, noto id quod Beatus Irenæus *in proœmio lib.* 1. *contra hæreticos*, notat. *Quatenus veritatem refutantes quidam inducunt verba falſa, & per eam, quæ eſt ſubdole exercitata veri ſimilitudo, tranſducunt ſenſum eorum, qui ſunt inexpertiores, & in captivitatem ducunt eos, falſantes verba Domini, interpretatores mali, eorum, quæ bene dicta ſunt, effecti; & multos evertunt: ſuadenter quidem illi illiciunt per verborum artem ſimpliciores ad requirendum modum; male autem perdunt eos in eo quod impiam eorum ſententiam faciant in Fabricatorem non diſcernere valentium verum è falſo. Error enim ſecundum ſemetipſum non oſtenditur, ne denudatus fiat comprehenſibilis; ſuaſorio autem cooperimento deornatus, & ipſa veritate (ridiculum eſt dicere) veriorem ſemetipſum præſtat, ut decipiat exteriori phantaſmate rudiores, quemadmodum à meliore nobis dictum eſt de hujuſmodi. Quomodo lapidem pretioſum ſmaragdum magni pretii apud quoſdam, vitreum in ejus contumeliam per artem aſſimilatam, quoad uſque non adeſt, qui poteſt probare & artificium arguere, quod ſubdole ſit factum.* Hactenus S. Martyr Gallus contra Gallicanum Veternoſum Leodegarium Raynaudi, qui ut ſuam damnatam ſententiam obſtinate defendat, refutans veram falſis verbis inductis, ſubdole obtrudit veri ſimilitudinem malus interpres boni dicti Decreti Pontificii, cujus ſenſum traducit, & oſtentui tradit; verba ejus falſans, per verborum artem illiciens ſimplices & inexpertos, non valentes diſcernere verum è falſo, non oſtendens ſolutionem errore plenam, nudam; ſed ſuaſorio adornat operimento, vitrum pro ſmaragdo tradit, ut tanti illud, quam iſtum æſtimemus, vitrum per artem fallacem in illius contumeliam aſſimilatum, ut falſo multos ſeduceret, niſi adeſſet qui poteſt probare (ſummus Pontifex, & ex ejus conſenſu & juſſu purpuratus conventus *de Indiæ*) & artificium arguere, quod ſubdole ſit factum.

Egregie Aug. *epiſt.* 162. *ad Glorium, Eleuſium, cæteroſque*, qui ne contrairent Decretis Romanis, & reduceret

ceret ad unitatem Eccleſiæ, intendebat, a judicibus enim qui ipſos damnarunt, contra Cæcilianum provocabant ſemper Donatiſtæ, nec judicio pro veritate facto acquieſcebant, adeo quod ad Imperatorem appellarunt, non acquieſcentes veritati. Imperator tamen veritatem & pacem amans, eis novos Cenſores & Judices Eccleſiaſticos concedit. Quorum perverſam & pertinacem animoſitatem (quam dubio procul imitatur Leodegarius Raynaudi) ſic inter cætera fatur S. D. *de numero autem ſeptuaginta Epiſcoporum, cum quaſi graviſſima opponeretur auctoritas, quæ fuerint dicta meminiſti, & tamen viri graviſſimi: ab infinitis quæſtionibus catena quadam inexplicabili, ſuum temperare arbitrium maluerunt, nequaquam curantes, quam multi eſſent illi Epiſcopi* (nota Leodegari Raynaudi pro Chirographis, quos ſine delectu affers, & ut augeas numerum proletariorum, non multiplicas lætitiam) *aut unde collecti, quos videbant tanta temeritate cæcatos, ut in abſentes tam præcipites auderent proferre ſententias* (ſubſcriptiones contra decretum Romanum) *& tamen qualis ipſius Melchiadis* (Innocent. 10.) *ultima eſt prolata ſententia, quam innocens, quam integra, quam provida, quam pacifica, &c.* Et infra. *O virum optimum!* (Innocentium ego, & Melchiadem Aug.) *O filium Chriſtianæ pacis! & Patrem Chriſtianæ plebis! conferte nunc iſtam paucitatem cum illa multitudine Epiſcoporum* (ſubſcribentium) *neque numerum numero, ſed pondus ponderi comparate. Hinc modeſtiam; inde temeritatem; hinc vigilantiam, inde cæcitatem. Hic nec manſuetudo integritatem corrupit, neque integritas manſuetudini repugnavit; ibi autem & furore timor tegebatur, & timore furor incitabatur.* Et infra. *Sed jam tamen quaſi haberent malos judices ſe eſſe perpeſſos* (*Romæ.*) *quæ vox eſt omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifeſtiſſima veritate ſuperati.*

Horum Donatiſtarum genium plane imitatur Leodegarius Raynaudi, ſemper inquietus & diſſenſionum ſeminator, & contra Congregationem Romanam, de Or-

dine Sanctiſſimi, ſententiam; contra librum Raynaudi ferentem, tanquam malus litigator, cum ſit manifeſtiſſima veritate ſuperatus, effutit tumidus *ſe malos judices perpeſſum*; cum alias tota multitudo ſuorum Chirographariorum nullius ſit ponderis comperta, ad Congregationis & Cenſorum gravitatem, ut tamen audacia, temeritaſque Leodegarii appareat, ſigillatim periodos ſuæ ſolutionis aperire oportet.

PERIODUS I.

Solutionis Leodegarinæ Raynaudi expenditur.

Prima Periodus, ſubdole & arte incipit offundere venenum ſuum Raynaudi Leodegarius, ut ſe expediat à Decreto Romano per fas ſive per nefas; ſic habet. Reſp. *Crambem ab Hurtado toties invidiæ conflandæ appoſitam, quantum attinet ad concluſionis propoſitæ damnationem, haud difficile repelli poſſe. De libro alibi dicendum. Hic, quia potius agitur de damnatione aſſertionis martyrii charitatis. Quæ aſſertio non totum Raynaudi librum implet (ut fabulatur Hurtado) ſed dumtaxat partem, cum omni erga Cenſores ac judices reverentia dico, miram eſſe Hurtadi temeritatem, qui aſſertionem martyrii charitatis damnatam eſſe contendat, cum nihil tale habeatur exploratum. Potuit enim aliquid aliud occurrere in libro, vel in auctore, ob quod liber videatur proſcribendus. Certum ſane eſt multa in eo opere contineri, quæ non potuerunt damnari v. g quod Deus ſit, quod ſancti ſint colendi, quod Euchariſtia verum Chriſti corpus continet. Num hæc omnia reproba ſunt, quia liber eſt proſcriptus? non ergo ſi liber eſt proſcriptus, aſſertio, quæ infra libri medium legitur, damnata cenſeri debet, niſi mentio fiat aſſertionis in damnatione: quod hîc non eſt factum, vel ſi liber totus à capite ad calcem damnatus eſt, qua fronte Hurtado toties ex eo plenas columnas (ita columnas plenas) verbatim nec abſque elogio ſcribit Non timet Orthodoxarum Reſolutionum damnationi ob immiſſum in eas tale venenum, cum videa-*

videamus virum doctissimum Claudium Rangolium, quia ex Vermilio verbatim exscripta suo in Regum Historiam Commentario immiscuerat, fuisse nigro theta deformatum. ita in num. 68.

Hunc Buccafœtidum Leodegarium Raynaudi, qui genium hæreticorum imitatur, volens nobis vile vitrum pro pretioso smaragdo obtrudere, sic describit, & ejus novitatum amatores & nundinatores Clemens Alexand. *lib.* 1. *Stromat. Seipsos erigentes, calumnias verbis addere contendunt, contentiosas comparando quæstiones, distinctiuncularum venatores, pusillarum quarumdam artium æmulatores & jurgiorum consarcinatores, efferentes se sophistæ infelicis canoris quidam quibusdam suis nugis garrientes, cum in nominum delectu, & certa distinctione, compositione, & connexione cicadis apparent loquaciores.* Ita Alexandrinus; cujus testimonium satis exprimit Leodegarii Raynaudi sophistæ infelicis genium. Quot sophismata, quot nugæ, quot distinctiunculæ evanidæ, quot calumniæ, quibus se efferre vult supra censores, supra judices, supra Patres conscriptos, in hac periodo non inveniuntur? apparet loquacior cicadis in nominum delectu, incerta distinctione prorsus inani, ut sententiam damnationis libelli effugiat; non effugiet tamen.

Repetitionem, quam facio Decreti Romani Sacræ Congregationis, Crambem invidiæ conflandæ appositam dicit. Utinam esset illa, *quæ repetita occidit pessimos magistros*, & quæ rejecta, *vomere facit venenum* malæ doctrinæ, & *Bacchi insaniam!* quod enim per se pulchrum & præclarum est; bis, & ter, & decies repetitum bonis placere solet. Quod ineptum, id primo gustu commendatione novitatis utcumque toleratum. Cæterum iteratum haud ferendum fastidium affert; nam *bis crambe mors.* Quo allusit Juvenal. Sat. 7.

Nam quæcumque sedens modo legerat, hæc eadem stans
Profert, atque eadem cantabit versibus iisdem,
Occidit miseros crambe repetita Magistros.

At

At tu vesaniæ, sicut *Polypus*, *scopulo* affixus, orros tuos inexplicabiles objicis veneno plenos, ad quod rejiciendum non vis crambe salutari uti, quod alexipharmacum sit, quo salutem consequi possis, sed crambem conflandæ invidiæ appositam phreneticus judicas remedium, & virulento ac dentato scripto, quod singulari industria & dolo elaborasti maledicentiæ, & irarum habenas in Cardinales Judices, in Censores. Congregationis (à quibus dolose & sub vulpe veniam, ut maledicas, efflagitas) & in me fundis. Et *Bupali odio* prosequeris; & inclamas strophas & nænias Nysorum more vociferans conductus.

Miram dicis meam audaciam: fateor audaciam esse, sed moderatam fortitudine Ethica, non temerariam. Vere quidem non solum liber, sed & assertio de vero martyrio charitatis proscripta, damnata, & igni tradita est; etenim in fronte libri damnati assertio tua ponitur. Sic. *de Martyrio per pestem ad martyrium improprium & proprium vulgare comparato. Disquisitio Theologica Theophili Raynaudi Societatis Iesu Theologi, qua monstratur, eos, qui proximis peste contactis ex Christiana charitate immoriuntur, esse non late dumtaxat, sed presse ac vere Christi martyres, iis non dissimiles, qui in fidei causa mortem oppetunt; duplicisque illius proprii martyrii decorum comparatio ex Patrum Oraculis & Doctrina Theologica constituitur.* Hæc libri frontis Epigraphes ac titulus.

Liber hic damnatus est in totum à Congregat. Eminentissimorum Cardinal. Censores qui ad examinandum librum adhibiti sunt, ipsum in totum censurarunt propter assertionem principaliter quæ in fronte ponitur; ad eam evertendam tendunt fundamenta, quæ in scriptis tradidere purpuratis judicibus, ob eam delatus & accusatus fuit. Quis nisi phreneticus, insanus dicat, quod liber in totum sit damnatus & proscriptus ab Ecclesia, & quod assertio & assumptum principale libri indamnata perseveret? quis judex comburere mandat nocentem, & ejus sententia se extendat ad vestes prophanas quas habet, non

ad

ad perſonam? certe quidem ſomniat, qui tale dicit; imo eo ipſo, quod liber in totum prohibetur, tota aſſertionis doctrina damnatur & prohibetur; qua damnatione denigrantur etiam alia bene dicta, quæ ibi ſunt per concomitantiam. Quis niſi veſanus audax affirmat, quod ut liber in totum prohibitus & interceptus, judex illum præſcribens non lanam tondeat, ſed pilos, ita ut vellens ſit & depilator minutiarum (ut tu es) & non aſſertionis ſubſtantialis expugnator? tu hoc perſuadebis puerulis, quos ſub minacibus ferulis, aut regis, aut rexiſti; non viris prudentibus & ſcitis; quum enim in aliquo libro judices fidei aliquos pilos noxios aut concluſiones à veritate deviantes dignos cenſura, & abolendos & depilandos judicant, non in totum librum proſcribunt; ſed quouſque corrigantur, & depilentur, ut fecit Sacra Congregatio de libro Philiberti Marchini *de bello divino*, in quo avellit aſſertionem tuam, *de vero martyrio per peſtem*, niſi velis quod in Marchino ſit damnata, & in te indemnis perſiſtat. Habeſne aliquod ſpeciale ad hoc privilegium? eſne exemptus à communi omnium regula? profluuntne tibi dolia plena, cum aliis vix ſat ſit aceti? eſne tu ſolus dignus habitus *ſolphio* & honore ſingulari? Ut tuus liber ſit damnatus in totum, & ejus integra aſſertio, quam pro fine habet integer liber *à nigro theta* libera maneat? ſi hoc âfferis, plane deliras, *claudum habens judicium, & ficulneam mentem.*

Rurſus, quis non in cachinnos prorumpit, dum videt ſophiſma Leodegarinum? *In libro damnato continentur multa, quæ ſunt certa ſecundum fidem, ut quod Deus ſit, quod ſancti ſint colendi; & alia, quæ reproba non ſunt, imo nec poſſunt eſſe ſalva fide; ergo ex eo quod liber ſit damnatus, non infertur quod aſſertio de vero martyrio charitatis, quæ eſt circa libri medium, proſcripta & damnata ſit.* Quis non irrideat Theologo Doctori Leodegario Raynaudi ſic argumentanti? argutatur potius, cavillatur, extra chorum ſaltat, probationum loco bacchatur, & convitiatur, verioris Dialecticæ, Philoſophiæ atque Theologiæ

logiæ fundum nunquam attigisse & penetrasse demonstrat; ut enim de alio quidem dicit. *Si in mortario contunderetur, non exprimeretur una uncia veræ logicæ, nedum veræ Theologiæ.* Simili enim modo possemus argumentari: in libris multis hæreticorum, multa continentur vera fidei nostræ mysteria, in quibus nobiscum sentiunt, & quæ non possunt à Catholicis negari; ergo si illarum assertionum mentio expressa non fiat, in quibus à vera fide dissentiunt, istæ ex vi prohitionis libri, in quo continentur, non censentur damnatæ; quod vel dicere temerarium est. Eo enim ipso, quod liber in totum est prohibitus, etiamsi habeat aliqua bene dicta mixta, in tali libro legere omnis Catholicus prohibetur; & sic totus liber damnatus existit.

Dæmones enim Christum Dominum *sanctum Dei & filium Dei*, alta voce clamitabant; in quo veritatem dicebant, & tamen Christus illos increpans, *obmutescere* faciebat, *quia non decebat* (ait Chrysost. in Catena Angelica Lucæ 4.) *Christi mysterium publicari.* Et pulchre Athanasius ibidem. *Quamvis igitur vera fateretur* (Dæmon) *compescebat tamen ejus sermonem, ne simul cum veritate iniquitatem promulget, & nos etiam assuefaciat, ne curemus de talibus, etsi vera loqui videantur.* Hanc doctrinam secuta est Sacra Congreg. in damnatione libelli Raynaudi *de martyrio vero per pestem*, cum illud comparet martyrio fidei, & de hoc verissima loquatur; tamen quia hæc ordinat, ut falsitatem *veri martyrii charitatis* primus promulget, totum librum obtumescere facit etiam in veris, nec vult quod in libro legantur, sicut Christus & increpavit & obmutescere fecit Dæmonem, qui filium Dei verissime dicebat, ne *cum veritate falsitatem & iniquitatem promulgaret.*

Quod enim dicit, me ex suo libro calumnias verbotim transcripsisse, verum dicit; sed id feci in gratiam ipsius Raynaudi, ut scilicet aliqua bene scripta, quæ in suo libro legi nequibant propter integram illius prohibitionem in meis *Orthodoxis Resolutionibus* legerentur impune.

pune. Liber vero Rangolii, viri doctiſſimi in Regum Hiſtoriam ideo *nigro theta* eſt notatus, quia verba Vermilii hæretici in comprobationem ſuarum explicationum traducebat, quod non licet viro Catholico armis hæreticorum, quibus ſuam hæreſim tuentur, uti. Raynaudus autem non eſt hæreticus; quare licet uti verbis ejus, ſi abeſt licentia legendi librum prohibitum.

PERIODUS II.

Solutionis Leodegarii Raynaudi.

Proſequitur. num. 69. *Sæpe etiam, cum aſſertio aliqua nominatim nota tua, vel liber ob eam inter libros vetita lectionis refertur, aſſertio ipſa in ſe non improbatur, ſed habetur ratio fragilitatis, aut tenuis ſenſus vulgi lectorum. Qua ratione R. P. Ioannes Baptiſta de Marinis, cum ageret ſecretarium Congregationis indicis, ingenue faſſus eſt opus contra errorem popularem de communione pro mortuis fuiſſe proſcriptum; non quod doctrina ejus aliunde morboſa eſſet, cum revera eſſet (eodem fatente Marino, qui damnari curarat) undecumque ſana, & pura; ſed quod timor inceſſiſſet aliquos, ne vulgatione illius doctrina multi, qui frequenter communicabant, putantes ſe ex opere operantis communionis prodeſſe mortuis, intepeſcerent in uſu Euchariſtiæ, nec adeo frequentes eſſent in menſa Domini. Curandum autem non eſſe, ſive per errorem, ſive per ſcientiam Deo ſerviatur, dummodo ſerviatur. Ita affirmabat F. Marines. Quod quamquam & abſurdiſſimum; tamen idcirco curatam eſſe libri cæteroque optimi proſcriptionem, ne frigida effunderetur communicantibus pro mortuis quot hebdomadis, apud S. Andream à Valle candide profeſſus eſt F. Marinus. Quid ſi ergo tale quippiam intacta aſſertione martyrii charitatis per peſtem? Aliquid fortaſſe fermentum acidum in eo latet, ob quod proſcribi potuerit, & tale odoris quibuſdam naribus viſum eſt, quod in eo opere habetur de martyrio rite ſubeundo pro veritate immaculatæ conceptionis B. Virginis.* Hæc Periodus.

Con-

Confusis, permixtisque verbis eludere conaris veritatem Leodegari Raynaudi, per spinas ingrederis, à quibus non exibis illæsus, & ut ait Horat. *in Odis*;

Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Et dum negotium cito absolvere putas, pluribus tricis implicas, ut liberes librum *de vero Martyrio per pestem*, in adjutorium adducis testem etiam damnatum; *unde inutile per inutile* probans *oleum perdis & operam*, & ipsa probatio inutilis est, seris enim *Arabiam canam*, *frustra sudas*, & infrugifere.

Et imprimis ex anili aut puerili aliqua relatione vel confícta ex aliquo in Romana Curia Curatore, Reverendiss. P. F. Joanni Baptistæ de Marinis falsum imponis, quod dixerit opus contra *errorem popularem de communione pro mortuis proscriptum fuisse*; contra quod late egi *in prima parte hujus antidoti*, non fuisse *proscriptum ob morbositatem doctrinæ, quia undecunque pura & sana est; sed ne retraherentur fideles ab usu frequentiori Eucharistiæ.* Hæc enim falsitas est manifesta, nec tale quid nec dixit, nec potuit dicere Reverendiss. P. tum quia ut vidimus, opus illud scatet temeritatibus & offensionibus piarum aurium, & sapore hæresis, & aliis morbositatibus quas solum posset sanare ignis Censorius, & purgatio, &, expurgatio Sacræ Congregationis, ut de facto fecit; quamvis unum dandæ de proscriptione sententiæ motivum fuerit illud, quod tu proponis, ne fideles retraherentur ab applicanda communione pro mortuis; non quòd populus existimet, quod quis potest communicare pro mortuis, ita ut *ex opere operato* (ut tu fingis) communio, ut acceptio est sacramenti, defunctis prosit, sicut tempore Apostoli quidam vivus baptizabatur pro mortuo; utrumque enim hæreticum est manifeste, neque Ecclesia id posset sub aliquo etiam altissimo & honestissimo prætextu in fidelibus suis permittere, ut loco citato monstravi. Sed quia, cum communio opus sit excellentissi-

lentiſſimum, eſt excellentiſſime ſatisfactorium, ſit communicans multis titulis *ex opere operantis* poteſt illud applicare exiſtentibus in Purgatorio ; unde cum retrahas fideles, ne ſuos defunctos adjuvent hoc opere ſatisfactorio, hocque totis viribus coneris in libello illo, quem jure optimo Sacra Congregatio tanquam ſcandaloſum, & pias aures offendentem proſcripſit in totumque damnavit, videas ſi ejus doctrina ſit ſana & pura, cum ſit ex tribus capitibus morboſa. Unde quamvis *cœnum ſtagni commoviſti, anguillas non captaſti.*

Sed pergit ulterius infrunita audacia Leodegarius Raynaudi, & auget crimen, ut de ſui libelli damnatione aliquale habeat ſolatium, R. P. Magiſtrum dixiſſe. *Curandum non eſſe, ſive per errorem, ſive per ſcientiam Deo ſerviatur, dummodo ſerviatur.* Hoc nullus Catholicus dixit, niſi intercedat ignorantia invincibilis illius, per quod Deo ſervitur, ut conſtat in Ruſtico, qui edoctus à ſuo Parocho, invincibiliter ignorat myſterium Trinitatis, ut fides vera docet, ſi credat illud (veritatem invincibiliter ignorans) quamvis non habeat veram fidem, ſed errorem in fide invincibilem, tamen per illum Deo ſervit, & apud Deum meretur, quia ignorantia invincibilis, & ſi non liberet ab errore, liberat ab hæreſi & peccato. Tamen in Romana Curia, ubi eſt veritatis Mag. & D. & regula viſibilis fidei, quod ibi populus communicando, & applicando communionem pro mortuis, ſerviat Deo per errorem, ſolum Buccafœtidus Leodegarius Raynaudi poteſt effutiendo imponere viro Catholico Prædicatorum & Canum Eccleſiæ (qui eam cuſtodiunt à lupis rapacibus ſub pellibus ovinis) Generali Magiſtro. Nunquid Sedes Petri permittet, quod in conſpectu & palam error in fide permitteretur, ut fideles Euchariſtiam frequentarent? apage! tu ſolus dixiſti Leodegari Raynaudi, & ut te extricares, alios falſitate tua complicas; ſub *hoc Lapide* quem jacis *Scorpius Latitat.*

Dum ſubjungis: *Quod, quamquam abſurdiſſimum ſit, tamen idcirco curatam eſſe libri cæteroqui optimi pro-*

ſcriptionem, ne frigida affunderetur communicantibus pro mortuis. O impudentia hominis effrænata! Summus Pontifex in conſentiendo ſententiæ damnationis libelli tui Raynaudi, & Sacra Congregatio de Indice in aufe-renda & publicanda, mota eſt ex motivo abſurdiſſimo! ergo & ſententia data abſurdiſſima eſt; ergo ſummus Pontifex abſurdiſſime conſentit. Certe hoc eſt os fœtidum in cœlum ponere, & blaſphemias effutire contra Deum, ejus vicarium in terris, & judices ab eo datos. Quid aliud faciebant Donatiſtæ? quid Novatores? quid enim hoc eſſet, quam abuti poteſtate ſibi cœlitus data? & puritatem doctrinæ, quæ ſemper viguit & vigebit Romæ, cœno abſurditatis conturbare.

Hanc enim doctrinæ puritatem, *alibi præcipue quærere* niſi Romæ (ait Joannes 8. *epiſt.* 86. *ad Epiſcopos deſtinata*) *ubi plantata eſt à B. Petro, qui ſicut veraciter agnovit, veraciter & prædicavit. Quoniam ſicut aqua non poteſt alibi tam munda, vel tam lepida, quemadmodum in fonte, unde originem protrahit, inveniri; ita & fides nunquam omnino poterit alibi tam pura, tam nitida reperiri, ſicut in Eccleſiâ noſtrâ Vivario, ubi eam non tecta perſtillantia, ſicut litigioſa mulier comparatur, ſed ille Polorum claviger ubertim & puriſſime congregavit, qui expreſſo fonte vivo, hanc cœlitus hauſit & limpidiſſimam conſervandam mandavit.* Quid dices ad hæc Leodegari? ſi Romæ quærenda eſt puritas fidei, & doctrinæ, quæ à Polorum clavigero ut à primo fonte viſibili emanat, quomodo ad eam edocendam, effundendam ſitibundis, & ovibus communicandam, ex abſurdiſſimo motivo induceretur; & docere non eſſe curandum an per errorem Deo ſerviatur, quomodo diſciplina Eccleſiaſtica munda & limpida erit? quomodo limpidiſſimam conſervandam mandat, ſi eam mixtam errore & falſitate conſervat? quid ſatius eſt, hoc abſurdum affirmare in Eccleſia, aut libellum tuum de errore populari, ab errore & temeritate liberare?

Certe quidem hoc nihil eſt aliud, quam *ex arena funiculum*

culum nectere. Ut ex hoc inferas, quod libellus *de vero martyrio per peſtem* pariter eſt proſcriptus, non ob morboſitatem doctrinæ, ſed ex aliquo abſurdiſſimo motivo, vel ex alio fermento acido, quod in eo latet, quale eſt de martyrio rite ſubeundo pro abſurdiſſimo, ſed ex firmiſſimis Eccleſiaſticis, ex Patrum Lapidicinis, ex Eccleſiæ vivario, ex ejuſdem praxi & conſenſu erutis; quia ut egregie Nazianzenus. *Oratio* 1. *in Iulianum num.* 31. Ex tuo libello de *vero martyrio ficto per peſtem, quemadmodum ignem in materia latentem, etiamſi nondum in luculentam flammam attollatur, emicantes tamen ſcintillæ quædam, aut fumus è profundo ſubindicant, eodem modo ipſe, tametſi ob temporis incommoditatem, ejuſque qui rerum potiebatur* (Innocentii 10.) *Auctoritatem, atque diſciplinam, majorem impietatis partem occultaret, &c.* Quæ verba ſatis ad rem enodat Elias Cretenſis ibi.

Et quidem ſatis congruum hîc referre miraculum, quod ibi refert S. Gregorius. *anno* 28. Gallius enim & Julianus fratres templum S. Martyri Mamanti ædificare vovere, unuſquiſque pro medietate vero martyri cultum in templi conſtructione deferens, & tamen Gallio opus fœliciter ſuccedebat, atque juxta artis rationem progrediebatur, Deo videlicet ipſius munus & oblationem libenti animo ſuſcipiente: At contra, Juliani munus abominationi erat in conſpectu Dei, utpote non recto ac ſyncero; ſed ficto animo oblatum. Ergo ipſe in extruendo templo laborabat, terra autem quod laboratum erat, excutiebat, atque ejus, qui in pietate imbecillis erat fundamenta excipere recuſabat. Simile contigit inter Eccleſiam & Raynaudum, illa veris martyribus cultum defert, in quorum obſequium & honorem templa ædificat, Deo ſacrificia defert, Sancti Hymnos & laudes concelebrant, quas Deus libenti animo ſuſcipit, at contra Raynaudus ſuis Martyribus charitatis munus offert, ipſos ſupra martyres fidei extollit, prædicat, vociferatur, & proſtrepit, pro illorum vero martyrio innumera congerit teſtimonia, ut novam ſuam creaturam indemnem tuea-

tur; aſt hoc novum martyrium abominationi eſt in conſpectu Dei, & terra, videlicet Eccleſia, quod laboratum fuit, penitus excutit, & fundamenta novitatis excipere recuſat, & ſic decreto Apoſtolico ſolo æquat & evertit. rationem dat Elias Cretenſis S. D. num. 29. intentum proſequens, quia Eccleſia *recte obtulit, & dimiſit* S. Abel primus Eccleſiæ martyr, honores diſtribuens martyribus, qui morte violenta occubuerunt, Laureolam victorum in pugna contra Tyrannum, aliis autem confeſſoribus vindicatam ſanctitatem dumtaxat, niſi Doctores ſint aut Virgines, quibus pro ſuis pugnis victoriam canit, & honorem Doctoratus & Virginitatis; at Cain *non recte diviſit*, quia in dedecus veri martyrii hujus laureolam & effectum gratiæ *ex opere operato* illis, qui dumtaxat confeſſores, & cum addito martyres analogice gloriam verorum martyrum, quam privative ad omnes alios habebant, illis injuſte & proprio libitu confert; quare honorem & ipſi S. S. Alexandrini cum ipſi pleni ſint honore, ullo honore ficte addito opus habent, aut indigne oblato delectentur, imo illum execrantur, tanquam *male diviſum*, & illis applicatum.

PERIODUS III.

Solutionis Leodegarinæ Raynaudi.

Progreditur, & poſtquam *num.* 70. refert largam ſeſſionem, quam Reverendiſſ. P. Stephanus Carletus Aſſiſtens Galliæ habuit, cum Eminentiſſimo Cardinal. Spada Congregationis *de Indice* Præfecto, ut exſolveret cenſuram intortam libri de martyrio per peſtem, refert verba P. Aſſiſtentis, quaſi eſſent *Sibyllina Oracula*, cum de ejus fide quis dubitare jure poſſit, neque in eis aliqua vis appareat, ut exſolvatur cenſura, quæ non *intorte*, ſed rectiſſime, data fuit, agens de P. Luca Wandingo Ordinis Seraphici ſpeciali ornamento, tum ex virtute, tum ex ſapientia. *Aiebat* (inquit) *P. Carlotus F. Lucam VVandingum libri cenſorem ſæpe in ſuis Annalibus, & in*

Biblio-

Bibliotheca Franciſcana tunc inedita, ſed tamen à non paucis viſa, promiſiſſe ſuum ſenſum de veritate martyrii per peſtem. Male autem cohærens videri, cenſorem in ſuis operibus tradere doctrinam, quam in alieno damnaret. Hinc injuriæ illatæ in Graviſſimum & Doctiſſimum P. Cenſorem, non reſpondeo, ne in longum protraham antidoti partem ſecundam, ipſe ſatisfaciet, *ætatem habet*, & veritatis zelum & ſapientiam, non enim impunitus abibit Leodegarius Raynaudi, hic ſolum dico, quod P. R. Lucas Wandingus nec in Annalibus, nec alibi agnovit verum & proprium martyrium *charitatis.*

Sed procedit Leodegarius num. 71. & ſic ſe exſolvere conatur. *Ad has, aliaſve conſimiles P. Charleti pro libro Raynaudi expoſtulationes. Reſpondet denique Cardinalis librum illum non fuiſſe damnatum ob falſitatem doctrinæ, ſed quia dandum erat aliquid inſtantiſſimæ petitioni P. Nicolai Rodulphi Generalis Ordinis Prædicatorum, quæ ſuum Ordinem à Theophilo expoſtulatum, violatum ob editum librum, cui titulus Calviniſmus religio beſtiarum, quo & Apoſtaſia F. Petri Pauli de bellis Ordinis Prædicatorum vulgabatur, & conſenſio Calvini cum Bannez circa libertatem, gratiam efficacem, ac prædeſtinationem nimis aperte tradebatur. Quod autem hic liber nomen Theophili non præferret; Congregationem uſam fuiſſe poteſtate, quam aliaſquunque exercuerat, tametſi innoxium damnandi ob juſtam recrutiationem, & mortificationem Auctoris: Sic enim Tomus Suarez de pœnitentia ſub Paulo 5. cenſuram ſubiit. Non quod Suarez aliquid dixiſſet falſum (quomodo hoc cum Paulus 5. doctrinam eo libro ab aliquibus impetitam ſuo rituali inſertam voluerit) ſed quod eam mortificationem Suari inferre viſum eſt ad honorem Clementis 8. de Paulo 5. optime meriti, qui apud improvidos videri poſſet aliquatenus ceſpitaſſe, aut in ceſpitandi diſcrimen ſe conjeciſſe. Si Suarez ea in parte plane immunis & intactus abiiſſet. Sic fr[illegible]ter Ludovicus Campenſis in tractatione de pœnitentia ill[illegible]m Suarez non tam pœnam, quam multam & gravati[illegible]em, innoxios quoque aliquando rationabili*

ex causa afficientem est interpretatus. Idem ergo circa Theophili librum de Martyrio pro potestate justa de causa esse præstitum à Congregatione Cardinalis Spada confirmabat. Quod si ita habuit, pura mansit in se, ac intacta à censura martyrii charitatis assertio. Hæc ad verbum ibi.

Cyprianus *lib. de unitate Eccles. num.* 16. considerans, Strophas & nænias, quibus novitatum amatores sua deliria dissimulant, sic fatur. *Adversarius Diabolus, qui secundum Apostolicam vocem transfigurat se in Angelum Lucis, ministros subornat suos, noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei & perfidiam sub prætextu fidei, & dum verisimilia mentiuntur, veritatem frustantur. Hoc ideo fit, quia ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri cœlestis doctrina salvatur. Quare artificio politico ne ab opinione cadant, omnia subvertunt, omnia confundunt, ansam dantes inimicis, ut nostra irrideant; & verendum est, ne ipsi propter animi elationem cadant, pennisque propter volatus sublimitatem liquefactis misere corruant; imo periculum est, ne magna nostra mysteria in argutricem quandam artem desciscant, quod decreta Pontificia, quod definitiones sedis Apostolicæ, quod Anathematismi Conciliorum, frivolis interpretationibus eludantur.*

Pulchre, hos novitatis nuperos nundinatores descripsit Nazianzenus in Apologetisimo num. 18. *Qui per imperitiam, ejusque comitem temeritatem adversus omnem doctrinam suillo quodam affectu gradiuntur, pulchras margaritas conculcant. Vel qui nec certam ullam opinionem, vel probam ullam, vel vitiosam formam impressionemque secum ferentes, verum sermonibus omnibus magistris, se subjicientes tanquam ex omnibus id, quod melius, certiusque electuris, ac sibi ipsis, hoc est malis veritatis judicibus, confidentes, à disertis postea verbis, & ad persuadendum comparatis, subinde circumferuntur, atque versantur omnibusque sermonibus obruti, protritique, Doctoribus permutatis, ac multis litteris velut pulvere in ventos facile abjectis, omnes puræ fidei doctrinas fastidiunt, pervitiosamque formam sibi sculpunt, &c.* Ho-

Horum Patrum reprehenſione digna eſt *Periodus iſta* Leodegarina Raynaudi, qui ſubornatus ab Angelo malo ſub ſpecie pietatis in malum transformato mentitur veriſimilia, & veritatem fruſtratur, dum originem illius non quærit, nec Caput Eccleſiæ, qui eſt Magiſter doctrinæ cœleſtis, inquirit; & *artificio politico*, & non Theologico veram doctrinam infuſcat, adverſus quam ab Congregat. ſtabilitam graditur *affectu ſuillo*, ſe in cœno ſuo revolutans, & pretioſas conculcans Margaritas, ſibi ipſi peſſimo judici fidens, contra fidei judices Purpuratos, diſertis verbis perſuadet falſitatem, Doctoribus permutatis, & ad ſuum intortum ſenſum violenter attractis, multis rationum argumentis, ſicut pulvere in ventos abjectis, pernitioſam formam de vero martyrio *charitatis* ſibi inſculpit, tam tenaciter, imo tam pertinaciter, ut nec decreto Apoſtolico ſuo libro infixo vivacitatem illius vult derelinquere, ſed transfixus ſe quoquoverſus circumfertur, & ſagittam nequit excutere.

Sed videamus ſigillatim mendaciorum, aut mentalium reſtrictionum cœnum, in quo grunniens Leodegarius Raynaudi circumvolvitur. 1. Et valde pernicioſum in judices Sacræ Congregat. *quod iſti non damnarunt librum Raynaudi de martyrio in peſte; ob falſitatem doctrinæ, ſed quia dandum erat aliquid inſtantiſſimæ petitioni P. Nicolai Rodulphi Generalis Ordinis Prædicatorum qua ſuum ordinem violatum à Theophilo expoſtulabat.* O Leodegarium Raynaudi virum in malitia ineffabilem! ut ſe à Congregationis vinculo decretali exſolvat, & librum à cenſura liberet, Congregationem ipſam denigrat ſæpiæ imitator, quæ ne intercapiatur, aquas claras atramento ſuo tingit, Congregationem infamat, Congregationem exauctorat, dum falſo adfirmat ipſe (non Eminentiſſimus Cardinalis Spada & rectiſſimus judex) non proſcripſiſſe libellum de martyrio, ipſumque in integrum damnaſſe ob falſitatem doctrinæ, ſed *quia dandum erat aliquid inſtantiſſimæ petitioni Reverendiſſ. Generalis Patrum Prædicatorum*; unquid Tribunal illud, quod non ponit in nu-

mero cum Tribunali Papæ, cujus est vicarium ad libros prohibendos, movetur ad instantiam, & petitionem partis, si ista ratione caret, si fundamentum non offerat in libello oblato suæ petitionis? quis hoc de Tribunali Pontificio excogitabit, si Catholicus est? Non enim Justitia moveretur & veritate, nec in illo *veritas & Iustitia* sibi obviarent, & non est Justitia ubi defecit veritas: & affirmare, quod Sacra Congregatio, consulto summo Pontifice, librum de martyrio *charitatis* Raynaudi, non damnavit ob falsitatem doctrinæ; scandalosum, & temerarium est. Sic enim animantur hæretici ad convitiandum & blaterandum contra Congregationes, summi Pontificis in partieularibus negotiis, vicarios, & judices.

Nunquid, ut ultionem à Theophilo, Generalis acquireret ob libellum, cujus titulus *Calvinismus, bestiarum religio*; totam Religionem Prædicatorum denigrat, in quo tot effutiæ continentur adversus doctrinam Aug. & D. Thom.? Generalissimo morem gerens Congregatio, si liber Theophili de martyrio veram doctrinam & sanam contineret, ipsum proscriberet, ipsum in totum damnaret? ut Raynaudo excruciationem, & mortificationem inferret, & non ob falsitatem doctrinæ? apage! quia libri istius damnatio sententia publica & decretum publicum est, non mortificatio, aut excruciatio regularis, qua multoties ob actiones innoxias Religiosi excruciantur; at sententia publica & doctrinæ infamatoria, nec à Congregatione, neque à Concilio ferri potest, si liber est innoxius & sanæ doctrinæ; sic enim jure optimo fideles Congregationem traducerent, & ulciscentem inimicitiam inter Theophilum & Generalem, ac non ea, quæ Jesu Christi sunt ulciscentem, quum à favore præpostero haud acute cernentem, & odio, nihil omnino cernentem; pura & immunis est semper Sacra Congregatio & ab utroque lemma. Pura, violentas sententias non fert, sed justo & integro judicio, utpote *superior pudore blanditiis, & metu*; nam (ut ait Peluseota *lib.* 3. *epist.* 175. *ad*....) *si cuivis horum affectuum succumberet,*

ret, totam judicii religionem obtineret; quod absonum est vel insinuare; est enim sacrum hoc tribunal justitiæ regula, & incorruptus judex, & disceptator eorum, de quibus controversia est, & dum damnat libellum de martyrio, de alio libello, cujus titulus, *Calvinismus*, *Religio Bestiarum*, quam suum esse fatetur Raynaudus, non agebatur cur in pœnam istius ille innoxius & vera doctrina (ut dicit Leodegarius) conspicuus damnandus est publico Decreto, quod solum versatur circa doctrinas aliqua censura ex officio dignas, quæ censura auctorem Catholicum non afficit, sed librum istum excruciat, & igni tradit, non auctorem, cum sententia ipsum non afficiat.

2. Mendacium est, quod Pater Suarez subiit censuram sub Paulo V. in eo quod asseruit posse pœnitentem absolvi à Sacerdote ipsi præsenti, si adsint testes quod dedit signa pœnitentiæ, ante quam adveniret Sacerdos; hi enim testes sunt quasi interpretes, per quos confitetur, & dat signa pœnitentiæ pœnitens, qui aliter nequit illa dare, in hoc enim quod est positum à Paulo V. in suo rituali, nullam passus est censuram, cum sit multorum Catholicorum sententia praxi communi firmata; sed Patris Suarez tomus 4. de pœnitentia censuratus est. In hoc, cum enim Clemens VIII. *suo Decreto ann.* 1602. damnarit, ut falsam, temerariam, & scandalosam, hanc propositionem, quam docuerat P. Suarez, *licet per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, sed ut ait P. Ludovicus Turrianus disp. 32. de pœnitentia dub. 4. post Decretum Clementis aliqui existimarunt, non esse damnatam à Clemente Confessionem absenti factam, si absolutio fiat in præsentia pœnitentis, & Sacerdotis, quia Clemens VIII. solum voluit damnare absolutionem factam in absentia, quæ explicatio displicuit Clem. VIII. cum res esset ad eum delata, & postea jussu Pauli Quinti reprobata est tanquam non subsistens, hoc est quasi parum consentanea [illegible] mentem Pontificis. Ecce in quo tomus 4. de Pœniten[illegible] Patris Suarez passus est censuram, non ut

mortificatio, & excruciatio inferretur prædicto Patri; ſed quia falſum dixit, & contra mentem ſummi Pontificis, quem nec improvidi, niſi maligni, & ſpiritu hæretico ferventes ceſpitaſſe judicabunt; nam cum hæc explicatio, quæ eſt ipſius Suarez, Clementi deferretur, illam ſuſtinere non potuit, & dixit: *accedat Suarez* qui accedens Romanam Curiam, propoſitionem & explicationem Decreti Clementini retractavit; quia tamen aliqui, mortuo Clemente, explicationem ſunt ſecuti, Paulus Quintus ſpeciali Decreto Congregationis eam interpretationem Decreti cenſura inuſſit; quæ nunquam marceſcet, ſed ſemper vigebit.

Hujus veritatis egregiam rationem dedit Ludovicus Turrianus. *Ex inſtitutione hujus ſacramenti, juxta ſenſum Eccleſiæ, ſecundum quem non confertur abſolutio pœnitenti præſenti, niſi vel per ſe, vel interpretem expreſſe, aut formaliter ſe accuſet, & poſtulet abſolutionem. Hæc autem eſt confeſſio facta præſenti Sacerdoti, & ita, quum aliquis per litteras manifeſtavit peccata Sacerdoti, non eſt abſolvendus ex vi confeſſionis facta in abſentia; ſed confeſſio facienda eſt in præſentia, ſaltem in aliquo ſigno externo quod virtualiter ſignificet quidquid prius manifeſtaverat. & certe ſi pœnitens ante abſolutionem poteſt comparere coram Sacerdote ut abſolvatur, non eſt cauſa ob quam non teneatur confiteri in præſentia. Hoc autem etiam habet locum, ſi pœnitens explicet peccata per interpretem, aut per teſtem loco interpretis juxta doctrinam traditam.* Hactenus vir ſatis doctus.

Ecce ubi tomus 4. Patris Suarez transfixus eſt in hac parte à Paulo V. qui non intendebat Auctoris recruciationem, ſed doctrinæ transfixionem, quam tu à tuo libello excludere vis, eligens mortificationem propriam, quam libelli exuſtionem, fingis illam, ut iſtam vites; ſed incaſſum, quia iſtam & liber ſuſtinet & ſuſtinebit, & illam dum vivas, non vitabis. Unde bene dixit Caſpenſis, quod transfixio propoſitionis Suarez non eſt ipſius pœna, ſed mulcta, & gravatio; pœnæ enim non eſt capax liber inani-

inanimis, nec Suarez illam est promeritus, quia non obstinate defendebat, sed obedivit Pontifici, unde innoxius gravatus est propter propositionem noxiam, & Raynaudus similiter innoxius cum esset, ejus liber ut noxius transfixus est, & proscriptus.

PERIODUS IV.

Ejusdem solutionis Leodegarinæ.

VEnenum quod vix digesserat Leodegarius Raynaudi in adductis periodis jam digestum evomit in præsenti; asserit enim n. 72. *Sed sit damnata assertio, pro qua satagimus. Non est damnata à Pontifice ex cathedra assertionem illam reprobante, ut factum est nuper ex cathedra ab Innocentio X. circa quinarium propositionum Iansenii, quas damnavit ut hæreticas, injecta universis fidelibus obligatione sic credendi, quod est damnare è cathedra. Nihil tale factum est circa assertionem, de qua agimus, sed, ut tu vis (adverte sermonem ô Hurtado) damnata est assertio illa ab Inquisitione Romana, vel à Congregatione Indicis Rursus dico, & tuis verbis dico (animadverte sermonem ô Hurtado) Theophilus & omnes boni Romanas Congregationes semper exquisite venerabuntur. Quare urges, ut possit dici à me illud Paulinum. Factus sum insipiens? tu me coegisti. Age vero; attende sermonem. tu Hispanum te gloriaris, nec uno loco. Quid ergo censes de præservatione B Virg non solum à peccato Originali, sed etiam à debito peccati Originalis in conceptione contrahendi? Scio te etiam circa puritatem conceptus illius à parentali labe posse videri suspectum. Tenemus quæ de festo cõceptionis, minus digne illi visti chartis dum captas aliam gratiam quam gratiam Dei, quod indecorum religioso homini pronuntiabat Guarricus. Attamen edissere quid sentias, & de Virginis in suo conceptu passivo, immunitate à peccato, & de immunitate à debito contrahendi labem prædictam; si neutrum affirmas, bene est Nemo tibi ea ex causa negotium facessit Non tamen te latet, quod universa fere Hispania tua sentiat.*

Invaluit

Invaluit enim in ea apud omnes doctos sensus unanimis, quod B. V. ne debitum quidem peccati Originalis contraxit. Hoc cum scias, vix, puto, audebis Homo Hispanus asserere, quod universa Hispania, vel fere universa erroneæ doctrinæ inhæreat: & tamen Inquisitio Romana assertionem illam de Immunitate B. Virg. à debito peccati Originalis damnavit ut erroneam. Et librum F. Ioannis Mariæ Zamori, cui titulus de Eminentissima Deiparæ perfectione, eo quod assereret eam carentiam debiti peccatum Originale contrahendi, voluit esse vetitæ Lectionis, æque ac eadem Inquisitio Romana (ut tu vis) damnavit assertionem Theophili Raynaudi de martyrio per pestem. At tua Inquisitio Hispana nec librum Theophili habuit pro damnato, sicut nec librum, & doctrinam P. illius Capucini, quam potius diserte, & conceptis verbis admisit, ut errore liberam, & quam fas esset tueri, atque publice asserere.

Et n. 73. *Age Hurtado expedi te his pedicis, vel agnosce quale sit tuum Taratantara toties ingeminatum, & tanto clangore repetitum de operis à Raynaudo conscripti damnatione, si scriberes contra Zamorum, audere sne in tota Hispania ita insultare, & objicere Romanorum Quæsitorum damnationem? &c.* Quibus conatur ostendere, quod non obstante, quod Liber Raynaudi de *Martyrio per pestem* sit damnatus ab Inquisitione Romana, nihilominus potest inoffenso pede (non secus ac Hilarii libri) currere, quòd probat duobus aliis exemplis. unum est de primo Bellarmini volumine, quod tempore Sixti V. positum est in indice librorum prohibitorum, eo quod improbasset Canonistarum sententiam, quod Pontifex potiatur Dominio directo in omnes Christiani Orbis Provincias; quod decretum sapientiori postmodum consilio rescissum fuit, etsi re ipsa fuerit latum. Alterum est primo in libro, cujus titulus est *Armamentarium Seraphicum*, secundo in libro Elucidarii Pozæ, qui ut ait Joannes Martinez de Prado *cap. 3. q. 7. n. 10. qq. Moralium in Hispania sunt permissi cum correctione; & Romæ in integrum sunt proscripti, cujus titulus est armamentarium Seraphicum,*

qui

qui Romæ positi sunt inter libros vetitæ Lectionis, & tamen in Hispania permittuntur. Hæc Leodegarius Raynaudi.

Vicisti Galle, vicisti. Jam venenum quod digessisti, effusum est in Ecclesia, jam tuis sophismatibus Congregationis sententiam damnatoriam tui libelli de Martyrio vero charitatis solo coæquasti, frustrata manet jam, sine viribus ad damnandos libros; jacet jam ejus judiciaria potestas, vicaria potestatis Pontificiæ expiravit in Ecclesia, jam Cardinales Eminentissimi ad hoc judicium sunt inermes, jam sanctum Officium Inquisitionis vim, cui obedire teneantur fideles, non habet ad censurandum libros, ad illos inhibendos, quorum lectio damnata sit; solum summus Pontifex id potest, qui sicut nequit delegare potestatem definiendi res de fide, ita neque potestatem damnandi & censurandi Juridice libros morbosæ doctrinæ; quare solus Pontifex habet vim coactivam ad illos damnandos; cæteri vero vim tantum directivam, quæ non obligavit ad mortale, & sic quilibet poterit absque mortali offensa illos perlegere.

Hæc est victoria, quam es consecutus, Leodegari Raynaudi, ad eam consequendam armamentarium tuum arma præbet, ut hanc victoriam canam, ter exposcis à me attentionem, excitas meam buccinam, ut taratantara suo & clangore excitet, ut victricem manum tuam omnes pariter laudemus. Verumenimvero victoria ista tua probrosa omnino est temeraria, erronea & digna omni supplicio; ut enim ait Nazianzenus. *Orat. 1. n. 18. Præstat honeste vinci, quam periculose & nefarie vincere*, vicisti sed periculose, sed nefarie; quod majus periculum apostatandi à fide. quod majus nefas, quam sic argumentari? *sit damnata assertio pro qua satagimus, non est sane damnata ab ipsomet Pontifice ex cathedra assertionem illam reprobante, sicut reprobavit ex cathedra Innocentius X. quinarium propositionum Iansenii, quas damnavit ut hæreticas, injecta universis fidelibus obligatione sic credendi, quod est damnare ex cathedra. Nihil tale factum est circa assertionem de qua agimus, sed ut tu vis (Hurtado) damnata est*

assertio

assertio illa ab Inquisitione Romana, vel à Congreg. Indicis, Theophilus & omnes boni Romanas Congregationes semper exquisite venerabuntur. Ast nihilominus extant decreta aliqua Congregationis hujus, quæ non sunt admissa; imo in dissuetudinem abierunt, & sententiæ & libri eis prohibiti, & publice defenduntur, prælo dantur, & impune leguntur; opinio enim illa quod B. Virgo non contraxit debitum contrahendi maculam originalem, Romæ est censurata, ut erronea & tamen defenditur, & typis datur. rursus Decreto ejusdem Congregationis tomus 1. *Bellarmini etiam est prohibitæ lectionis, quousque corrigatur, & tamen exsolutus est omnino sine aliqua absersione; ergo pari modo liber de martyrio per pestem, etsi decreto Congregationis sit damnatus, & proscriptus, nihilominus legi potest impune.* Hæc est tua argumentatio ad breviorem summam redacta.

Hoc argumentum erroneum, & qui illud facit, suspectus de hæresi est, cum ex diametro opponatur Bullæ Sixtinæ, quæ *incipit: Immensa.* de qua supra in Erectione Congregationis *de indice.* Sic ei jurisdictionem tribuit. *Postulat à nobis Pastoralis Officii solicitudo; ut vulpes dolosas, & lupos rapaces ab ovili Christi omni vigilantia arceamus. Quare, ut Cardinales, qui ad libros prohibendos expurgandosve in ea cura diligenter, & majori cum fructu versentur, has illis facultates tribuimus.* & infra. *prout expedire judicaverint, permittant libros, qui post Indicem Trident. Concilii jussu editum prodierunt Catholicæ doctrinæ Christianorumque morum disciplinæ repugnantes expendant, & recognoscant: at ubi nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant.* Hæcibi.

Ex quibus tale formo argumentum, apud Catholicos & bene morigeratos viros ineluctabile: vel Pontifex, dum hæc disponit, loquitur è cathedra, vel ut particularis D. hoc secundum dicere nemo audebit, cum ipse Papa dicit, quod *Pastoralis officii solicitudo ipsum solicitat, ut dolosas vulpes, & lupos rapaces ab Ovili Christi omni vigilantia arceat*; unde loquitur ut universalis Pastor totius Ovilis Ecclesiæ, unde loquitur ut Pontifex & per consequens

quens è cathedra Petri, cui in Pontificatu ſuccedit; ergò dum Eminentiſſimis Cardinalibus hujus Congreg. & Congreg. S. Officii poteſtatem dat, ut libros ſanæ & Catholicæ doctrinæ repugnantes, ubi eos ſuæ Beatitudini retulerint, *Auctoritate Apoſtolica rejiciant*, non erravit ſua Sanctitas, ſed illis Commiſit juriſdictionem, quam delegare poſſe agnovit; ergo ſicut ſi ſolus ſummus Pontifex librum prohiberet, proſcriptus manet & damnatus, ita ſi Congregatio id faciat ipſo ſummo Pontifice conſulto, ut conſulere tenetur ante proſcriptionem & damnationis ſententiam. Conſequentia eſt evidens, quia id faciunt auctoritate Apoſtolica; unde in Regulis librorum prohibitorum diſpoſitis & concinnatis per Patres à Triden. Synodo delectos, & à Pio IV. comprobatæ & confirmatæ ſpeciali conſtit, *quæ* incipit *Dominici edita die* 24. *Martii* 1564. in ultima Regula in fine dicitur. *Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit præter mortalis Peccati reatum, quo afficitur, judicio Epiſcoporum ſevere puniatur.*

Unde evidenter deducitur, quod Congregatio *de Indice*, habet poteſtatem, conſulto ſummo Pontifice prohibendi libros in Univerſa Repub. Chriſtiana, quod ipſa ſacra Congregatio in Epigraphe Decreti profitetur his verbis. *Decretum ſacræ Congregationis Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. D. S. R. E. Cardinalium à SS. D. N. Innocentio Papa X. ſanctaque ſede Apoſtolica ad Indicem librorum eorumdem, permiſſionem, prohibitionem, expurgationem, & impreſſionem in Vniverſa Repub. Chriſtiana ſpecialiter deputatorum ubique publicatum.* Hic titulus Indicis librorum prohibitorum à ſacræ Congreg. Præfecto Eminentiſſ. Card. Spada *anno* 1646. *die* 18. *Decemb.* unde niſi fiat ſpecialis ſupplicatio ad Sanctiſſimum pro aliquo libro, & ſic ſuſpendatur Decreti efficacia, hoc exerit vires ſuas ad obligandum ſub mortali, ne liber prohibitæ lectionis legatur in tota Repub. Chriſtiana, niſi ignorantia invincibil[illegible] Decreti, aut ejus publicationis intercedat, & ſic excuſa[illegible]r quis à mortali.

Ut

Ut tamen hoc intelligatur rectius, & Leodegarii Raynaudi malitia omnibus pateat, notandum quod locutio Pontificis è cathedra varios habet gradus; quamvis enim semper quod loquitur ut legislator, ut Pastor, ut Pontifex, ut Rector totius universalis Ecclesiæ, loquatur è cathedra Petri, cui hæc omnia facere demandata sunt à Christo Domino illis verbis, *pasce oves meas*; istæ namque pascuntur legibus, Decretis, pascuis Doctrinæ, regimine, & Pontificio munere; unde loqui è cathedra idem est, quod loqui *ut Pontifex*. & loquitur *ut Pontifex*, dum leges edit ad regimen Ecclesiæ, dum pascua doctrinæ porrigit, res fidei definiendo, aut libros censurando, qui noxii esse possunt ovibus suis; censura autem non solum est hæreticalis, aut erronea, sed etiam temeraria, scandalosa, piarum aurium officiosa, proxima hæresi, &c. quare aliter loquitur è cathedra dum rem definit, aut declarat aliquam sententiam esse hæreticam, quod est specialis modus definiendi, quem nulli hucusque commisit, sed sibi, & Concilio Generali reservavit. Cæterum Decreta ferre pro Universa Ecclesia, ad illam regendam, & gubernandam, aliis committit, & de facto commisit multis Congregationibus, quæ commissio è cathedra facta est, & decreta, quæ fiunt ipso consulto, & approbante, *Auctoritate Apostolica* conduntur, & ipsius Pontificis sunt Decreta, à cujus cathedræ vigore firma sunt, & vires exerunt in Universam Ecclesiam, & ipsorum approbatio fit à Papa è cathedra loquente: sed inter has è cathedra locutiones & responsa Pontificia est discrimen notandum, quod dum Pontifex definit aliquam veritatem, de fide, aut definiendo declarat aliquas propositiones esse hæreticas, aut erroneas; aut habere aliquam ex dictis censuris, ut forsan fecerunt Pius V. & Greg. XIII. in censuris Michaëlis Baii, in Bulla speciali. Hæc locutio è cathedra est infallibilis, & sic semper immutata perseverabit, usque ad finem sæculi. at quum Pontifex per ministros suos, quos admittit *in partem solicitudinis* Universalis Ecclesiæ, loquitur è cathedra, illis committens authoritatem suam, ut eos nomine, &

ipso

ipso Consulto, negotia aliqua expediant, aut ipse solus legem universalem fert, hæ è cathedra locutiones possunt silentio oppositore melius considerata occupari, & immutari, contraria lege, aut Decreto, ut contingit in constitutionibus Apostolicis, quarum aliquæ successu ab eodem Pontifice, qui eas condit, aut successoribus, aut abrogantur, aut moderantur, aut ad terminos Juris communis rediguntur pro temporum, & circumstantiarum varietate, Regionum, Religionum & Provinciarum, atque Regnorum diverso regimine Politico.

Cæterum circa librorum noxiæ & morbosæ doctrinæ proscriptionem, & damnationem factam à Congregatione *Indicis*. consulto summo Pontifice (qui cum responsum dat Cardinalibus illud petentibus è cathedra loquitur, quia, ut vidimus, dat responsum ut Pastor Universalis Ecclesiæ, ut pascat oves doctrina sana) quod cum liber, sententia publica non proscribatur & damnetur ab Eminentiss. judicibus Apostolica auctoritate sibi ad hoc specialiter concessa, nisi quia dignus est censura ex officio, & ea sit inustus liber auctoritate Apostolica, nisi Pontifex utens dominio alto, & plenitudine potestatis, re de novo consulta, & libro de novo reviso, & in noxio invento, nullus in Ecclesia potest librum à censura liberare, nullus potest nisi speciali privilegio sit munitus illum exsolvere à damnatoria sententia. Ratio est evidens, quia hæc sententia lata est à judicibus competentibus authoritate legitima Pontificia munitis; unde eo ipso, quo est publicata, jam transiit in rem judicatam, unde nisi evidenter ostendatur coram judice superiore fuisse injustam, semper manet firma, & immutata. Neque enim par est, & conveniens Regimini Ecclesiæ, quod quisque sit judex in causa propria, & si damnatus est liber, ipse suo decreto liberum à damnatione constituat. egregie hoc reprehendit Nazianzenus in novitatum amatoribus, *qui nulli se subjiciunt, qui ad libitum id eligunt, quod melius & certius videtur sibi ipsis*, hoc est *malis veritatis judicibus*, co[illegible]dentes.

Quis, obsecro, ex his, qui hodie sunt in Ecclesia, ēx quorum auctoritate emendicavit chirographa Leodegarius *iste* Raynaudi, majoris sunt ponderis, majoris gravitatis in judicando de libri prohibitione, & proscriptione, quam judices illi integerrimi Eminentissimi Card. quibus assentitur summus Pontifex, de cujus consensu, & approbatione liber damnatur, ut possit Leodegarius illis nixus effutire, quod liber suus injuste damnatus, eorum subscriptionibus emendicatis, clamet furtive liber inoffenso pede currat, sicut currunt alii damnati ab eadē Congregatione? *O insignem vecordiam! O temeritatem & audaciam! O sapientem animam ad male faciendum, suum autem cruciatum minime fugientem!* ait Nazianzenus. *Orat. 2. n. 29.* si ita est, Leodegari, nulla Catholicorum librorum opuscula etiamsi in doctrina morbosa sint, ita damnata sunt à Congregatione *de Indice*, aut Consilio supremo *S. Inquisitionis*, ut legi impune non possint, aut si non possunt; dicas qui hujus prohibitæ lectionis judex est, aut solus summus Pontifex; & hoc dicere est erroneum, quia erecta sunt Tribunalia & Congregationes ad id præstandum, aut auctor libri simul cum aliis, à quibus subscriptiones expiscatur, & hoc etiam erroneum est, cum nullus nisi summus Pontifex habeat potestatem ad exolvendum librum à censura & sententia proscriptionis data semel, secundum allegata & probata. Judices ad prohibendos libros morbosos sunt Eminentissimi Cardinales aut Inquisitores fidei, illi pro Universa Repub. Christiana, & isti pro suo territorio, & si hoc dicas, ut teneris tanquam Catholicus dicere, jam te teneo, & liber de martyrio Raynaudino interceptus manet, & proscriptus in tota Ecclesia. *Hoc probavimus Catholica auctoritate sanctorum, ac per hoc non est consequens, quod hoc falsum sit, quia illa vera sunt. Tales quippe ac tanti viri hoc verum esse confirmant, ut vestra fragilis, & quasi argutula novitas sola authoritate (utpote Apostolica) conteratur istorum; quod tenent, teneo, quod docent, doceo, quod prædicant prædico, istis cede, & mihi cedes, acquiesce istis, & acquiesces mihi.* Verba sunt

Aug.

Aug. *ex lib.* 1. *&* 2. *contra Iulianum*, lege eas Leodegari Raynaudi, & *attende tibi*, nam ego attendens ad tuas pedicas ex filis aranearum contextas, ab illis facillimo & ſano modo me expediam.

Imprimis eam, quam confidenter conflas ex Decreto Congregationis Romanæ, ex cujus Decreto, erronea eſt declarata ea ſententia quæ adfirmat, quod B. Virgo non habuit debitum contrahendi originale peccatum, & liber illius P. Capucini, in quo continebatur, proſcriptus eſt, & tamen in Hiſpania liber inoffenſo pede currit, & aſſertio impune defenditur à viris doctiſſimis facillimo negotio, rumpitur: nam Declaratio & Decretum Congregationis, quod huic ſententiæ cenſuram inuſſit, loquitur de debito remoto contrahendi originale, quatenus per ſeminalem propagationem ab Adamo procedit B. V. niſi velis dicere conceptam fuiſſe de Spiritu Sancto, quod non fuiſſet parva ejus perfectio, ut arguit Epiphanius *contra Colyridianos.* negare autem in B. V. hoc debitum remotum, eſt negare conceptam ex maritali concubitu, quod eſt error manifeſtus in fide; & de hoc interpretantur DD. Catholici, qui debitum proximum, quod aliquatenus videtur illis denigrare B. V. puritatem illi denegant, & quidem ſuppoſito quod à peccato Originali fuit immunis, ſatis eſt probabile, quod non habuerit hoc debitum proximum. Liber tamen Capucini interceptus, non quia hoc debitum negabat, ſed quia vel remotum denegare videbatur, vel quia abſolute debitum negabat.

Tum quia Inquiſitio Generalis Hiſpana habet privilegium Apoſtolicum dandi licentiam legendi libros prohibitos Romæ à ſacra & Univerſali Inquiſitione, & à Congregatione *Indicis* quam cenſetur dare Hiſpanis eo ipſo quod non publicetur ab illa, vel à Nuntio Apoſtolico ipſa non ſupplicante, liber Romæ proſcriptus & damnatus, & ſic fecit cum *Armamentario Seraphico*, quod etſi Romæ ſit damnatum, tamen Inquiſitio Hiſpana utens privilegio ſuo, ſine quo id non poſſet dare licentiam omnibus illud legendi in ſuo territorio, & Regnis ſuæ delegationi

ſubjectis. quod non facit de libris Raynaudi; cum enim Madriti à Nuntio Apoſtolico index librorum prohibitorum de anno 1656. publice conſentiente Conſilio ſupremo Inquiſitionis eſſet è pulpitis à Notario Apoſtolico publico, promulgatus, in eoque contineatur damnatus à Congregatione Romana liber de Martyrio charitatis cum aliis ejuſdem Raynaudi, jam in Hiſpania eſt liber lectionis prohibitæ, nam pro libris Juriſtis, qui tractant *del Tribunal de las fuerzas, & de retentione Bullarum facta ſupplicatione ad ſanctiſſimum*, ut ſunt Allegationes Larreæ, liber tertius de Jure Indiarum tom. 2. Solorrani. Salcedo de lege Politica, & alii ſimiles, qui in Indice præfato continentur: Promotor Fiſcalis Conſilii ſupremi Caſtellæ ſupplicationem fecit *ad ſanctiſſimum*, ut eorum proſcriptio ſuſpenderetur, cui Pontifex annuit, & non reproſcripſit eos libros; quare omnes alii contenti in Indice ubique terrarum proſcripti & prohibiti perſeverant.

Idem judicium eſto *de tom.* 1. Eminentiſſimi Card. Bellarmini. Decretum enim tempore Sixti Quinti, quo inhibitæ lectionis fuit factus, re diligentius examinata de Ordine Summi Pontificis reſciſſum eſt Decretum, & inoffenſo pede currit ſententia Bellarmini, quod Summus Pontifex ſolum habet poteſtatem temporalem non in univerſum, ſed ſolum indirecte, quod egregie probat idem *Card. lib.* 5. *de Romano Pontifice cap.* 6. *&* 7. ſed tu Leodegari, oſtende ubi & quando eſt reſciſſum Decretum damnationis libelli de Martyrio tuo, vel à quo Pontifice, aut Congregatione, nunquid eſt reciſa ſententia Apoſtolica hujus damnationis, à Doctoribus Luſitanis? num ab Hiſpanis? num à Gallis? num ab aliis aliarum nationum Doctoribus? inter quos innumeros proletarios annumeras, ut augeas ingentem numerum teſtium? Numquid ab aliis duodecim Univerſitatibus, Lithuana, Salyana, Bituricenſi, Muſſipontina, Dolana, Herbipolenſi, & aliis ſimilibus poterit exſolvi cenſura Juridice data, & ſententia lata? certe quidem horum ſimul junctorum teſtimonium non erit ſufficiens ad eam infringendam, ſed ſem-

per

per immota permanebit, nisi res scindatur auctoritate Apostolica, à qua dimanavit.

Ecce Leodegari Raynaudi, victoria magnifica tua, quam meum repetitum taratantara diffamat, quum tu Congregationes Eminentiss. Card. *Inquisitionis de Indice* voce tuæ Tubæ corneæ infamas & denigras, cum earum sententias, & Decreta, quia non sunt à solo Summo Pontifice, infirmas esse dicis; si enim velis dicere, quod Summus Pontifex eas exsolvere possit, & à damnatione librum liberare, nullus tibi negat, nec negabit Catholicus, tamen quousque exsolutio Pontificia adveniat, nullus bene Catholicus dicet, quod damnationis sententia non subsistat, & quod non exerat vires suas ad obligandum ne liber legatur, tanquam prohibitæ lectionis, alias quisque potest judicem se constituere contra sententiam latam à judicibus Purpuratis, & ab Inquisitoribus fidei, quod quam ingens sit absurdum, quantam inde arripiant hæretici, ut nostras res vilipendant, occasionem, per se patet, Quomodo exquisite veneraris Congregationes Romanas, quum persuades ejus decreta legitima? Labiis dumtaxat veneraris, cor autem tuum rebelle & inobediens est; quam inobedientiam etiam ore explicas, & ut eam videam, tripliciter dicis: *Attende ô Hurtade.* & ego respondeo: *Attende tibi* Leodegari Raynaudi, & undique circumspice, quia in medio laqueorum ingrederis, ut te exsolvas à laqueo à Congregatione libris tuis, uni de Martyrio charitatis, alteri de communione pro mortuis, de utroque dicitur, *idem furnus, idem duxit trochus.*

PERIODUS ULTIMA.

Ejusdem Leodegarinæ solutionis.

Obturans Leodegarius Raynaudi aures suas tanquam aspis, ne audiat vocem *incantantis sapienter* (sacræ scilicet Congreg. *de Indice*, cujus prudentissimum, & justissimum damnationis Decretum *taratantara* meum publicat & intonat) includit insolentissimam solutionem

ad argumentum quod ego feci, & quo coëgi, ut *virus Lernæum* effunderet & evomeret ann. 75. dicens. *volo in hac meta repræsentare Hurtado, quæ nuper legi in Codice de Immunitate Cyriacorum à censura, ut intelligat quam bene Raynaudo objiciat damnationem Romanam, & tot sannis respergat, quod dixisset Theophilus statutum cum bono Deo librum suum minime emotum monstruosis vocalibus. Ex iis enim, quæ inde referam, intelligere poterit Hurtado (nisi ei pro corde sit pepo) non esse temere insultandum.*

Igitur ex præfato Codice, in quo satis putide & audacter contra canes, qui Ecclesiam ab insultibus malorum Doctorum seminantium novitates, perversas defendunt, obloquitur & blaterat Codicis Auctor sub nomine Cyriacorum ex præfato in quam (nec Justiniani, nec Theodosii) refert, qualiter Cyriaci post Joannem Baptista Moza, Raynaudum odio insequantur, & quod Reverendiss. P. Magister Generalis Nicolaus Rodolphus ipsi Theophilo fuerit Parisiis minitatus; quomodo Reverendiss. Mag. Sacri Palatii Nicolaus Rodolphus (qui ob memoriæ fælicitatem, & alia insignia merita in re litteraria tam in suggestu, quam in cathedra, tam in Hispania, quam in Italia (utrobique ipsum cognovi, tractavi & amicitia fui ei devinctus) *el Monstro* in Hispania primo fuit vocitatus) *Monstri feroces baubatus adeo alte dederit contra librũ de Martyrio, ut ex ipsa Gallia exaudirentur, utriusque Nicolai Cyriacorum solicitudo invaluit, ut libelli damnationem extorsit*, sed antequam *ejus damnatorium Decretum* in publicum ederetur, & affigeretur ad Valvas S. Petri, & in Acie Campi Floræ, *retardatum fuit* (ait) *intercessionibus serenissimorum Principum, & Cardinalis Ducis Richelæi, per excellentissimum Ducem Crequium Regium extra Ordinem Oratorem, ad præstandum Pontifici obedientiam submissum. Ad fortia ergo Franciſci, & subaudiani Oratoris postulata Vrbanus VIII. librum accurate recognosci præcipit, ad id adhibitis Eminentissimo Card Eregio & Reverendiss. Francisco Sanseverinate Potentiæ Episcopo, nec non Illustrissimo Boccabella S. Officii assessore. Ab his integerrimis*

gerrimis & Doctiſſimis Cenſoribus liber recognitus eſt, & uſquequaque labis purus, ita ut ſuo & adjunctorum nomine Eminentiſſ. Eregius confirmarit Pontifici ex eo libro nec ſyllabam quidem tolli poſſe. de quo (inquit) *ſunt multè locupletes teſtes, & ſic Pontifex ſuccenſuit prioribus Cenſoribus, quod librum innoxium vocarent in diſcrimen. Iuſſitque amplius non fieri mentionem ſtringendæ in eum librum cenſuræ, & Decretum jam confectum oblitterari ac publicatione ſublata evaneſcere mandavit.*

Sed priuſquam ad alia hujus periodi ſuccenſenda, & accendenda gradiamur, curſim hîc adnoto, cum S. Hilario. *lib. contra Conſtantium Imperatorem.* Quod *miſereri licet noſtræ ætatis laborum, & præſentium temporum ſtultorum opiniones ingemiſcere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſæculari laboratur.* Unde in approbanda ſana & reprobanda morboſa doctrina, favor ſæcularis ambiri non debet, ipſa enim ſanitas, ipſe morbus doctrinæ cognoſcendus eſt à medicis, qui illum cognoſcere valent; etſi ſanitas aut morbus Eccleſiaſticus eſt ad medicos Eccleſiæ, qui de ipſo ferant judicium, deducendus, ſine ambitione Sereniſſimorũ Principum favore, hic enim nihil conducit ad ſanitatem, aut morboſitatem doctrinæ, niſi forſan, ut cenſorum turbetur judicium, ut id quod oportet Eccleſiæ non proferant. Unde liberius ut cauſam Athanaſii terminaret, reſpondit Eunucho Imperatoris Conſtantii; toto conatu poſcentis, ut Athanaſius à Liberio damnaretur. *Si Imperator* (inquit) *curam ſuam pro Eccleſiaſtica pace interponere quærit, aut ſi ſcripta à nobis pro Athanaſio deleri jubet, deleantur quoque ea, quæ contra ipſum ſcripta ſunt, fiatque Eccleſiaſtica Synodus longe à Palatio, ubi neque Imperator præſto eſt, nec comes adſit, nec Iudex terreat, &c.* Hanc inſtructionem reliquit Summus Pontifex Liberius ſuis Succeſſoribus in cathedra Petri, ut cauſam alicujus viri Catholici, & valde celeberrimi in Eccleſia terminarent. Non *adſit Imperator, non Princeps, non Dux, non*

Comes, aliusve humanus favor, sed solus timor Dei, & Apostolica institutio.

Hanc Liberii doctrinam prævidens, & bene sciens Urbanus VIII. qui tot humanos favores interpositos videbat à Theophilo, ne liber de suo martyrio charitatis proscriberetur, ut liber damnatæ lectionis, & Censores illos, quos ad revidendum libellum designavit, posse humano favore ductos exsolvere à damnatione, quod & loquela ipsorum manifestavit, dum dixere *nec syllabam ex illo tolli posse*, cum tot absurditates Censores à Congreg. designati inveniissent, videns rem Censorum suffragiis dubiam, ad tempus magis opportunum remisit, in quo non interceissiset tantus humanus favor Sereniissimorum Principum; sed rei gravitas *solo pondere sanctuarii* & non *Regio* ponderaretur, sed dixit, quod pro tunc Decreti jam facti à Congregatione publicatio suspenderetur, non tamen (ut fingit Leodegarius Raynaudi) mandavit, aut jussit amplius non fieri mentionem stringendæ in eum librum censuræ, si enim hoc mandatum extaret, nequiret sacra Congregatio iterum ad illius censuram revenisse: quis hoc dicet nisi temerarius, & stupidus? ast revenit, & de facto librum damnavit, ergo tale mandatum *Vrbanum* nunquam fuit.

Progreditur, in Periodo sua. *n.* 77. *Delata est* (ait) *ad S. D. Innocentium querela, à quo dati sunt Censores novi; sed in quorum labiis gladius fuit, & cum Pontifex mandasset librum recognosci, & auctorem doceri, in quo deliquisset, jussi sunt Censores diverticula quærere, jubente eo; qui honoris sui interesse contendebat rem judicatam, (etiamsi per errorem & obreptionem) stare inconcussam*, & dixit quidem conceptis verbis si res non esset facta, non fieret, quandoquidem vere facta est, & agitur honor judicum: habeat, qui damnatus est patientiam. Quare extorqueri nunquam potuit, ut Censores illi novi sensum suum aperire sinerentur, proindeque multi hæsere, uno dempto R. Hilarione Ranchato, qui semper intrepide professus est in librum de martyrio per pestem nullam intorqueri posse Theologicam notam,

notam, cum doctrina in eo contenta esset saltem probabilis, atque adeo extra aleam damnationis; quod enim probabile est, damnari non potest. Instaurato rursus judicio, Pontifex homini, qui maxime libro & auctori fauturus putabatur (certe debuerat) rem totam commisit, sed is rationibus suis ac spebus consultum volens, veritatem cognitam, & sæpe privatim comprobatam in injustitia detinuit. Tanti fuit non minuere uno calculo candido, subvectionis ulterioris executionem præconceptam.

Res in Vrbe artificio fratrum sic gesta est; sed universæ Europæ aliter visum. Nam Theologi insignes ultra ducentos ex Lusitania, Hispania, Gallia, Belgio, Germania, Polonia, Italia, Antistites eruditione præstantes non pauci, Academiæ celebres duodecim astipulatione sua firmavere veritatem, nec quisquam emotis, eam ob rem, feris fluctibus marinis despumantibus confusiones suas, & detritum primorum Iudicum honorem causantibus; sed vera ratio ducenda fuit ex genio Mariniano, quem vir gravissimus ejus bene gnarus sic Italice exprimebat. Fa sempre gli suoi pastechi, puoi non unde chose gli contradica. Hactenus ex illo, quem dixi, libro de Immunitate Cyriacorum à censura, & hactenus Leodegarius Raynaudi in sua solutione & exsolutione martyrii sui novi à damnatione.

Certe cum attente confidero textum, seriem, & periodos hujus solutionis argumenti desumpti à decreto Congregationis & exsolutionis & liberationis ab igne censorio, librum *de vero martyrio per pestem* devastante, venit in mentem proverbialis illa Æschinis sententia in orat. *περὶ παραπρεσβίας. Involutus sum cum homine supra modum impostore, & improbo, qui ne insciens quidem, quidquam veri possit dicere*, & si quid tale dicit, est per accidens de *capillis & naso*, trahens in suum patrocinium, quæ sane intellecta sui libelli confirment damnationem; unde ut supra dicebam *Laureolam in mustaceis quærit*, dum ex negotiis, & rebus frivolis ansam arripit, ut suæ opellulæ de *novo martyrio* exsolutionem & immunitatem nanciscatur, & quam vix in navi Ecclesiæ sit proreta, aut alterius

muneris inferioris minister, illius Gubernatorem agit, carpens illius primos officiales, & qui illius sunt Cardines; imo & ipsum Gubernatorem, Christi vicarium: eo devenit ejus impostura & artificium politicum, sed cum malum habuerit principium, malum consequetur finem; ut enim Hormisda Papa *epist. 67. ad Possessorem* (ait) *Fixa sunt à Patribus, quæ fideles sectari debent instituta, sive prædicatio, sive verbum pro populi ædificatione compositum, si cum fide recta & doctrina sana concordat, admittatur, si discordat, aboleatur. Vnum est fundamentum, extra quod qualibet fabrica, si consurgit, infirma est: super illud quisquis superædificat, seu vilia seu pretiosa considerat; errat autem is, qui à via, quam S.S. P.P. electio monstravit, exorbitat.* Quæ autem sit pretiosa & sana doctrina, quæ vilis, & morbosa, publico & juridico judicio declaranda, non ad Doctores particulares pertinet, quamvis isti sint adjumento judicibus, quorum sunt assessores, consultores, qualificatores, ut ajebat Sixtus V. in erectione Congregat. *de Indice*; nam fora & porticus hodie Theologia impleta sunt. Quare nec omnis Theologus aptus est ad qualificandas propositiones, quas judicant Sacra Tribunalia; hoc enim absurdissimum esset. *Si enim olim* (ait Nicephorus Gregoras lib. 11. Hist.) *cum florerent Gentilium dogmata, ordinatio aliqua fuerit, & arcana, quæ Delphorum Theologis commissa erant, nulli alii vel edicere vel judicare licuerit, sive is Plato, sive Socrates, aut alius celebris sapiens fuisset*; ergo cum nova *de martyrio novo* Theologia ad Romanos Theologos sit delata, hoc est ad Cardinales, quibus per suorum Consultorum ministeria commissa est potestas judicandi, & decernendi, qui libri sunt prohibitæ lectionis, nulli licet contrarium judicare, sive sit Plato, sive Socrates, sive Universitas, & Acadamia celebris & sapiens; imo nec licet asserendo contrarium publice judicare. Quare mihi non dubium, quod magnus ille numerus Doctorum, & duodecim illæ Universitates ignorabant assertionem *de novo martyrio charitatis* à Raynaudo inven[illegible], fuisse

[illegible]damna-

damnatam Romæ, tam maturo judicio, tanto tempore maturato, tanta deliberatione condito, ut vix Pontifex ad decernendum contra Quinarium illum assertionum Jansenii, viri gravissimi cui in doctrina Aug. vix aliquis possit comparari, tot adhibuerit consultores; tam exquisitas diligentias interposuerit, quantæ interpositæ sunt in damnatione unius opellulæ Raynaudi, & adhuc iste conqueritur, & blaterat, quod rectissimi censores *veritatem in injustitia detinuit*, quod corrupti sunt vel timore, vel ne frustrentur à consequendo quod intendebant.

Quid? tu Poza Gallus, facis quod Poza Hispanus? Hic enim omnes judices sui elucidarii passione duci adfirmabat, recusabat Generalem Inquisitorem, & omne Consilium Inquisitionis, omnes ad Tribunal Pontificium provocavit, & dum Pontifex bene informatus ipsum Pozam de Hispania ad Romanam Curiam advocavit, recurrit ad Consilium Castellæ, ut ipsum Regia protectione defenderet & detineret, supplicans per Oratorem de mandato sibi imposito Romam adeundi, timebat enim ferulam Pontificiam, quam non effugit in Hispania, cum in carcere detentus sit à Consilio supremo Inquisitionis, prohibitus ne calamum arripiat ad libros conscribendos, qui tot scandalosos prælo dedit pro defensione sui *primi tomi elucidarii*, quos omnes prohibet Sacra Congregatio *de Indice* Ann. 1632. *die* 28. *Septemb.* Pontifice Urbano VIII. & Præfecto Congregat. Eminentiss. Cardinal. Pio: & Secretario F. Joanne Baptista Marinis.

Sic tu de primis Censoribus, ex quorum dictamine tempore Urbani VIII. fuit factum decretum damnationis, etsi ob rationes convenientes pro tunc non publicatum, conquereris. De secundis tempore Innocentii X. etiam dicis corruptos, & sic querulus existis, quia omnes *in injustitia veritatem detinent:* unde à judicibus purpuratis, qui sententiam damnatoriam pronuntiarunt, & publicarunt, & ab ipso summo Pontifice, cujus auctoritate & consensu lata & publicata est, provocas ad suffragia Chirographaria, quæ subreptitie obtinuisti, &

temerarie

temerarie atque erroneè præſumis, quod plus valeant iſta emendicata ſuffragia non judicum, quam ſupremi in Eccleſia judicis ſummi Pontificis, & judicium Purpuratorum, quibus in hoc negotio Apoſtolicam commiſit auctoritatem. His ſtrophis, ut in ſuo obſtinato ſchiſmate permanerent, tuis ſimillimis uſi ſunt Donatiſtæ, ut ait Aug. *epiſt.* 171. in qua ſub Perſona Catholicæ Eccleſiæ ipſos cohortatur, ut ad unitatem venirent, quos ita obſtinatione & rebelli voluntate devincit. Donatiſtæ *Litteras ad Imperatorem Conſtantinum, ut inter Afros Epiſcopi tranſmarini judicarent, miſerunt, datis judicibus, quos poſtulabant, & Roma judicantibus non obtemperaverunt, Epiſcopos apud Imperatorem tanquam male judicarent, recuſarunt, ab aliis rurſus Epiſcopis ad Arelatum miſſis, ad ipſum appellarunt imperatorem, ab ipſo autem auditi, & calumniatores inventi in eodem ſcelere permanſerunt.* Attende tibi Leodegari Raynaudi, & vide quam huic progreſſui Donatiſtarum perſimilis ſit tuus.

Quid dicam de te Leodegari Raynaudi? nullis judicibus acquieſcis, niſi his, quos tu conſtituis judices, cum nullam habeant Apoſtolicam auctoritatem; imitaris in hoc Donatiſtas illos, de quibus Aug. *epiſt.* 162. *ad Glorium, & Eluſium.* Qui tot judiciis reſtitere, omnes judices ſuſpectos publicando, ab uno ad alium provocabunt, ſemper inquieti, ſemper ſuffragia ultramarina quæritantes, à judicibus Romanis divertendo ad Imperatorem Conſtantinum, qui ipſos ad Concilium Arelatenſe remiſit, ubi conſulto Pontifice iterum damnati fuere, contra qnos ſic fatur Aug. (& ego contra te) *Quid vultis amplius homines, quid vultis amplius? non de auro, aut de argento veſtro agitur; expergiſcimini aliquando, non in aliqua obſcura quæſtione verſamur, non recondita ſecreta rimamur, quibus penetrandis vel nulla vel rara corda ſufficiant: res in aperto eſt, (omnibus* (nota) quia omnibus notificata eſt proſcriptio libelli juridice facta) *quid eminet clarius? quid cernitur certius?* ſic infra, poſt longam diſputationem habitam cum Glorio, Eleuſio, &

da aliis

aliis Donatiſtis. *Videtis hæc omnia* (ait Aug.) *& noſtis, & gemitis, & tamen videt Deus quod & vos in tam ſacrilega præciſione nulla res cogit permanere. Ecce, ite, conſulite quid contra hæc noſtra poſſint reſpondere, cognoſcite ſi proferunt* chartas, *proferimus* chartas, *ſi falſas noſtras eſſe dicunt, hoc nos de ſuis dicere non dedignentur: nemo delet de cœlo conſtitutionem Dei, nemo delet è terra Eccleſiam Dei, quia iſta totum orbem replet.*

Ecce Leodegari Raynaudi, Auguſtini argumento te premo, vides & noſcis decretum Apoſtolicum proſcribens tuum *novum martyrium charitatis*, & gemis preſſus ejus graviſſimo pondere, & compreſſus efficacia, & adhuc vis in tam ſacrilega obſtinatione perſiſtere, cum nulla res, nullum argumentum ex aliquo loco Theologo deſumptum te cogat in ea permanere, niſi induratio cordis, & aurium obturatio. Vade & conſule viros prudentes, doctos, & Eccleſiæ obedientes, quid modeſte, & religioſe poſſit reſponderi ad decretum Apoſtolicum; nam quod tu reſpondes, Catholicum non eſt, ſanum non eſt, impium eſt; quod in ſententia quam contra tuum librum tulit Sacra Congregatio de Conſenſu Innocentii X. (qui tanta attentione & deliberatione fecit ſemel & iterum revidere libellum, quem remiſit ei, qui putabatur favorem impenſurus (*ut tu dicis*) & tamen coactus veritate, contra librum ſuffragium dedit, quod eſt magnum argumentum non eſſe ſanæ doctrinæ) *fuit veritas in injuſtitia detenta*, quia veritas erat pro tua cauſa; hoc enim dicere erroneum eſt, temeritate, & audacia plenum. Hanc eandem ſolutionem dabant Donatiſtæ in ſuo ſchiſmate obſtinati, ad ſententiam, quam contra ipſum in favorem Cæciliani dedit ſummus Pontifex Melchiades, dedereque aliæ Epiſcoporum Congregationes factæ Arelati, Romæ, coram Imperatore & aliis locis, nullum dolum, nullum ſtratagema emiſerunt, ut à judicio Epiſcopali, & Melchidiano decreto, ſi exſolverent, emiſerunt; ſed tu non omiſiſti. Quare timeo ne à Romana Congregatione ad Regem Chriſtianiſſimum provoces,

voces,

voces, ut convocet Eccleſiam Gallicanam, ſicut convocata eſt Arelati ad petitionem Donatiſtarum, & ſententiam ferat contra decretum Romanum, & ſicut Imperator Conſtantinus remiſit Donatiſtas ad Romanum Pontificem, ita Chriſtianiſſimus Galliarum Rex, te iterum ad Romanam Curiam remittat, utpote qui valde obediens ſit Sedi Apoſtolicæ.

Rurſus, ſi tu in tui defenſionem chartas profers Chirographorum, Univerſitatum, ego profero unum charta ſcriptum decretum juridice publicatum & confirmatum conſenſu Pontificio. Illas etſi non dicamus eſſe falſas, dicimus eſſe ſubreptitias, dicimus eſſe extortas dolo, ut *vulpe*, dicimus nullius eſſe auctoritatis, ſi comparentur chartæ unicæ noſtræ, quam nullus ſine ingenti temeritate, & erronea imaginatione dicere quibit eſſe falſam, eſſe ſubreptitiam, eſſe dolo, *vulpe*, & precibus extortam; illi enim judices in re tam gravi, in qua agitur de ſanitate, aut morboſitate doctrinæ, non habent doloſos & vulpeos mores, non precibus, odio, vel amore, in ferenda ſententia ducuntur, ſed dum Papam conſulunt, veritatem manifeſtant incorrupti, ſpecialem directionem divinam habentes; cum ſint Eccleſiæ Cardines, è quibus loquuntur, dum ferunt judicium; quod quamvis non ſit infallibile, aſt impium eſt judicare, quod ſententiam ferant corrupti paſſione odii, amoris, aut vindictæ.

Neque obſtat, quod Reverendiſſ. P. P. Magiſtri Nicolaus Rodulphus, Nicolaus Ricardi, & Joannes Baptiſta Marinis aliqua paſſione (quod tibi gratis do, cum non fuerit niſi zelo divini honoris contra novitates) ducti, libros tuos detulerunt Sacræ Congregationi, ut de illis ferret judicium, an eſſent proſcribendi, & reponendi in Indice librorum prohibitorum; nunquid paſſio iſta infecit contagio ſuo integerrimos Cardines Eccleſiæ? nunquid paſſio illorum hos obcæcavit? nunquid illorum obduratio purpuras obturavit, eas denigravit, obſtinavit & luminis divini ad recte judicandum fecit incapaces? An quia (ait Aug. *epiſt.* 171. cit. *circa finem*) *Lucil[illegible]n Cæcilianus*

in

in Africa læsit, lucem Christi orbis amisit? An quia P. Mag. Rodulphus minatus est Theophilo, dicens: *caro constituturum Theophilo illam operam, cujus titulus est Calvinismus Religio Bestiarum*, lucem Christi ad judicandum amisit Sacra Congregatio? quæ illatio disparata est hæc? quæ temeritas? quæ præsumptio? quod minæ Rodulphinæ denigrent Purpuram Ecclesiæ; cum Eminentissimi Cardinales veluti Angeli assistunt Pontifici, cum sint *seniores populi, & orbis judices*, quos calumniaris, dum siniſtre in tuum librum sententiam protulisse, & mala ac siniſtra censorum data censura, asseris, *attende tibi* Leodegari Raynaudi.

Admiror majorem in modum qui fiat, ut tu nec cujusquam exemplo impulsus, ac pertractus, nec quemquam (Catholicum) *qui te imitetur habiturus* (avertat enim Deus, ne quis in tantam voraginem ruat) *sacerdotes* (Censores & Eminentissimos Card. Judices,) *eos qui virtutibus ornati sunt, atque instructi, ac spiritualibus dotibus, ac recte factis abundant, vituperes, eorumque suggillationem actionum tuarum* (libri tui de *novo martyrio*) *excusationem habere te existimas. At non ita est, non, inquam, ita est. Quin potius & hominibus irridendum, atque condemnandum te propinas, & à Deo permultas sustinebis pœnas, quod ipsius alumnos maledictis proscideris, & sacerdotio per summam petulantiam notam inusseris, adeo ut plurimi homines, ne dicam omnes, à te offensi, in salutis Symbolis detrimentum acceperint. Ut igitur ab omnibus his malis eximaris* (id enim noto) *fac te ipsum noscas.* Ita scribebat Magnus ille Pelusiota. *Ad Zozimum lib. 2. epist. 38.*

Quid ergo querelam formas de Censoribus & sacris judicibus, de summo Pontifice, qui illis assensum in damnatione tua præbuit? an ignoras, quod querela, & iniqua expostulatio, nullo jure facta teste *Theophrasto, in Ethicis:* & *quod non est leve crimen, cum de eo ille queritur, qui mox eum poterat punire. Attende tibi* Leodegari Raynaudi, ne plus tibi aliquid contingat, & pœna, quæ solum afficit librum, afficiat personam, ejus auctorem.

rem. *Cavere Saxum* (Petram Eccleſiæ) *in utili labore moveas*, & inexhauſto ſudore fatigeris in perniciem tuam. *Quieſce, bene divide*, & acceptus eris. Cave iterum, & digitum ori impone, damnatio tui libri in urbe coram orbis Paſtore, & eo aſſentiente facta eſt, non fratrum artificio, vafro, & callido, & politico, quo tu uteris, ſed Theologico, ſano, integro, & abſque dolo malo, ſed zelo Dei *ſecundum ſcientiam* curarunt hoc *novum martyrium*, *proprium per peſtem*, tanquam peſte infectum eliminare ab Eccleſia, ut reipſa eliminatum eſt auctoritate Apoſtolica, contra quam quid valent ducenti illi Theologi Chirographarii? quid Univerſitates illæ? quid Antiſtites, quos violenter adducis, & contra ſenſum, quem ipſi intendebant ad tuum traducis? nam quadraginta iſtorum millium quid valent contra ſententiam latam ex conſenſu Pontificio, & ejus auctoritate? certe iſta immutata ſtante, quoſcunque augeas, ut defendas, eſt *arcem ex cloaca facere*, & *lapidem è ſepulchro venerari pro Deo*. Hi enim omnes, quos affers & pro diis veneraris, lapides ſunt è ſepulchro non abſciſſi *ſine manibus* à Petra Eccleſiæ, contra cujus ſententiam omnes alii fœtent.

§. VI.

Proteus Leodegarius Raynaudi in Aſpidem ſurdam *transformatus eſt.*

In ſuperioribus varias hujus Novi Protei transformationes fidelibus propoſui, quibus ejus dolum & vafriciem declaravi; hanc, *in aſpidem ſurdam* huic reſervavi loco, quam David Pſalm. 57. à verſ. 5. ſic proponit de illis qui locuti ſunt falſa. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum; molas leonum confringet Dominus.* Quæ Davidica cantio egregie aptatur Leodegario Raynaudi, qui obturans aures ſuas ad decretum Apoſtolicum [illegible] ſupremi Eccle-

Ecclesiæ, qui curat ipsum trahere de tenebris ad lumen, fugit incantationem, qua ipsum sapienter, fortiter, & suaviter incantat, & leonum molares dentes conterit, ne iniquis moribus, & falsæ doctrinæ insidiis Ecclesiam novitatibus suis valeant lacerare. De hujus leonis Raynaudini variis rugitibus, jam supra disserui, & ni fallor, dentes & molas in ore ipsius confregit Dominus; de obturatione aurium, quam facit ut Aspis *ad Tarantara*, &, vocem tonitru magni Ecclesiæ, & Veneficorum Marsorum Purpuratorum, hîc agendum. De hujus Aspidis obturatione sic loquitur Aug. *enarr. in Psalm.* 57. *Hic data est quædam similitudo de Marso, qui incantat, ut educat aspidem de tenebrosa caverna: utique in lucem vult educere, illa autem amando tenebras suas, quibus se involuta, occultare dicitur, exire noluerit, recusans tamen audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terra, & de cauda obturat alteram, atque ita voces illas, quantum quantum potest, evitans non exit ad incantationem, ad vocem incantantium, & medicamenti, hoc est, vocem medicamenti medicati à sapiente. Nunquid medicamentum habet vocem? est quoddam medicamentum quod habet vocem, medicamentum portamus? vocem ejus audite, non quomodo aspidis surda vox est medicamenti, & hoc medicamenti à sapiente.*

Quid illustrius contra Leodegarium Raynaudi in Aspidem transformatum? venit libellus Raynaudi in Ecclesiam, venenum *novi martyrii chariatis* ut aspis effundens, interceptus est à *Marsis* Purpuratis, qui ipsum Raynaudum volunt de tenebrosa caverna in lucem educere, ille amando tenebras quibus se involvi delectat, comparem suum aspidem mittit Leodegarium, qui recusat audire voces, quibus se cogi sentit; & ut non auscultet, unam aurem terra, & cauda obturat alteram, ut non audiat vocem *medicamenti medicati* à sapiente Ecclesiæ Pastore, quod est decretum Apostolica auctoritate medicatum, ut tanquam insidiosa Aspis venenum immittat, & spargat, & contra decretum Apostolicum, cujus vox, &

ſonus in omni Eccleſia eſt auditus, inſibilet, ut de facto inſibilat, ipſum ſpernens, faciens ſe ſurdum & obturans aures, ne audiat illius voces, quibus ſe cogi ſenſit; ſi enim decreta Congregat. *de Indice* vera ſunt, fides illis adhibeatur, obediatur illis, ſummittantur cervices Catholicorum, non obturentur aures ad audiendas voces eorum, non inſibiletur contra eorum vim coactivam, quam habent pro tota Rep. Chriſtiana; ſi autem falſa, non illis utantur Catholici, tollatur de medio Congregatio *de Indice librorum prohibitorum*, Tribunalia, Inquiſitiones inutiliter libros inhibebunt, & proſcribent; quia *ſi in viridi hæc facit* Leodegarius Raynaudi, *in arido quid non faciet?* Si de viridi *medicamento medicato* à ſapiente *Marſo* inſibilat & obturat aures, ut ejus voces, quibus cogitur, à Sacra Eminentiſſim. Cardinalium Congregat. non audiat, ut libere poſſit venenum ſuum effundere, quid de aliis aliorum fidei Tribunalium proſcriptionibus faciet? Oſtium magnum apertum eſt ad introducendas novitates: nullus enim jam expaveſcet vocem incantantis ſapienter, quam non audiet, rumore & ſonitu crepitaculorum, ſubſcriptionum emendicatarum, ſub quarum umbra, ſub quarum tenebris involutus ſe occultabit.

Sed ſonus & ſtrepitus iſte non prævalebit, altius enim intonabit *Marſus Eccleſiæ*, qui ſpernitur, tanquam aqua decurrens. *Non vos terreant fratres* (ait Aug. *ubi ſupra*) *quidam fluvii, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur; nolite timere, poſt paululum tranſit, decurrit, aqua ad tempus proſtrepit, mox ceſſabit, diu ſtare non poſſunt multæ novitates emortuæ ſunt, cucurrerunt in rivis ſuis quantum potuerunt, decurrerunt; ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerunt omnes ſuperbi, ſonantes ad ſaxa ſuperbiæ ſuæ, quaſi aquis irrumpentibus; & confluentibus. Non vos terreant; hyemales aquæ ſunt, ſemper manere non poſſunt, neceſſe eſt ut decurrant, neceſſe eſt defluant, in locum ſuum, in finem ſuum.* Et velint nolint, etſi auribus obturati ſicut aſpides, cogentur *à Marſo* Eccleſiæ ejus medicamentatæ voces audire,

nam

nam priusquam producat spinas, supercadet ignis, qui eos non permittat videre solem. *Et quid eos premit* (ait Augst.) *ne cognoscant veritatem, nec victi videantur, ne subjiciat ipsos vel ipsa veritas? Quid glorioſius fratres, quam subjici & vinci à veritate? superet te veritas volentem, nam & invitum superabit.* Si hæc consideraret Aspis Leodegarina, non ita recusaret *vocem medicamenti medicati* sapienter à Marsis Ecclesiæ. Hæc lege Leodegari Raynaudi, & *attende tibi*, ne glorieris in vanitate tua, ne ut comparem tuum defendas jam proscripum, tu ejus vindictam sumas in publico foro contra eos, qui justissime condemnarunt ejus libellum. Ne imiteris Aspidem, quæ occiso compare suo (simul enim ambulant mas & fœmina, ut tradit Bustamante de animantibus scripturæ lib. 3.) in occisorem ita conservat iram, ut illum semper & quæritet, & si inveniat, etiam in medio foro veneno suo enecare intendat; ita tu damnato libro comparis tui, in sacram Congregationem, quæ sententiam ignis tulit, in illum, & in me publicum sententiæ defensorem venenum effundis, & maledicentiam exerces, ut ex sequentibus constabit.

§. VII.

Penduntur tres Appendices quas Leodegarius Buccafœtidus Raynaudi Operi de vero & unico martyrio fidei *apponit.*

Buccafœtidus iste, *postquam urbem perdidit, pugnaculum accipit* ad nihil aliud aptum, nisi ad caseos recentes scalpendos, & sufficiens ad scindenda aranea tela, quæ facit: considerans enim sua fundamina, ad novum & inauditum in Ecclesia martyrium proprium introducendum, vitrea esse; & responsiones quas Censorum Romanæ Congregationis de Indice argumentis adhibet, ficulneas, ad improperia devenit, & cum meus tomus 5. *de martyrio fidei* prodierit sine Indice (Bibliopola enim Agrippinus tergiversatur ex contractu inito Indicem copio-

ſum facere rerum notabilium, & tanta fuit libri ambitio, tam ardens illius deſiderium, ut ante confectum Indicem omnia exemplaria in Nundinis Francfordinis diſtraherentur, ut vix ad horas Hiſpanas advenerint; niſi ea quæ mihi ex pactione obtigere, pro quibus, & pro impreſſione, nec aſſem præſtiti (ut falſo imaginatur Leodegarius) ipſe Buccafœtidus removens volutabrum luti Stomachi ſui, & maledicentiæ ingenitæ, tres indices appoſuit ſuæ pro Raynaudo Apologiæ inutiles, in quibus *caprarum nomina* colligit frivole & inutiliter, ut ſic ex protervia, qua pollet, ignominia ſua dimanet, infectam enim judicavit Apologiam, ni eſſet infamatoria, notans nomina, apices, ſyllabas mei operis, ut illud ſuggillans exauctoret. Antiqua fraus hæreticorum, ut Patrum auctoritatem minuant, vix aliquid in illorum libris reliquere, quod aſteriſco nigro, & theta infami non notent. Hanc technam agnovit in illis Baſilius *libro de Spiritu Sancto ad Amphiloquium cap.* 2. *Curioſa iſtorum hominum circa Syllabas ac dictiones obſervatio, ſimplex alicui videri poſſit, nec tendens ad malum, ſed profundum atque obtectum habet adverſus pietatem conſilium.*

Hujus curioſæ obſervationis nobis obtulit Nazianz. originem *Orat.* 1. *num.* 36. *habent enim malignum quemdam ac ſubputridum morbum, in intimis animæ receſſibus occultantes; proinde ac magnum quo Dei viſque ejus ulricis oculus fugitur, ſi homines fefellerint, aut excuſationes in peccatis excuſant, verborum patrocinium ſibi exquirentes, aut etiam obſtructis auribus inſtar aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas obſtinato ſtudio in hoc incumbunt, & ne incantantium voces audiant, ac ſapientiæ remediis, quibus animæ morbus depelli debet, curemur: de his loquor, qui majori audacia ſunt, &c.* Itaque Leodegarius ut Aſpis ſurda, quæ obturans aures, ne audiret vocem Cardinum Eccleſiæ incantantium ſapienter, ut ſanaretur Raynaudus à languore ſuo, mei denigratione illius excuſationem de morboſitate ſua quærit, & circa hoc obſtinato ſtudio incumbit, notans ſyllabas ac diſtinctionem verborum, & oppro-

opprobriorum patrocinium exquirens, ut fallat Lectores. At Dei viſque illius ultricis oculum non fugiet amarulenta ejus mordacitas, & Hipponacta, cum ejus præconium mearum dictionum minus ſuæ ferulariæ latinitati conſonantium. Quare bene de illo Philimon Poëta;

Recepi in ædes non Coquum, ſed maſculam
Sphingem, nihil enim per Deos intelligo
Simpliciter ex his quæ loquitur. ——

Etenim ea quæ in judicibus eſt ſpeculatio, & cæca eſt, & cœca proſcriptio, cum lucidiſſima ſit libri proſcriptio, quam non fugiet; quare contra me, qui ariete Apoſtolico, & Patrum machinis in te inſurgo, tu cum in his oppugnas, & dum rerum tuarum ſatagis ſuperiorem *Phrygiam adire intra Celanas hybernaſti*, ubi Cardinales Cenſores conſentientem contra te ſummum Pontificem contra decertantes inveniſti.

Igitur Leodegarius Raynaudi triplicem ſupponit indicem, vel melius triplicem infamatorium Libellum mendaciis plenum. Primus eſt *vocum Barbararum*, cujus hæc eſt explicatio ab ipſo data *Per voces Barbaras intelligi poſſunt Barbariſmi, & ſolæciſmi, grammaticæ lancinationes, & Priſciniana colaphizationes; poſſunt etiam per voces barbaras intelligi voces barbaro dignæ, hoc eſt aſperæ, & mordaces ac injurioſæ. Vtriuſque verborum barbarorum lolii* (eſſe manifeſtus ſolæciſmus in Leodegario, cum deberet dicere, barbarorum, quod ſi vitio impreſſorum factum dicat, & ſic eſt ad marginem manuſcripto correctum. Cur non idem de meis dicere deberet, nam ſi ita ad manum eſſet mihi; & tot correctores haberem, ſicut tu habes, errata omnia corrigerem) *copioſa ſeges in Hurtadi occurrit, pauca exempla ſubnotabo. Barbara Lexeon, & ſolæciſmorum tanta ubertas eſt in Hurtadi opere, ut tenui diligentia adhibita, notare grammaticas ejus ſtribiligines liberet, totum pene ejus volumen eſſet exſcribendum. Vix tres lineas exarat, quin ſolæciſmis adeo pinguibus contaminet, ut miſerationem moveat.* Hoc eſt præambulum primi Indicis.

Secundus Index est *vocum Græcanicarum*, cujus hoc principium. *Inseram huic indici primum quidem nonnullas græcas voces injuriosas & fellitas ab Hurtado usurpatas, forte earum atrocitatem, eo si pario, paucis apud suos pervio; subdole operiente; simulque quia magna ex parte ex adagiorum collectione (quæ Hurtado est pro instructissimo eruditionis Gazophylacio) deprompta sunt, tessellæ istæ Græcanicæ, laureolam sibi de hoc reconditæ doctrinæ mustaceo quæsivit.*

Tertius est. *Rerum Notabilium*, cujus initium. *Hic parcitas adhibenda necessario erit, ne opellâ moles excrescat; nam res nigro theta notabiles apud Hurtadum occurrunt innumeræ. Specimen itaque ineptitudinum & ignorantiarum ejus per Satyram, & ut in calamum incurrerit, prolatum sat erit pro residuo massæ universæ.*

Priusquam ad hos indices expoliendos, & falsos esse monstrandos, neque id quod est indicare, sed esse stropharum, næniarum & mendaciorum; venit in mentem id quod Sotati Alexand. contigit, qui (ut Nonnus in Collectione prophanarum Historiarum ait cap. 25.) in loco quodam stans apricabatur; & pediculos quærebat: *Apricaris* Leodegari Raynaudi, & ad Solis, id est Sedis Apostolicæ, & Lunæ, id est Sacram Congregationem *de Indice*, radios stans, ne per diem Sol urat te, & Luna per noctem, diverteris ad pediculos mei operis de vero martyrio fidei quærendos. Cave ne cogaris respondere quod Homero Piscatores Arcades responderunt, qui ab illo interrogati, aliquidne acceperint?

Liquimus acceptos, non captos ferre necesse est.

Magnitui animi specimen! & pediculos quærit, quod & simiæ faciunt, & depilas, quod & vilis facit tonsor. Quare istorum trium Indicum, quos magno sudore perfecisti, *triplicis capitis Cancerberus est Herculis lancea obtrucandus.*

PARS

PARS I.

Index Primus Puerilis esse monstratur.

Acerbus hic & amarulentus fœtus, & monstrum triplicis capitis canis ex gigantum ore renascens, qui latratibus & boatibus suis obtrudere vult nobis ingentia mendacia, ut veritas opprimatur, & ejus clarissima vox auribus fidelium non intonet, veritate perimendus est, & singulis ejus capitibus Clava Herculea applicanda, ut jam amplius latrare non valeat, & bis interimetur Cancerberus hic, quia suis armis peribit, cujus primum caput puerile est, quod vagit, non clamat voce articulata & clara, nisi mendacium; nam mendacium manifestum est ponere pro vero, quod error fuit vel amanuensis scriptoris, aut Typographi, ut supra dicebam. Quid ni, quod aliquis verborum & nominum usus est, quem elegantior latinitatis stylus non sustinet? ut enim ille alius bene dixit:

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

Quid? nonne in multis Patribus inveniuntur similes non ita vigorosæ in latinitate locutiones? sic apud Irenæum *In prologo. libri* 1. *adversus hæreses num.* 11. Solæcismum notat, & verbi defectum, & denique Joannes Busæus Novionensis in Petro Blesensi (de quo Trithemius affirmat, quod fuerit studiosus & eruditus, atque in sæcularibus litteris egregie doctus, ingenio acutus, & vehemens: vixit anno 1560. de hoc igitur tanto viro præfatus Busæus notat in elencho præfixo operibus Blesensis, quod Hieronymum citat pro Seneca, Ciceronem pro Macrobio, & in fine indicem facit Barbararum vocum, quæ à Petro Blesensi usurpantur, numero plusquam 250. Ut *tertiare, argumentosa astutia, baculare. exoccupari manibus, expalmari colaphis, & innumera alia.*

Fateor, me multoties verbis deponentibus uti in significatione passiva, quod non est faciendum juxta regu-

las ferularias, & Theologi multi eas in hoc non obſervant, & etiam apud aliquos Patres invenientur verba deponentia in ſignificatione paſſiva: & quid ex hoc abſurdi ſequitur, ut tu Leodegari Raynaudi *minacibus ferulis* cum puerulis, cum quibus grammaticationes exerces, non cum Theologis, qui ad dogmata attendimus, quibus turpius eſt morboſam doctrinam introducere, quam non ita nitide loqui in grammatica; & turpior eſt Cardinalium doctrinæ colaphizatio quam Priſciani; abſurdior longe eſt lancinatio ſanæ doctrinæ, quam grammaticæ. Quare ſicut eſt mentitus Lutherus *in Epiſtola ad Brentium*, dum dixit, quod in Hieronymo non facile tres verſus invenias de fidei Juſtitia docentes, ita & tu phraſim amplecteris Lutheri, dum dicis *vix tres lineas exarat, quin ſolaciſmis eas contaminet.* Certe dum hæc effutis *cuminum ſeris*; ſiquidem mundo offers tuum opus virulenta lingua & effreni ac putido ore, illud ſeminas convitiis, & imprecationibus, & falſis impoſturis, ut ſic creſcat. Creſcet utique apud ſimilis farinæ homines, at erit ut fœnum agri, *quod hodie eſt, & mane in clibanum* (librorum prohibitæ lectionis) *mittitur.*

Sed videas, quanti debent, qui dogmatibus, ſanis doctrinis, & vera Theologia tractant facere latinitatem nimis cultam. Attende quid dicat S. Proſper *lib. 3. de vita contempl. cap. ult.* eis qui occulte malam latinitatem mordebant; quibus ſic loquitur. *Hoc ſane, omnes qui hæc forte lecturi ſunt, conteſtor, & obſecro, ut quid in rebus ipſis, quæ utcumque digeſtæ ſunt, reprehenſionis invenerint, vitio meæ ruſticitatis adſcribant, & mihi dignanter indulgeant; ea autem quæ ſecundum fidem Catholicam dicta probaverint, deputent Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & pro iis omnibus mecum gratias agat. Cæterum de accuratione dictionis elucubratæ non ſatago, nec mihi pudoris eſt, ſi diſputatio mea, quæ forte probatur in rebus, aliquos verborum inanium ſectatores horrore incomptæ orationis offendat, quod ab homine Doctore ſtudendo non didici, id exhibere loquendo non potui. Et tamen*

men cum ſententiarum vivacitatem ſermo ex induſtria cultus enervet, quis non judicet me affectationem compoſitionis debuiſſe contemnere, etiamſi illam potuiſſem velut dicendi imperitus implere? Quapropter ea mihi viſa eſt compoſitio ſatis ornata, quæ conceptiones animi, quæ cum neceſſaria quadam perſpicuitate proferret, non quæ illecebris auriũ deſerviret Ea eſt enim, ni fallor, judicata Latinitas, quæ breviter & aperte obſervata dumtaxat uſitatorum verborum proprietate, res intelligendas enuntiat, non quæ verſuta eloquii venuſtate atq; amœnitate luxuriat: & prudentibus viris non placent phalerata, ſed fortia, quum non res pro verbis, ſed pro rebus enuntiandis verba ſunt inſtituta.

Attende trucidator grammatice, inanium verborum ſcrutator, qui veritate lacerare nequis, convitiis grammaticalibus laceras, quod prudentibus fortia placent, non phalerata; placet ſana Doctrina, non temeraria, non erronea, non ſcandaloſa, etſi illa ſyncere & pure tradatur, quamvis in aliqua verbi uſurpatione à proprietate declinet, quod magnum in hoc piaculum? quod ſi eſt, (quod do tibi) erit contra judicatam Latinitatem, at Doctrina tua, quam obſtinate defendis de martyrii *charitatis* proprietate, etſi phalerata, & Latinitate vernans ſit, & juxta judicatam Latinitatem Priſciani & Donati; at eſt contra judicatam veritatem à ſummo Pontifice & ſacra Congreg. publicatam. videant Catholici omnes, quod majus crimen tuum contra judicatam veritatem, & meum contra judicatam Latinitatem, in uſurpatione paſſiva verbi deponentis, qua ut dixi, multi Theologi utuntur, ut enim ait Hieronymus lib. adverſus Helvid. cap. 8. *apud Chriſtianos & Catholicos ſolœciſmus magnus eſt, aliquid turpe in Doctrina enarrare.* attende tibi ſolœciſta Doctrinæ, ſed de hoc puncto iterum egi Antidoto prima. §. 2. part. 9.

PARS II.

Hujus primi Indicis cætera expenduntur.

Determinaveram nullam ex innumeris Strophis, quas in suis Indicibus indicat Leodegarius Raynaudi in particulari syndicare (est enim qui quærat & judicet) tamen dictamen mutare coegerunt amici, ut mundo sit manifesta turpis loquacitas ejus, & mea syncera & ex pura mente satisfactio; non ut ille alius, quem tu imitaris, dicebat. *Satisfacio invitatis, ut rumore purgatus vivam vano.* contrà quem & contra te sic fatur Hieronymus. *lib. 2. adversus Iovinianum. Totus tumet, totus jacet, attollit se per singula, & quasi debilitatus coluber in ipso conatu frangitur, non est contentus humano more loqui, altius quiddam aggreditur. Parturient montes nascetur ridiculus mus.* Quod ipse *Non sane esse hominis, non sanus jurat* Orestes. *Præterea* (suis Indicibus) *involvit omnia, & quibusdam inextricabilibus nodis universa perturbat.* Quare ego, ut mea satisfactio, & redactivatio plena sit ex omni parte, Hieronymum imitabor, qui ubi supra sic fatur: *utile ratus sum cuncta molimina ejus, quasi instructam aciem contra me ponere, & totum hostilem exercitum cum suis turmis & ducibus congregare, nam post primam victoriam alia mihi deinceps prælia nascerentur, igitur non dimicabo contra singulos, nec paucorum ero passim congregatione contentus; toto certandum est agmine, & incomposiri hostium cunei, ac latrocinii more pugnantes, instructa & ordinata acie repellendi.*

Igitur Leodegarius Raynaudi. n. 87. Querulus probare intendit, me suam opinionem de *ficto vero martyrio charitatis* hæresim dicere, cum *κρυπτολογίαν* in operis mei titulo nuncuparim: fateor apud aliquos sacros scriptores, & Patres noviloquium proprium esse hæresis attributum, ast ego ibi novitatem doctrinæ Raynaudinæ taxavi in re gravissima, quam nullus usque ad ipsum ausus est introducere, non vero dixi esse contra fidei sanctum dogma,

dogma, quod enim ego dixerim: *Theophilum (quinovos martyres creat) introduco floccipendentem totius Ecclesiæ traditionem & sensum, & ex invidia in sanctos martyres ad sic innovandum processisse; & quod Raynaudus admirabilis fuit in nectendis machinis, quod perplexat angustias & syllogismorum inexplicabiles Labyrinthos, & vera falsis permiscens, in verum ac Catholicum martyrium permiscet calumnias:* agnosco verba & ea repeto, atque confirmo. Sed infert: *Itaque talibus coloribus expingens Theophilum, habet illum pro hæretico*; mala illatio, quam ipse contra se infert. Colores illi varii, quibus Theophilum depingo, etsi hæreticis conveniant, at convenit etiam iis, qui temerarias, scandalosas, & errori proximas sententias docent, præterquam quod illi colores convenire & aptari possunt illis, qui coram Deo hæretici sunt, quamvis non coram Ecclesia; hæc enim nondum determinavit dogma fidei, quod non sint simpliciter veri & proprie martyres, qui immoriuntur ministrando infirmis lue & contagio infectis, quamvis enim in se sit Catholica veritas, quod soli fidei martyres sunt proprie tales, tamen quoad nos, nondum est definita, unde qui illam negat, erit hæreticus coram Deo, at non coram Ecclesia, sicut dicit Leodegarius, quod martyres *charitatis* sunt proprie tales coram Deo, non tamen coram Ecclesia. Tu me coegisti, Raynaudi Leodegari, tuo argumento vicisti, ut illationem tuam in hoc sensu concederem, tuo ense te confodi. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*, quare dum contra me digladiaris faciens calumniam, eam pateris à te ipso, læderis, tu dixisti, tu scripsisti, quid te offendimus, si quod intendis aliquo sensu concedimus.

Numero 88. *Itaque Raynaudus apud Hurtadum est meretricula edentula tentans per stibium & fucos imponere amasiis ac suis procis, quia dicit martyrium esse quamcumque mortem ex supernaturali motivo pro Deo acceptam. Cui assertioni ibidem hoc elogium appingit. Nihil sapit, nihil sentit, tanti est, quanti fungus putidus. O mel verborum! O religiosum Hurtadi calamum, & animum! Fungo putido*

affinia

affinia sunt Azaneæ mala, hoc est exusta, favillaceæ, semiputrida, ejusmodi esse fructus Theophili, ejus inquam, scripta atque sententias, ait mitissimus Hurtado pag. 217. expilans more suo Adagiographum.

Agnosco verba, recognosco sententias & locutiones, quas ex Adagiographo tuis solutionibus ad argumentum meum adhibitis applicui; quisquis enim vel mediocriter prudens præfatas solutiones fuco & stibio esse ornatas, ut decipiant amatores suos, nihil sapiunt, nihil sentiunt, & tanti æstimari debent à viris Catholicis, ut fungus putidus, aut Azanæum malum, talis est assertio de *vano vero martyrio charitatis*, talis est liber scriptus de eo, talis sententia Raynaudi. quid? num est *sibyllinum folium?* quid? non est damnata consentiente Papa à sacra Congreg. publico edicto & Decreto? quid? num mel hoc verborum non desumpsi ex ore Buccafœtido Leodegarii tui? si tibi amaricat, non pœnitet, quia fel ex tuis accepi prius, ut retribuerem. quid si calamus meus à religiosa sobrietate defecit, nonne in atramento tuo fuit intinctus? at non defuit à sana doctrina, sicut tuus est in atramento malæ doctrinæ, & ut talis publicatus & proscriptus liber de martyrio *charitatis* novo, cujus affirmatio *fungus est* venenosus. contra assertorem conclusionis hujus, commotus sum, commota Romana congregatio, commoti censores prudentissimi, commotus summus Pontifex. contra hos omnes in te commotos vis esse *sapientiæ columen*, & *norma Catonianæ severitatis*, nec illorum censuræ subjici, sed recalcitrare.

Id autem, quod sæpius repetis, me ex Adagiographo multa in te deprompsisse, fateor, & eruditionis Lectura glorior tali magistro, & exulto, sicut exultabat & gloriabatur Hieronymus se in Theologia habuisse Nazianzenum, & ego S. Tho. & Eminentissimum Cajet. quid? uti parœmiis & Adagiis probrum & ignominia est, quorum tanta est dignitas? in his enim tota ferme Philosophia priscorum continetur, nullum enim doctrinæ genus antiquius esse videtur, quam parœmiarum; si enim eis ut

quum

quum occasio exigit, probrum & exprobrabile vinum exprobretur in Hieronymo, in libris contra Helvidium, contra Jovinianum, contra Rufinum, & passim epistolis, & in commentariis, probrum erit in ejus magistro Nazianzeno, qui in gravissimis suis orationibus, in epistolis vix exarat paginam aut perficit epistolam sine parœmia. imo in epistola 209. *ad Nicobulum* ait: *Hanc* (gratiam) *scribendi observabimus, si non prorsus arida & ingrata scribimus, ac moralibus dictis vacuum est.* Hoc Gregor. cujus regulam amplector in iis, quæ apologetice scribo contra assertores falsæ & morbosæ doctrinæ.

Hunc pulcherrimum Indicem terminat *n.* 92. & 93. in *summam redigam eas laudes, & præconizationes* (quas de ipso ego feci tom. 5. de vero & unico martyrio fidei) *quas ipse refricat, citans paginas, ubi eas mundo & Ecclesiæ proposui, & suimet notæ diffamator novus existit, quum prudentis hominis fuerat* (ait Hieron. *Apolog* 1. *contra Rufinum non longe à principio*) *etiamsi dolebat dissimulare conscientiam, & cordis nubilum frontis serenitate discutere, & non in publicum prodere, ut iterum censoriam Lectoris virgulam sentiat*, confirmans sententiam quam Romanæ Urbis Pontifex miro odio usque ad damnationis sententiam est prosecutus de consilio Eminentissimorum Cardinal. *de Indice*, & censura rectissima Qualificatorum post longam & annosam discussionem: & tu Leodegari Raynaudi, homo turbulentus loquacitatem facundiam existimans, & maledicere omnibus judicibus bonæ conscientiæ signum arbitrans, reaccepta materia disputandi contra id, quod judicatorum est, amplius incipis blasphemare contra purpuram Ecclesiæ, & quasi de sublimi loco contra ipsam in totum orbem ferre sententiam, neque, quia veritate lacerare non potes, laceras convitiis; quid ergo mirum si convitiis, ut defendas falsitatem, convitia emas, sintque convitia tua pretium eorum, quæ retribuo tibi obstinato pro defensione veritatis?

Ipse tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Qui cum victus erit, mecum certasse feretur.

Igitur

Igitur querulus & fremens Leodegarius Raynaudi lamentatur, *quod ego ipsum tanquam noctuam Aquilis Ecclesiæ jungo, quod dixerim, ludere de suo cerebro, & corio sine luce, & sine duce discurrere, quod satis præceps loquatur; & dum latinitate omnia artificiosa disponit, mirifice credit se esse locutum. cum quantum poterat, dixerit insidias; nam quid aliud dicit, nisi insidias vere doctrinæ & laqueos sanæ sententiæ? Quod virgultea scaphula Ægæum transmittere tentavit, contrariis omnium recte sentientium ventis, & quamvis plurimum in evolvendis ventis invaverit, tamen cæcus ad sua, & dicax de aliorum placitis Suffenius evasit, arrogans & confidenter de se loquens quod ego contra ipsum exclamarim: Quis hoc æquo animo patiatur, quod id quod est contra omnes fere Patres, dicat esse extra dubium? Hoc autem dicere nequit, nisi qui ita adhæret suis dictis sicut alii suis scientiis. Quare indiget crambe recocta, ne inebriatus suo dictamine erga falsitatem esuriat affectus. Melius enim illi esset piscem gustare. Quod de Raynaudo usurpem illud Prudentii de Satana. O fortuose serpens, qui male per maandros, frondesque flexuosas, agitasque ita cor da Aranearum telas texit Raynaudus solum ad capiendas muscas, & limphis aptam Delphinum Sylvis appingit, & fluctibus aprum, fugiens difficultatis nodum, quem quærit in scirpo. Dicat Raynaudus, quod ad se suosque asseclas reducta est universa auctoritas, & potestas, ut possint nominum notiones mutare; sed hoc ridiculum est: Raynaudus medicus pyxidula utens, dum remedium promittit intus venenum, & mortiferum virus occultat. Quod librum authorizatum rejicit Raynaudus, an sine ingenti temeritate fieri possit, sapientes & prudentes judicent. Ego quidem de Raynaudo dicerem cum Nazianzeno epist. 43. ad Eusebium. perinde se habere quasi quis ejusdem viri altera manu scaberet caput, altera malam feriat. Quod Raynaudus nebulas in pariete deputat, coloribus bonæ latinitatis plausibiles fa-cit; non cum parvo veritatis dispendio Raynaudus argumenti vi convictus hastam abjiciens succumbit difficultati, & in caput præceps, dicit non requiri ad martyrium exter-*

nam

nam violentiam in odium fidei, & tandem dico examinetur, trutineturque nova ſententia Raynaudi de martyrio per peſtem. Putre enim ſalſamentum amat Oxiganum aceto mixtum, ne putus odor à manducantibus ſentiatur. Falſa enim fucis ornantur, & floribus componuntur, cum veritas per ſe placeat. & dum ipſe de pulmone revellet arrogantem opinionem, venit accelerata ſenectus naufragante opinione, & dum vento proſpero currebat, in foveam repente ſuffocata interiit; ut tamen cum honore ſepeliatur, diſquirenda & examinanda ejus fundamina, & quantum ponderis habeant, rigida ſtatera æſtimandum, ut ejus repulſam leniter & ſuaviter factam, & ipſe amice ſuſcipiat. Hactenus referente Leodegario Raynaudi.

Hoc eſt moretum bene piperatum, *ſalibus Atticis* ſalitum. Hæc ſunt ſcommata tot titulis promerita à Raynaudi opinione de ſuo novo ficto vero Martyrio *charitatis*, quæ nimis acerbe accepit Leodegarius hîc, & rugiens exclamat. *Papæ? quanta Hurtadi lenitas! Per univerſam diſputationem omnibus probris ac convitiis Raynaudum proſcindit, & leniter ac ſuaviter ab ſe fieri ejus repulſam affirmat? Quomodo ageret, ſi ferociter vellet & mordere, & lacerare adverſarium? &* (ô bone!) *non te puduit tam horridam atque hirſutam & hiſpidam ſcriptionem adverſum Catholicum & Religionis virum tranſmittere in Hollandiam typis edendam? Nam quamvis frons operis ſignat opus eſſe cuſum Coloniæ Agrippinæ apud Cornelium Egmond; tamen per mentalem Hurtadi reſtrictionem ibi Colonia Agrippina ſignat Amſterodamum, Vrbem Hollandiæ hæreticam, ubi apud Ioannem Blaſidei Calviniſtam opus Hurtadi de martyrio cuſum eſt, non ſine tranſmiſſo ære Hiſpanico, eo quod Lugdunenſes pro Reſolutionibus Orthodoxis auctiorem pecuniam poſcerent, quam accepiſſent pro Reſolutionibus moralibus, quia non fuit multitudo in commutationibus earum.*

Amſterodamum ergo ad ſui libri editionem deligit Hurtado ut infenſiſſimi inimici Catholicæ Eccleſiæ perſpiciuntes in ea lucubratione talem Catholici hominis defrictionem,

(imo

(*imo laceratione & conceptionem*) *librum inquam Hurtado omnibus ramis & paliuris horrentem, legendo dicerent: Ea qualis inter Papistas concordia, qualis charitas, quanta ad invicem modestia! ut mus picem, scriptionem hanc ipsius, verius acetum cum felle mixtum, cum tetigisset, moxque abjecisset, & gustatum bibere noluisset, sapiens Theologus scisciatus est, an qui sic scripserat, esset ex religioso aliquo ordine, & an in ea Religione fieret novitiatus ad domandos affectus inconditos: Hæsit qui interrogabatur, veritus respondendum Beati Iacobi oraculum; si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam* (*& calamum, qui est lingua muta*) *sed reducens cor suum, hujus vana est Religio.* Verba sunt Rugientis, qui stimulis veritatis ictus recalcitrando diverticula quærit, & mendacia consarcinat, Religionem meam tangit subdole, & artificio eam carpit, sed non abibit impunitus, dignissimus est, quod illi retribuatur.

Et imprimis hæc verba adeo sunt injuriosa, adeo plena tupho, livore & præsumptione vana, ut non eligam quid repræhendam, eligat ipse, quod vitio caret, & quia apud me post obedientiam ad sedem Apostolicam & sacras Cardinalium Congregationes, tenet affectus ad meam sacram Religionem ab injuria in illam effutita incipio. Sapiens ille Theologus dormiebat somno profundo, dum illa sciscitabatur dubitans, an fieret novitiatus *ad domandos affectus inconditos*; est utique, in quo instruimur ad chorum, ad matutinum ante solis ortum, ad Orationem communem vespere & mane, & insuper ad Orationem à majore usque ad minorem, ad disciplinas, cilicia, jejunia in pane & aqua per circulum, à quo nullus excipitur, & ad alias imbonitates abstinentiæ victus, & vestitus, quibus domantur affectus inconditi, quæ exercitia non est expertus sciscitator ille, dum dubitans somniabat, an meus sacer Ordo novitiatum haberet; utique habet, & omnes qui in novitiatu perseverant, solemnem emittunt & irrevocabilem professionem. audiat somniator Hieronymum *Apolog.* 1. *contra Rufinum cap. ulti. adulterium somni*

ſomni non ducit ad tartarum, nec corona martyrii in cœlum levat. Quanti in ſomnis divites apertis oculis repente mendici ſunt? ſitientes flumina bibunt, & experrecti ſiccis faucibus æſtuant Ego ipſum verius ſtrictiuſque conveniam. Fecit omnia quæ in baptiſmate promiſit? quidquid monachi (& religioſi) *vocabulum efflagitat? caveat, quæſo, ne per trabem ſuam, feſtucam meam videat.*

O impudentiam & hominis audaciam! ſomniat de mea Religione, & delirat ſciſcitans propterea quod invehor in falſam doctrinam, & vigilans vidit, quæ tu Leodegarius, contra me & falſitatem defendens, & crimen meum ſomniatum criminaris, & tuum occultas, Religionem meam obnubilare intendis, ut tuum ſtupidum, & criminoſum ſtylum tuearis, an in tuo novitiatu inſtructus es, per cilicia, abſtinentias, jejunia, & cæteras adverſus carnes imbonitates, eam macerare, ut ſpiritus ab indomitis affectibus liber ſit, ut ad orationem convolet, non ad lites, non ad controverſias, de doctrina contra Decretum Pontificium.

Hæc pugna, incentor, mors eſt tua, te ſtylus iſte
Conficit, & verbis perderis ipſe tuis.
Verte gradum, fuge perniciem, ſtratoſque rebelles
Oris Apoſtolici fulmine, ubique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas,
Si paſtorem Ovium ladere vis, lupus es.

Quare nec Religionem tangas, nam ore blaſphemo eo ipſo, etſi te Religioſum putes, eſt tua vana religio, quantumvis mutato nomine exuviis leonis veſtitus appareas.

Bene Hieronymus *lib. 3. Apolog. contra Ruſinum cap. 11.* *Hoc ſolum requiro ab eximia ſanctitate & cenſura tua, cujus tanta eſt puritas, ut ad ſudaria & ſemicinctia tua Dæmones rugiant; cujus exemplum in ſcribendo ſequaris? quis unquam Catholicorum in diſputatione turpitudinem ei, adverſus quem diſputat, objecit? ſic te docuerunt Magiſtri tui? talibus es inſtitutus diſciplinis, ut cui reſpondere non potueris, linguam quæ tacere non poteſt ſuas? Fecerunt hoc Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, & lin-*

guam veriloquam discriminali acu confoderunt, canes latrant pro minis suis, & non vis me latrare pro Christo, (& *ejus Vicario, sic meam linguam irreligiosam appellas* quia tota incumbit in convincenda novitate inaudita) *ista machina magistrorum tuorum sunt, ut convicti de perfidia ad maledicta se conferant?*

Revenio ad ea, quæ prius dixeras improperia, admiratione suspensus ais: *quanta Hurtadi lenitas, quomodo ageret si ferocire vellet & mordere adversarium* bona interrogatio: sed quis eam facit? si Raynaudus, dico quod agerem sicut Leodegarius ejus, qui ita ferocit, ita mordet, ita dilaniat me, mea scripta, mea opera, ut nec pilum relinquat, quem mordacitate sua & ferocitate sua non vellat, non depilet. legat unusquisque utramque contra me Apologiam, & vix leget quatuor lineas quin inveniat opprobrium contra me. Si Leodegarius Apologistes ipse sibi respondebit, cum non solum ipse opprobrium inferat, sed etiam sanctos Alexandrinos introducit ad idem faciendum; quid ferocius? quid horribilius? nulla est littera in qua à cane *Rho* non discat, ira accensus, & veneno caniculari rabidus. Ego tamen lenius procedo in personam, quam non respiciunt aspera verba, sed sententiam & assertionem falsam, quam evertere & destruere intendo, non Theophilum, quem ex charitate intima diligo.

Rursus me carpis, quia non puduit tam horridam & hispidam *scriptionem adversus Catholicum & Religiosum virum transmittere in Hollandiam. Vrbem Hæreticam typis edendam: insultabunt & eam legendo dicerent: En qualis inter Papistas concordia, qualis charitas, qualis ad invicem modestia!* Duo hic objicis Leodegari. Unum quod libros meos cuderim in Hollandia; si ita est, hoc tui primi fecere, & quotidie faciunt, cum pura & impermixta erroribus, & omnino conformia cum Originali prodeant, ut constat in Bonarcio in Ecclesiasticum, in operibus D. Thomæ, & aliorum Patrum; non enim diversitas Religionis, eos cogit ad dogmata sua falsa libris Catholicorum inserenda, neque enim fides politica, etsi ob pro-

prium

prium commodum, deficit; sed sunt illius observantissimi; *quare prorsus hoc ridiculum est: præterquam quod ego pactum pepigi, quod Coloniæ Agrippinæ cuderentur*, nec ob impressionem obolum prorsus minutum remisi, aut dedi, imo ipsi plura exemplaria pro Originali dedere, ut constare poterit ei qui voluerit informationem facere; id quod dicis, quod Typographi Lugdunenses noluerunt cudere *tomos de unico & vero martyrio fidei, nisi auctior illis daretur pecunia*, falsum dicis, imo sui Procuratores Hispani, tam Hispalenses, quam Madritenses magno conatu petierunt, ut suis correspondentibus committeretur, & nolui ob rationes meæ convenientiæ, & suasu amicorum, & tantum abest, *quod non fuerit multitudo in commutationibus Resolutionum Moralium*, quod in bibliothecis publicis vix inveniantur, & minus quam octo unciis argenti non distrahantur, sicut & tomus 5. de Martyrio, nulla exemplaria nisi ea quæ mihi sunt remissa ad oras Hispanas advenerunt, omnia enim, aut fere omnia per nationes exteras distracta sunt. Tu me cogis, ut hæc in mei laudem dicam: ut de tuis improperiis mundo satisfaciam.

2. Quod objicis, quod insultabunt hæretici nobis Catholicis, ut discordibus in doctrina sine charitate & modestia; gravissima est objectio, si contra te fiat, qui renuis obedire Papæ, & ejus congregationibus, detrahis Cardinalibus, impingis in Censores Doctrinarum, illos carpens, & paucipendens, quod considerantes inimici Ecclesiæ firmiori dissensu dissentiunt iis, quæ à Summo Pontifice decernuntur, & à judicibus sacris ultima sententia sanciuntur, cui tu resistis, & contradicis, *quia veritatem* (inquis) *in injustitia detinent*. quid non facient & dicent hæretici de audacia, de inobedientia, de obstinatione viri Catholici & Religiosi, qui ex tot ac tantis titulis obedire sententiæ Apostolicæ tenebatur, qui si contumeliam se passum judicabat, suam coram Sanctissimo querelam ostenderet; at non poterat, quia coram sanctissimo damnatus. bene de te Hierony. *lib. 3. contra Ru-*

finum cap. 6. (qui ſimilem querelam faciebat de damnatione ſuæ tranſlationis aliquorum librorum Origenis, cujus ipſe erat affectuoſiſſimus diſcipulus, & propugnator, ſicut Leodegarius Raynaudi) *Vade ad Romanam Curiam, & præſens apud eum* (Epiſcopum Romanum Summum Pontificem) *expoſtula, cur tibi abſenti & innocenti fecerit contumeliam, primum ut receperit expoſitionem* (doctrinæ tuæ de Martyrio *charitatis*) *quam omnus fere* (Europa) *comprobavit, & baculo tuarum uti litterarum noluerit contra canes tuos, deinde ut decretum contra te ad orbem mitteret, & cauterium tibi morboſæ doctrinæ inureret.* Et infra. *Non eſt leve quod tibi impingit tantæ Vrbis Pontifex, vociferare per compita, per plateas; non eſt, non eſt meus liber, hoc, frater chariſſime, facere debueras, & non illi tergum obvertens, in me tranſmarinas maledictorum tuorum ſagittas dirigere.* ita ſi tu, Leodegari, concilium hoc ſanctum Hieronymi eſſes amplexatus, non inſultarent in nos hæretici, & de immodeſtia inter Catholicos Romanos traducerent, quod ego in *ſales Atticos* dicam, qui tam mordeant, & vulnus morboſæ doctrinæ motivum ſufficiens habeo, quia Decretum Romanum defendo, at tu ut in me maledicta jacias, ſolum habes pro motivo audaciam infrunitam, cum falſitatem propugnes.

Id quod dicis, quod Hæretici Hollandiæ meum tomum legent, & inde arripient occaſionem detrahendi de nobis, ut de malefactoribus; ridiculum plane eſt, & anicularum dicteriis ſimile. Nunquid Lugduni, Pariſiis, & in multis Civitatibus Galliæ non ſunt hæretici? ſunt maxime, & permulti, præcipue Calviniſtæ: ecce idem argumentum quod contra me facis, contra te inſurgit, præterquam quod ubicunque liber cudatur, ad Civitates hæreticas perveniat, cum diſtrahatur emptione & venditione, non enim ut in ſcriniis lateant ſudant ſub prælo, niſi dicas, ut ait Hieron y. *ubi ſupra cap.* 1. *te non ad oſtentationem ſed ad ædificationem, quaſi Chriſtianum loqui, qui tanta de me* (in tuis indicibus) *fingis, quanta non diceres de latrone homicida*, &c. *idcirco ne Cereales & Anabaſii tui per diverſas*

sas Provincias cucurrerunt, ut laudes meas legerent? ut panegyricum meum per angulos, & plateas, ac mulierculaarum textrinas recitarent? hæc tua illa sancta verecundia? hæc ædificatio Christiana? sic modestus es, sic prudens, ut catervatim (de Gallia) *venientes mihi tua maledicta narraverint, ita memoriter & consentaneè, ut ego cogerer non scriptis tuis, sed scriptorum respondere opinionibus, & volantia per orbem jacula falsitatis, Clypeo veritatis excipere.* Hæc Hieron. ex quibus possint insultare hæretici, claret.

PARS III.

Secundus Index vocum Græcanicarum, quem meo operi appendit, mendax & corruptor est operis.

Mira hominis Buccafœtidi audacia, cæcus cum sit, vult de coloribus judicium ferre, & cum prorsus idiota sit Græci idiomatis, judicare de vocibus Græcis, quas injuriosas & fellitas dicit, me usurpare contra ipsum. Certe quidem Κύκλῳ θεῖ ἐλκέ, & dum putat aliquid egisse, nihil egit, recedens in idem volabat. cui Plato in Chamide. *O scelerate! jam dudum me in Orbem circumagis*; ast sensi tua sophismata, & sic fugi strophas, & nænias, quas nectis, ut librum meum in tota Europa laudatum corrumperes, & ansas quæritas modo in vocibus Latinis, modo in Græcis; quid vis apparere *ferularius Mag.* in utraque lingua? etsi enim illam bene calleas, at istam prorsus ignoras, cave ne dum peregrina sectaris, propriam pene amittas, mirum quòd titulum ponas indici *vocum Græcanicarum, & duas tantum in ω* examines, in tuam perniciem. O copiosum Indicem, duas dumtaxat voculas continentem! quas nec assumis in sua propria notione, sed in tuum tu ipse, contra meam intentionem, in damnum tuum vertis, ut de πολυλογίᾳ supra dixi. Copiosior longe evaderet Index hic, si probrorum, convitiorum, injuriarum, quas contra me effutis, fieret, gratis remitto, etsi non abibis impunitus, quia sic decet, ut humilieris, & ne garrias & obstrepas contra Auctores, qui

defendunt doctrinam ſanam, ſententia & Decreto publico Pontificio vindicatam.

Sed ut Indicem hunc libri corruptorem extricem, non immorabor in multis, quæ mihi corruptor falſo imponit, quod conſtabit legenti opus meum, & quæ næniæ ſunt & ſigna corruptæ voluntatis, & integri odii, quod in me concepit Leodegarius Raynaudi, quia defendo veritatem, quod eſt proprium hæreticorum genium, adnotantium in Patribus ſimilia, quæ ad ſanitatem doctrinæ nihil conducunt; de Chryſoſtomo, *quod ſit loquaculus*, de Cypriano quod *ſit infirmus Theologus*, de Ambroſio, *quod libri ejus in Moſem ſunt jejuni.* de Hierony. *quod nulli Patrum eſt æque infeſtus Lutherus, ac illi, quia nihil de Chriſto loquitur*, quod *inepte ſcribit* quod ſit *homo nullius neque judicii neque diligentiæ, quod impia & Diabolica eſt vox Hieronymi:* de S. Diony. *quod multa garrit de divinis nominibus, ſed meræ ſunt fabulæ*, quæ de aliis & contra alios convitia hujus farinæ & mali genii homines dicant, legat quiſque apud Doctiſſimum Coccium *lib.* 8. *Theſauri Theologici pag. mihi* 1118. bene Hormiſda Papa. *in epiſt. ad Poſſeſſorem* de Leodegario & ſimilibus loquens dixit: *Vna pertinacis cura propoſiti, rationi velle imperare, non credere contemptores authoritatum veterum, novarum cupidi quæſtionum, ſolum putantes ſcientiæ rectam viam, qualibet conceptam facilitate ſententiam. eo uſque* (attende Leodegari Raynaudi) *tumoris elati, ut ad arbitrium ſuum utriuſque Orbis putent inclinandum eſſe judicium: Docti crimina ſerere, obtrectationum venena componere, invidiam incitare* (loq. de Monachis Schytis, de quorum parallelo cum Leodegario infra) *& pro obedientia, quæ in cœnobiis principatum regularis obtinet, diſciplina obſtinationem pertinacis amare ſuperbiæ.* De ejuſdem *epiſt.* 78. *ad Iuſtinum* ſic fatur. *Non omnis æger remediis ſalutaribus acquieſcat, & medendi ſtudium ſæpe ipſis quibus adhibetur* (auſculta Leodegari Raynaudi) *ingratum eſt, & tantum grata eſt admota pro ſalute neceſſitas, nec ipſi poſt reſpirationem non ſunt beneficiis obnoxii, qui curantur inviti. Ca-*

venda

venda eſt ſubtilium magna cum circumſpectione calliditas, qui ingerunt difficilia, dum nituntur labefactare compoſita.

Hoc Leodegarius Raynaudi in ſua Apologia intendit, *ingerit difficilia* ut *labefactet compoſita*, quæ defendo contra me jacula, & venenatas mittit ſagittas, ſed non potuit mihi, *concutit, ſed non prævalebit, quia gemunt boni conſortia malorum*, ſed *ſupereſt flamma non neceſſariis, & parata ſunt horrea jam probatis. Probat enim virtutis validum robur, quod cum impellitur, non movetur.* Unde ſubdit Pontifex epiſt. cit. *Vbi non variæ tentationes, aculei? Qualis per hunc fere jugem annum quorumdam ſycharum, qui monachos* (Religioſos) *ſe ferebant ſpecie, non veritate, profeſſione, non opere, ſubtili tectas calliditate verſutias, & ſub religionis obtentu famulantia odiis ſuis pertulimus, ſtudentes eos ab interno vulnere medicabilis patientiæ moderatione ſanare* (ut fecit à tempore Urbani VIII. cum Raynaudo ſedes Apoſtolica, expectans per plures annos uſque ad Innocentium X. ejus retractationem) *B. Pauli monita non tacentes: Noli verbis contendere, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium, ſed quando virus quod viſcera penetrabit evellitur? Quando corda male ſibi credula veritatis obtemperant inſtitutis? Quando induit obedientiæ humilitatem opinionibus ſuis vallata ſuperbia? Quando acquieſcunt paci contentionum ſtudiis aſſueti, ſola certamina amantes de Religione captare, & mandata negligere.* Quibus graviſſimis verbis commotus ad Sedem Apoſtolicam provoco, ad Sacram Eminentiſſimorum Congreg. *de Indice* appello, ut judicent inter Leodegarium Raynaudi, & me, & judicabunt in veritate & juſtitia; quis tueatur veritatem? quis negligat mandata? quis ſit inobediens ut *ſuperſit flamma non neceſſariis?* imo perniciosis, & *horreum paratur probatis.*

Sed venio jam ad ſyndicata *in Indice* Catholiciſſimo & puriſſimæ ſinceritatis à Leodegario Raynaudi, poſtquam velim nolim opinionem Raynaudi hæreticam fuiſſe à me dictam ſubdit. *n. 95. Per quæ liquet Hurtadum*

Hæreseos notare ea Theophili placita. Quod tametsi incuriosissimum, & tamen ludicrum, & ejus, quem Tertullianus diceret, peponem habere pro corde. Mirum vero est Hurtadum non cogitasse se sic Græcando, suos pariter Hispanos & S. Inquisitionem ferire. Nam ut alia taceam; Franciscus Aguado edidit opus de Perfectione, quo verum martyrium immorientium ministerio charitatis ex instituto adstruitur. id porro opus emisit Madriti cum multiplici Doctorum Hispanorum approbatione, & assensu S Inquisitionis, in quam proinde injuriosa illa nota, æque ac in Theophilum caderet, si vere ei inureretur.

O bone Deus! quot mendacia! vix est linea, in qua unum mendacium non sit insertum, imprimis ipse se fingit hæreticum, quem ego temerarium & morbosæ doctrinæ Doctorem, novi martyrii hucusque in Ecclesia agniti inventorem feci, deinde mendacio se alligat, affirmans, quod vir ille doctissimus & mitissimus *in libro de perfecto Religioso* (hic est ejus titulus, *non de perfectione*) verum martyrium charitatis, & proprie, & simpliciter tale agnoverit, cum tale quid non dixerit, sed quod talis mors *est illustre martyrium*. quare *fides Græca* in citandis Auctoribus tua est, & in te residet. quantum mendacium, quod liber iste in lucem prodierit de assensu Inquisitionis. In supremo S. Inquisit. Consilio Regni Castellæ, non est in usu quod exigatur sicut exigitur in Consilio Portugaliæ. Sed ex tuo mendacio te teneo Leodegari Raynaudi, si piaculum est dicere aliquid esse censura dignum, quod de consensu S. Inquisitionis est publicatum, & cusum, quanto majus erit crimen & gravius, aliquam asserere sanam doctrinam, quam sacra Congregatio Eminentissimorum judicum ad hoc designatorum declaravit esse morbosam, & prohibitæ lectionis inter Catholicos? attende argumentum Leodegari Raynaudi, gusta & vide an sit suave, an acetum cum felle mixtum, *non times adagium? Mendax Atraphaxis.* Lege Adagiographum eruditionis compendium, & videbis quam apposite tibi aptatur.

PARS

PARS IV.

Prosequuntur indicis mendacia.

RUrsus mendax est *index*. Hic cum num. 106. dicit: *Hieronymo Guevara, & Theophilo affigit (Hurtadus) quod dixerint, Patres antiquos esse utres veteres, frigore ignorantiæ contractos; & miratur valde, quòd homines zelo fidei & lacte Romanæ Ecclesiæ nutriti talia verba de Patribus proferant. Æstuat vero ad hæc Hurtado, & magno ardore concitatur, quod scribentes talia de Patribus dicant; si aliquid subamarum de eorum scriptionibus dicant. Contestatur pudendam esse audaciam, quod fulgentissima fidei Catholicæ lumina omnem supernaturalem irradiantia tam turpiter proscindantur, ut vocentur utres veteres contracti ignorantiæ frigore, & illius tenebris obruti, ac concluſi. Enimvero quid est hoc aliud, quam armare hæreticos Patrum contemptores, & ad eorum separtes adjungere &c.* Et infra. *Theophilus certe, si quid tale, quale si calumniator Hurtadus scriptis commisisset, nollet illud atramento, sed limo ac cæmento obducere.*

Leodegarius manifeste mentitur in hoc, quod dicit me affinxisse Theophilo, quod dixerit hæc, qnæ retuli, dixisse Guevaram, cui illi ea appingo verbis ipsus. De Raynaudo, quod alia via procedit, ut legenti *eam Resol.* 68 §. 1. manifeste constabit. Quare dum dicit Leodegarius, quod si Theophilus tale quid scriptis commisisset, *nollet illud atramento, sed limo & cæmento obducere*, cum manifestis verbis id dicat Hieronymus de Guevara, illud *limo & cæmento obduceret, & recte.* Quare admiror, quàm oscitanter legerit Leodegarius Raynaudi, meam Resolutionem, forsan sua est usus mentali restrictione, ut mendacio calumniatorem vocitaret. Sed audi Hieronymum. *Qui bene mentitur, & absque ulla verecundia quidquid in buccam venerit, confingit, in fratres magistrum se optimum probat.*

Tertio est manifestum falsiloquium, dum affirmat me

impoſuiſſe Patribus Societatis, eos *prædicare Chriſtum, ſed non Crucifixum.* Hoc nunquam dixi, ſolum adduxi memoriale oblatum publice Regi Catholico Philippo IV. in quo id nominatis Patribus vellent hanc novitatem prædicandi Euangelium in Converſione illarum Gentium introducere, conqueritur Provincia excalceatorum Seraphicæ Familiæ Chinenſis: verba expreſſa dicti memorialis adduxi, quæ traduxi ex exemplari authentico, quod mihi obtulit P. Fr. Franciſcus Goth. alias de Xerez, hodie hujus Provinciæ Bæticæ Provincialis, quæ propoſui, non ut confirmarem, certo ita eſſe, ut dixit ſapientiſſimus Gravina; de hoc enim abſtraxi ſermonem, ſed ut excuſarem à judicii temeritate præfatum Magiſtrum; poteſt enim judicium non eſſe verum, & non eſſe temerarium, ſed prudens: quare non eſt ita palmaris, & mendacio coronato gravida locutio Gravinæ, nam ut ſit mendacium, adducit unum teſtem Alexandrum de Rhodes, quem Chinæ Apoſtolum fas ſit dicere; Gravina, ut non ſit mendacium, adducit informationem juridicam præſentatam Regi Catholico, quam omnino dicere eſſe falſam, quiſque cordatus cohibebit linguam, & calamum.

Quarto, eſt falſiloquium in eo, quod dixit *num.* 108. *Tibi quidquid Ieſuitas maculare, vel per ſomnium poteſt, arripiendum & ſine judicio jactandum videtur, tanquam & manifeſtum. Mirari vero ſubiit, cum tam multas abs te calumnias in Ieſuitas corradi undecumque vidi, & tomum tuum ſaginari ſcriptis contra eos nihil ad rem, in qua verſabaris attinentibus, quomodo etiam celebre illud opus Theatri Ieſuitici immiſeris operi tuo, ut inſtructiſſimũ convivium calumniarum undecumque in Ieſuitas congeſtarum, comedonibus talium lautiarum avidis apparares.*

Hoc eſt manifeſtiſſimum tui judicii mendacium. Egregie Seneca. *libr. de vita Beata.* de te loquaculo ſine ratione, querulo arripiente ex pilo occaſionem mentiendi aſſeruit: *Cum ſiniſtrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, cum aliquis ſuandi lacertos ſuos artifex brachia atque humeros ſuſpenſa manu cruentat, cum aliqua*

qua genibus per viam repens ululat, laurumque linteatus ſenex è medio lucernam die præferens conclamant iratum aliquem Deorum concurritis & auditis. Id facis Leodegari Raynaudi, dum ſiniſtrum de me ex imperio, & puro placito tuo mentiris, & ut tuos contra me commoveas lacertos, brachia humeroſque ſuſpenſa manu cruentas, repens ululas contra mea Catholica ſcripta, per vias, per compita, & plateas conclamas, ut omnes veniant & te audiant de ſiniſtro mendacio, quod contra bene meritum hominem de ſocietate effutis:

Non in triviis indocte ſolebas,
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.

Quaſi non Cirratorum turba Mileſiorum in Scholis figmenta decantet, & teſtamentum ſuis, Beſſorum cachinno membra conquatiat, atque inter ſcurrarum epulas nugæ iſtiuſmodi frequententur. Quotidie in plateis fictus ariolus ſtultorum nares verberat, & obtorto ſcorpione dentes mordentium quatit, & miramur ſi imperitorum libri lectorem inveniant? Dixit Hieronymus de Ruffino. Sic Leodegarius Raynaudi Zoilus audax, & impudens indocte in triviis ſtridenti ſtipula carmen miſerum diſpendit, dum me calumniatorem ſocietatis dicit, & hoc propinat Cirratorum turbæ & in ſcholis decantat, & tanquam teſtamentum ſuis reliquit his nugis & næniis fictus ariolus, ſtultorum nares verberat, & obtorto ſcorpione dentes ſuorum mordentium quatit, & acuit, ut me lacerent, ut me mordeant, vel ſi vis, occidant tanquam inimicum publicum, cum ſim publiciſſimus Societatis laudum & encomiorum præco.

De quibus votum meum expreſſum inveni apud doctiſſimum virum Leonardum Cocceum Auguſtinianæ familiæ lumen non exiguum, contra Philippum Mornæum *in Apologia* (uſque ad miraculum pia & erudita) *pro ſummis Pontificibus pag. mihi* 87. *cum hæreticus Patres Ieſuitas, Papalem exercitum quaſi Triarios appellet.* (Sic fatur Coquus.) *Equidem ex illa ſocietate, tanquam ex equo quodam Trojano prodierunt multi Patres doctrina valde*

valde insignes, qui operam suam Ecclesiæ Christi in defendenda fide Catholica, & confutandis hæresibus valde utiliter accomodarunt. Vnde vero illis Mornæus invidiam & odium concitare se putat, inde magnam gloriam comparat. Quod enim majoris gloriæ signum est, quam ab istis Triarios Pontificu, hoc est exercitus Dei viventis formidabilem hostibus & inexpugnabilem quamdam phalangem appellari? Qui essent Triarii, constat ex Livio lib. 8. de eisdem Vegetius lib. 2. de re militari. Vt inde constet nihil vetare ridentem dicere verum, nec incongruum Triariorum nomen Patribus istis hostibus ipsis formidolissimis aptari. Nec modo ex Patribus societatis, sed ex aliis ordinibus compositus est Dei exercitus; unde indies prodeunt viri doctrina & pietate insignes, ex quibus & robustissimi quique milites in Triarios eligi valeant, ut omnes Diaboli acies prosternere ac penitus fundere nullo negocio possint. Hactenus ibi quibus & votum meum & eximiam venerationem, quam erga Societatem ipsam habeo egregie orbi proposuit, quas laudes omni in loco & occasione semper ex intimo corde repeto.

Quod manifesto exemplo in Theatro Jesuitico, de quo mentionem facit Leodegarius Raynaudi confirmo. Cum enim Theatrum hoc in hac civitate Hispalensi adventaret, multiplicatum enim fuit sicut Ægyptiæ Ranæ, quarum vocibus plena erat universa civitas, ad sedandas voces & scandala orta, delatum fuit ad sacrum Tribunal Inquisitionis, ut ejus lectura inhiberetur fidelibus, vocatus sum tanquam minister ex officio, ut assolent in negotiis gravioribus D. D. Inquisitores me per Nuntium vocavere, adfui cum alio qualificatore doctissimo; propositum est theatrum hoc esset prohibendum? quam efficaciter, quam solide, quanto ex cordis affectu, sim locutus adversus illud, effectus comprobavit. Siquidem die sequenti proclamatum est, & proscriptum publicato decreto & affixo ad valvas Ecclesiæ majoris, ut moris est, & die sequenti nomine Patris Provincialis & totius Societatis missus est P. Sola, Lector Primarius in Collegio

S. Her-

S. Hermenegildi, ut gratias penderet. Quid vis Leodegari Raynaudi? quid ad hæc reſpondes? eſtne hoc calumnias diſſeminare in ſocietatem? eſtne eſſe Zoilum ſanæ doctrinæ, quæ ab incunabulis eſt nutrita uſque ad tempus in quo multi Pozæ, multi Raynaudi acti prurigine novitatis, ut iſtas diſſeminent, omnia ſurſum deorſumque commovent? hos Pozas, hos Raynaudos, non patior, hos inſequor, non ſocietatem ipſam, non doctiſſimos illos primarios ſolidæ doctrinæ Patres, non eruditiſſimos ſcriptores in omni ſcientiarum genere, quibus abundat Societas. Quis contra hos mutire audebit? quis notare eorum ſcripta? adverſus novitatum nundinatores qui vitreis armis, & pugionibus plumbeis impuguant antiquam, & ſanam doctrinam, acies mea omni armatura fortium inſtructa & munita dimicat, *ſales Atticos* ſpargit, ut acrimonia, putrida vulnera ſanentur, ſcias ergo de me reticere, qui nunquam didiciſti bene loqui, intelligas te legere potuiſſe, quæ à me ſcripta ſunt; at non potuiſti quæ pietate roborata ſunt, cognoſcere. Quid gladium in tenebris ventilas, & linguæ ſonum, & ad confodienda tui corporis membra conquatis, quando ego corpus veneror, & membra quæ ſana ſunt complector?

Pergis ulterius. *num.* 109. *Circunfertur exarata ipſius Hurtadi Epiſtola adhuc inedita, qua Hiſpali* 8. *Martii* 1655. *librum de calumnia nigro theta dehoneſtat, eo quod ſit Hoplotheca calumniarum Sanctorum & Sanctarum Dei. Quæ calumnia melius ſepulchro oblivionis, & ſilentii, & occluſa manerent, quam apertis ſepulchris eas in publicum edere, ut hæretici earum fœtore ſatiarentur, nutrirentur, in ſua perfidia alerentur; ſed ſudavit ſanguinem præ angore Hoplotheca.* Agnoſco verba Epiſtolæ meæ ad ipſum miſſæ, & omiſſis ineptitudinibus & ignorantiis Leodegarii Raynaudi, videamus quid reſpondeat ad Epiſtolæ verba. *Vide quo tua te temeritas, Hurtado & ferocitas in Theophilum abripiat. Te judice pudere debet Sanctos Euangeliſtas, quod probra in Chriſtum calumnioſe intorta non preſſerint. Chriſtus enim per calumnias aërem infeſtantes, audivit*

divit homo vorax, potator vini, commovens populum, reus mortis, blasphemus, seductor. Quare tam tetra probra Christi evulgaverunt Sancti Apostoli & Euangelistæ? Quomodo non extimuerunt scandalum Gentium, & hæreticorum, quod tenerrimi sensus, Hurtado, ad recensionem simulque rejectionem calumniarum Sanctis Dei irrogatarum extimescit! sunt probra per Hurtadum intorta leviora, quam ut refutatione egeant, vana periculæ intentat.

O effrænis, & fœtida Leodegarii Raynaudi Bucca! O temeraria audacia! dicat quisque prudens & mediocriter sapiens, estne sufferendum in Ecclesia, quod Leodegarius excuset suum Raynaudum à scriptione *Hoplothecæ calumniarum in Sanctos & Sanctas Dei irrogatarum* (quæ numerum quingentesimum excedunt, ut tu ipse enumerasti) eo quod Sancti Euangelistæ tetra probra annumerata evulgarunt de Christo, comparas Theophilum tuum Euangelistis, qui Spiritus Sancti speciali lumine directo calamo velociter scripserunt ea, quæ S. Spiritus dictabat convenire Ecclesiæ Christi. Nunquid Theophilus in sua scribenda *Hoplotheca calumniosa* fere omnibus sanctis vindicatis ab Ecclesia, locutus est dirigente calamum suum Spiritu Sancto? absit, hoc solum deficiebat, quod diceres de *Papa tuo Theophilo*, quod loqueretur Spiritu Sancto actus. Dicas obsecro, Leodegari, quem in hac congerie criminum Sanctis irrogatorum, Auctorem Catholicum est imitatus? nullum nisi Catholicæ Ecclesiæ inimicos Centuriatores, Lutherum, Calvinum, & alios, qui tot crimina mortalia impingunt S. Petro; Celsum, qui tot mendacia in Euangelistis curat ostendere; Julianum Apostatam, qui simili rabie laborantem; ad quid ergo Catholicus scriptor tot vitia, tot probra ultra numerum quingentesimum nostrorum Patrum coacervare, & in unum agmen instinctum ex probris & convitiis pro parte hæreticorum, ut contra progenitores pugnent, constituere, adeo enim hujus agminis ignominiose suas vires, ut eas te loqui, & alios pudeat audire, ut vix sit

crimen

crimen atrociſſimum, nefandiſſimum, viliſſimum, quo ſanctos aliquos eſſe denigratos non oſtendas, & ſimul conjuncta mundo propinas. Quem fructum habuiſti in illorum relatione dè Patribus noſtris, in quibus nunc vel de relatione erubeſcimus? quid eſt hoc, niſi tangere montes ut fumigent, ut fumus iſte putei tuæ maledictæ (quantum hoc) eruditionis aſcendat, ut obſcurentur Sydera Eccleſiæ de fumo putei, ex quo exercitus locuſtarum exurgat, habentes poteſtatem ſcorpionum terræ, quales ſunt hæretici.

Dicas, obſecro (attende Leodegarie Raynaudi,) ſi quia unus quidam ſcriptor typis dedit exemplum aliorum, ut fugerent ſimilem iniquitatem, de quodam viro Religioſo ſocietatis hiſtoriam parciſſimis verbis, quod fuit à S. Officio convictus cujuſdam delicti; univerſa ſocietatis Provincia tam Toletana, quam Caſtellana commota fuit contra talem ſcriptionem ejus, qui ſyncero corde exemplum poſuit, adeo ut librum S. Officio deferrent. (Sed exiit indemnis) contra Auctorem libellos ſine ſubſcriptione mitterent ſodales, non ſine probris & convitiis, quia publicatum eſt delictum publicum, & omnibus notum; quia erat ab hominum memoria deletum, ſolum quia iterum de eo factus eſt ſermo; quanto ſtrictiore jure Eccleſia Sancta formabit querelas, quod Patrum & filiorum ejus, quorum ſanctitas eſt vindicata, & delicta, quæ calumnioſe eis erant impoſita, iterum in hominum memoriam redeant, & confricata incaleſcant? quis fructus in hoc? quæ ædificatio? quæ magna utilitas? jure optimo Patrum *tumulicida es.*

Dices utilitatem & fructum ex horum vitiorum ſanctis irrogatorum magnum capi, *quod ſcilicet quacumque calumnia gravatis (qui vix nunquam deſunt, nec deerunt donec volventur lux & tenebræ) forte ſolamen apparuerit, à patientia, & fide ſanctorum quidem gratia filiis Satanæ, tametſi ad horum æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod nobis eſt iter, exterminium, tamen perfecte nitent & in æternum ſunt in pace omni iniquitate oppilante os ſuum.*

Hæc

Hæc tua responsio accusatio est tui, quid est acervus iste criminum Patrum nostrorum per calumniam impositorum? quid illo intendit Raynaudus, nisi auribus similium prurire? quid facit, nisi vetustissimum cœnum quasi novum suscipere? quid juxta Ezechielem? *linit parietem absque temperamento*. Et bene quidem *absque temperamento*, cum quingenta crimina Patribus nostris objecta à malevolis, in unum collecta omnibus proponit, & quæ sui divisione minuta non videbantur, omnibus pateant coadunata, & quod erat occultum temporis diuturnitate, non absque nævo publicum fecit. Quid? tantum ponderat juvamen, quod gravati calumnia possunt carpere à patientia, & fide sanctorum, quæ nobis proponitur in *Oplotheca* ista plena calumniis & probris simul collectis, quasi essent parœmiæ & adagia moralia, & non delicta imposita, & quidem si hoc pondere sacro ponderatur, magis ponderat hæc injuriarum collectio in denigrationem Patrum, quam levamen quod ex illa apparatur, ad levamen hoc calumnia Christi nobis proposita, & quæ indubitate fuit falsa, & unius vel alterius sancti, quam quingentæ simul collectæ, nam istæ inimicis scandalum generant, & necessarium non est, quod omnes calumniæ irrogatæ Patribus notæ sint, sed est superflua & damnosa eruditio.

Quid ni? hæretici male affecti in Patres Ecclesiæ & in sanctos ipsius, in præjudicium Innocentiæ ex hac copiosa *Oplotheca* arma sument contra eos, & quidem simul irrogata calumnia vere falsove, nisi interfit infallibilis Innocentia, quam solum in Christo agnoscunt hæretici, vix ejus cicatrix interit; quare semper ansam habebunt hujus farinæ homines ex hac *Oplotheca* se armare adversus Ecclesiam, sicut se armarunt Centuriatores & alii ex lectione Historiarum. Quæ ergo magna utilitas; ut calumniæ sanctorum, quæ in libris, quorum vix erat memoria, erant dispersæ in unum collectæ, omnibus sint perviæ, ut inter anus ad focum & ad capiendum somnum pueris dicantur in sanctorum vilipendium? hoc enim nihil

hil eſt aliud, quã adverſus laudabiles viros multiformes tẽdere inſidias, quibus utentur inimici, falſis enim calumniis amici Dei ab inimicis Eccleſiæ impetentur, quas ad manum collectas in magno numero habent in *Oplotheca*; cum enim imprudentes ſint & male in ſanctos affecti, facilime excandeſcent in eos, tot probra, tot enormia delicta de eis lectitantes, valde enim male affectos movebunt, tot collectæ improbitates. Hoc videtur fuiſſe intentum S. Iſidori Peluſiotæ. *lib.* 2. *epiſt.* 28. *ad Socimum*, cui ſic loquitur. *Majorem in modum major qui fiat, ut tu nec cujuſquam exemplo impulſus, ac pertractus, nec quemquam qui te imitetur habiturus (avertat enim Deus ne quis in tantam voraginem ruat, utinamque etiam ipſe ex peſtifera hac temulentia emergas) ſacerdotes eos, qui virtutibus ornati, atque inſtructi ſunt, ac ſpiritualibus donis, ac recte factis abundant, vituperes, eorumque ſuggillationem, actionum tuarum excuſationem habere exiſtimas.* Sed contra hanc Patrum infamatoriam Oplothecam alibi latius. Hæc ſufficiant modo ad juſtificandum naufragium quod paſſa eſt Romæ.

Cætera autem quæ in hoc *Indice vocum Græcanicarum* inducit Leodegarius, exotica ſunt & puerilia, garrit, grunnit, gannit nihil inferens, niſi ſtrophas & nænias, quibus corruptor libri optimi *de unico martyrio fidei eſt*, ſed incaſſum, quia fundatum eſt ſupra firmam Petram, cujus fortitudini portæ inferi non prævalebunt, & ſuper ſanitatem doctrinæ, quam tu nunquam morboſam facies.

PARS V.

Invectiva Petri Bleſenſis in Depravatorem librorum, Leodegario Raynaudi applicata.

Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis, cujus elogium dant inſigne, Tritemius, *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, & Poſſevinus. *Sui avi doctiſſimus, eruditus, & pius*, adverſus quendam Monachum, qui *ſua ſcripta in*

Iob. momordit, & dente rabido depravare tentavit, invectivam satis doctam, & elegantem composuit, quæ quia satis apte convenit Leodegario Raynaudi, aliquas ejus partes, quæ instituto conveniunt, hic transcribere decrevi, ut sciat Leodegarius hic, quod si maledicit depravando & siniſtre intelligendo mea scripta, male audiet. Igitur sic post aliqua dicit Blesensis.

Utinam corripiat me justus in misericordia, & increpet; benigna enim est correctio, quæ ex charitate procedet, nam & charitas benigna est. Porro ex abundantia cordis & ex adipe iniquitatis os tuum locutum est, ideo lingua cædens proximum vulneras, calamum quassatum conteris, & extinguens linum fumigans, in spiritu vehementi conteris naves Tharsis. Sciolus quidem est, paucæque litteræ faciunt te insanum. Volens ergo contribuere justitiam tuam conversus es in verba malitiæ, alioſque judicans, & infamans, venaris tibi ex aliena depravatione favorem. Pro minimo tamen mihi est, ut à te judicer aut ab humano die, qui enim judicat me *Dominus* est. Ego vero quem imprudentius, & impudentius arguis, arguam & statuam contra faciem tuam, ut discas non blasphemare. Apponam ergo sagittas *Potentis* acutas, contra doloſam, maledicam, magniloquam, scurrilem, divolutam: loquar contra sibilos serpentis antiqui, nam in lingua tua loquitur, qui quondam in Serpente locutus est. Lingua siquidem detractoria, vipera est, leniter transit, & graviter percutit. Religioſum te putas, quia Religionis habitum geris, sed sanctitas, & lingua viperea simul esse non possunt. Utinam posuisses ostium circunstantiæ labiis tuis, & non prosiluisses usque ad maledicendum. Maledici enim regnum Dei non possidebunt.

Ad rixas me invitas invitum. Testimonio enim Salomonis, qui dimittit aquam caput est jurgiorum, & lingua occasio est scandali quoties in detractionis profluvium se diffundit. Qui me commovit (melius non tangere calamo.) Flebit, & insignis tota cantabitur urbe. Utinam tacuisses, ut prudentior appareres, sed unde me nosti?

Non

Non expectato vulnus ab hoste tuli. Porro ego licet faciem tuam non viderim, intus & in cute novi. Existimasti inique, quod essem tui similis. Ego quidem in operibus meis, simpliciter ambulabam, tu vero dolose agebas in lingua tua, Seminabam triticum, & tu superseminabas zizania. Noli quæso loquendo sublimia gloriari, non plus sapere quam oportet sapere, alta enim sapere mors est, & facile periclitatur, qui se in alto prospiciens, obstupescit.

Invide & detractor quid me mordes? qui enim detrahit, sicut serpens qui mordet in occulto. Si ore ad os disputatio & conflictus esset inter nos patientius sustinerem. Facile est tibi impugnare absentem: testeque Hieronymo, delicata doctrina est pugnam dictare denuo. In me utinam experiaris, & oris, & operis vocem, tutum tamen mihi esse non arbitror cum homine cerebroso contentiosum funem trahere. Meas ergo injurias dissimularem silentio, sed vereor ne deterioris in te præsumptionis excitet incentiva, vaga, & effrenis impunitas: decebat ordinem tuum ea scribere quæ publicæ utilitati profuerint, quæ mentem reficerent, quæ omnem intellectum in sanitatem, & obsequium Christi redigerent. Tu vero Apostolicæ obedientiæ oblitus dederas nomen & illius quæ secundum pietatem est, doctrinæ superbus, languens circa quæstiones, & pugnas verborum, matronalem adulteraris Sacræ Scripturæ auctoritatem.

Et infra. Vereor ne te tangat illud Isaiæ verbum: concepisti dolorem, & stipulam peperisti, & numquid tibi vis in via Ægypti? & quid tibi in via Assyriorum, ut bibas aquam turbidam? Aquam Siloës rupisti & eligisti aquas Rasin, dereliquisti fontem aquæ vivæ, & fodisti tibi cisternas veteres, quæ aquam continere non possunt. Nam ut sermonibus extraordinariis vaces, tanquam ferus de sylva singulariter vivis, &c. Quæ ibi poss. legi.

Hæ sunt invectivæ portiones, quæ tibi jure obtingunt, hæc partim ipse tuo perpendes pectore tecum, partim aliquis divum tibi suggeret, ut pæniteas, felle &

aceto amaricatus verborum, quæ tua effræni audacia dicere coëgisti, si enim rugitibus tuis intentasti timorem incutere homini Hispano, voce & *cantu Galli* Blesensis aufugies.

PARS VI.

Paralleli in obstinatione morbosa doctrinæ Monachi Schytiæ, & Leodegarii Raynaudi.

Tempore Hormisdæ Papæ, qui rexit Ecclesiam *anno Christi* 514. Tempore Anastasii Aug. cui successit in Imperio Justinus. Exorta fuit magna controversia apud Orientales, an definitione Concilii Chalcedonensis, ubi damnatus est Eutyches, qui unam in Christo tantum confitebantur naturam, quem imitatus est Petrus Fullo dictus *Grapheus*, qui ut divinitatem ostenderet fuisse pro nobis passam, *Trishagio* Ecclesiæ *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis*, addendum esse dicebat, *sanctus est pro nobis*, an inquam huic contra hos hæreticos definitioni addendum foret, *unus de Trinitate passus est pro nobis*. Quidam monachi Scythæ, quorum caput & antesignanus fuit Joannes Maxentius, hoc additamentum fieri debere obstinate adfirmabant, sed an ita sentirent, ita ut in hæresim Eutychianam, aut Graphei non essent prolapsi, sed salva fide id sentirent; quia tamen opinionem male sonantem, sapientem hæresim, & novam obstinate tuebantur, fuerunt proscripti ab Hormisda Papa. Magna est controversia, quod fuerint hæresi Eutychiana infecti, viribus defendit Eminentissimus Cardinal. Baronius *tom. 7. annal. in Hormisda*, & multis probat rationibus & argumentis. At non fuisse hæreticos Eutychianos, nec Gnaphistas, erudite ut assolet probat P. Gabriel Vazquez acerrimi judicii scriptor, (dum tractat de Conciliis & Apostolicis Epistolis & Decretis) 3. *p. disp.* 15. *cap.* 3. *per totum*, in quo id efficacissime probat & confirmat, satisfaciens magna eruditione argumentis Baronii. Et quidem horum monachorum assertum, quod *unus de Trinitate*

Trinitate fuit passus, non fuisse hæreticali censura ustum, non ipsos fuisse hæreticos, sed inobedientes & temerarios, & doctrinæ novæ in materia gravissima introductores, eorumque opinionem saporem habuisse hæresis Theopatricharum, præter ea quæ docte congessit & digessit P. Vazquez, mihi ex alio capite indubitatum est. 1. Quia ipsi clare fatebantur in Christo esse duas naturas, solumque filium incarnatum fuisse passum, ut constat ex Petro Diacono, qui librum *de Incarnatione* composuit in favorem Monachorum; & ex confessione Joannis Maxentii, qui *in libro contra Acephalos* diserte & dilucide, sicut loquuntur Patres Chalcedonenses, profitentur, ut legenti constabit. 2. Ex Epistolis Hormisdæ Papæ id colligo indubitanter: quamvis enim aliqua defenderent capitula, propter quæ hæretici forte essent, ut est illud quod illis impingit Dioscorus legatus S. Apost. dicens in suggestione missa ad Hormisdam Papam (quæ habetur *tom. 2. Concil. p. 2. post epist. 67. Hormisdæ.*) *isti tamen Scythæ* (sciat B. V.) *omnes qui accipiunt Synodum Chalcedonensem Nestorianos dicunt, dicentes non sufficit, & sic debere Synodum suscipere quomodo ipsi exposuerunt.* Quod forsan ipsi non assertive dixerunt, sed calore disputationis. Unde Germanus, & Joannes Episcopi, Felix Dioscorus, ipsi Diaconi, & Blondus Presbyter, *in alia suggestione de Capitulis horum Monachorum ad eundem Hormisdam.* Quæ est post *epist. 64. ad Ioannem Episcopum Melicitanum*, & *in alia suggestione* solius Dioscori, quæ ibidem habetur, solum fit expressa mentio, quod dixerint Maxentius & ejus Monachi *unum de Trinitate Crucifixum*, in quo hæresim non continere manifestissime probat P. Vazquez, & tamen damnati sunt in hoc, non quia hæretici, sed quia temerarii & novitatis amatores.

Quæ motiva posuit Dioscorus. *In suggestione sua prima post epist. 65. Hormisdæ ad Episcopos Hispaniæ, quia neque in Sanctis Synodis dictum, nec in Epistolis Sancti Papæ Leonis, nec in consuetudine Ecclesiastica, quod si permitti-*

cria naſci inter Eccleſias. Et infra ſuggerens Hormiſdæ, quid ſibi reſpondendum videtur, ſubdit. *Vnde ſanum mihi videtur, & utile, & ad pacem Eccleſiarum conveniens nihil aliud reſponſum dari, niſi: ſufficit Sanctum Calcedonenſe Concilium, in quo & alia Synodi continentur; ſufficiunt Epiſtolæ Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit, novitatem in Eccleſia introducere nec volumus, nec debemus. Eſt in propoſitione callida hæc dicere. Nos Synodum Chalcedonenſem ſuſcipimus, hoc ſperamus ut jubeatis nobis eam exponere, quia non ſufficit ſic quomodo eſt expoſita contra hæreſim Neſtorianam, non quaſi non intelligentes, niſi conantes pars utilitatem ad nos adducere, niſi ut diſputetur de Synodo Chalcedonenſi. Quod ſi factum fuerit, dubia & infirma oſtenditur, & hæreticorum omnium patuit errori. Inter alia ſi poſt Synodum Chalcedonenſem, ſi poſt Epiſtolas Papæ Leonis, ſi poſt libellos, quos dederunt & dant Epiſcopi & per ipſos ſatisfecerunt ſedi Apoſtolicæ iterum aliquid novum addatur. Sic mihi videtur, quia quid factum eſt.*

Et, *in ſecunda ſuggeſtione Germani*, & aliorum ſic habetur. *Monachi vero cum ſimiliter ad concordiam quærerentur, fuga lapſi maluerunt de Civitate diſcedere, quam ad concordiam pervenire. Magnopere prædicti Monachi ad Italiam venientes aliquanta capitula proponere habent, inter quæ & unum de Trinitate Crucifixum continetur, ſperantes ita confirmari ex auctoritate Beatitudinis veſtræ, ſicut & in aliis litteris ſignificavimus, ut nulla novitas à ſede Apoſtolica ſcribatur, ſufficere debet Eccleſiæ, quod per ſexaginta annos ab Eutychete uſque modo ſuſtinuit; nobis quod viſum eſt ſcripſimus. In veſtra autem poteſtate eſt deliberare quod vobis Deus imperaverit. Quoniam hæc illi nituntur aſſerere, commode ſibi ſatisfacere cupientes, ut ita profiteamur & dicamus unum de Trinitate paſſum, quod nec Patres, nec Synodi dixerunt. Iſta ideo per ſingula expoſuimus, ne illorum ſubtilitas glorietur in noſtra ſimplicitate propter iſtas ſuas novas intentiones.* Et. *in epiſt. Iuſtiniani V C ad eundem Hormiſdam. Quoniam comperimus quoſdam nomine Monachos, quibus magis diſcordia in ſtu-*

dio est, quam charitas, pax Dei; cupientes quadam perturbare, hinc discedentes iter arripuisse, quos Beatitudo vestra præsentibus scriptis causam libris eorum cognoscens, ut meretur suscipere & à se longe pellere dignetur. Quoniam vaniloquia ipsorum festinantium novitates introducere in Ecclesia, quod neque quatuor Synodi venerabiles, neque S. Papæ Leonis continere noscuntur in omni loco turbas excitare videntur.

Ex quibus suggestionum verbis fideliter relatis manifeste constat. 1. Quod Monachi isti non rejiciebant Concilium Chalcedonense, sed intendebant ut clarius suo viderí Nestorius, qui duas personas constituebat in Christo, qui passus fuit, ajebat, secundum quod erat humana persona, non secundum quod erat una persona Trinitatis, ut hic error clarius excluderetur, additio fieret Synodo Chalcedonensi: *Vnus de Trinitate Crucifixus est*, quæ additio non evertebat definitionem Concilii, sed eam quæ secundum fidem est, clarius proponebat credendam, sicut in Concilio Niceno addita fuit particula *ex filio*, & in aliis Conciliis alia facta sunt additamenta, novis exortis hæresibus; sic Monachi isti solum novitatis prurigine ducti, non hæresi maculati Eutychetis, aut Petri Fullonis obstinata persistebant, quod Pontifex Hormisda juberet addere in Concilio Chalcedonensi *unus de Trinitate passus est, & Crucifixus, &c.* Neque enim credendum est, quod isti vellent hæresim Eutychianam Petri Fullonis coram summo Pontifice defendere, quæ ante sexaginta annos erant damnatæ & proscriptæ.

2. Quod hæc propositio: *Vnus de Trinitate passus est*, non est hæretica, sicut nec ista; *una persona Trinitatis passa est*, *unus* autem masculine sumptus in Trinitate Personam denotat, ut est certum in materia de Trinitate quare sicut conceditur, *una persona*, ita potest Catholice concedi, *unus de Trinitate passus est*, de fide enim est quod Christus est *unus de Trinitate*, & definitur. *In 5. Concil. constant. act. 8 canon. 4. & 10.* Unde Germanus Patriarcha *in Theoria rerum Eccleslast. §. Toparium* expresse fatetur,

tetur, quod *unus de Trinitate Crucifixus est*, quod in sua fidei confessione fatetur Justinianus Imperator. Et quidem quod *una persona Trinitatis sit passa*, docent expresse Fulgentius, & alii P. P. Africani apud eundem *lib. de Incarn. & gratia Christi cap.* 10. Interrogatus fuit, & ejus subscriptionem expostularunt Petrus Diaconus, & alii Monachi Scythæ; unde in rigore sermonis, si nulla alia esset suspicio novitatis, & morbosæ doctrinæ, ut bene Vazquez. *num.* 56. *&* 57. Sicut possumus uti modo loquendi Fulgentii & aliorum Africanorum, *una persona Trinitatis passa est*; ita possemus uti modo loquendi Petri Diaconi, Maxentii, & Monachorum, solum ingerit scrupulum id quod dicit Hormisda Papa *epist.* 63. *ad legatos suos.* In fine agens de his Monachis, quos detentos Romæ dixit usque ad legatorum adventum, *ut eorum error rationalibus adhortationibus corrigatur.* Resp. hoc non esse intelligendum de errore proximo in fide, sed error dicitur, quia novam doctrinam introducebant, error dicitur, quia male locuti sunt de legatis ipsis, error dicitur, quia putabant necessarium esse illud additamentum Concilio Chalcedonensi, *unus de Trinitate Crucifixus est.*

3. Quod ex dictis deducitur est, Monachos istos & eorum libellos esse proscriptos, tunc propter novitatem, quam introducere intentabant in Ecclesia: ob hanc enim & non ob hæresim sunt damnati, quod ex multis, ni fallor, clare constat. 1. Quia legati Pontificis ex eo dicebant *in suis suggestionibus* ad Hormisdam non esse admittendum, quod dicebant Monachi *unus de Trinitate est Crucifixus*, quia hoc *nec in Sanctis Synodis, nec in Epistolis B. Leonis Papæ, nec in consuetudine Ecclesiastica reperitur*, & quia possent respondere Monachis, hoc argumentum esse ab auctoritate negativa, cum ipsi nullam hæresim introducerent, sed majorem charitatem veritatis contra Nestorium Eutychetem; addunt legati & suggerunt Pontifici, *sufficit sanctum Chalcedonense Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur, sufficiunt Epistolæ Papæ Leonis quas Synodus confirmavit, novitatem in Ecclesia introduce-*

re

cere nec volumus, nec debemus. Hæc Dyoſcorus *in Suggeſtione.* Idem fere habetur *in Suggeſtione Germani* & aliorum ut vidimus, addit Germanus non eſſe admittendam *novam doctrinam Scytharum*, quia *ſufficere debet Eccleſiæ, quod per ſexaginta annos ab Eutychete, uſque modo ſuſtinuit.* Eccleſia à damnatione Eutychetis per ſexaginta annos ſuſtinuit verbum incarnatum paſſum fuiſſe credidit, non ergo eſt neceſſarium, quod proponatur illa propoſitio credenda : *Vnus de Trinitate crucifixus eſt, quod nec Patres, nec Synodi dixerunt.*

2. Id conſtat *ex epiſt.* 70. *Hormiſdæ ad Poſſeſſorem Epiſcopũ*, in qua ex propoſito agit de his monachis Scythis, & eos non appellat hæreticos, *ſed quod ſint contemptores authoritatum veterum, novarũ cupidi quæſtionum, ſolam putantes ſcientiæ rectã viam qualibet concepta facilitate ſententiam, eo uſq; tumoris elati, ut ad arbitrium ſuum utriuſque Orbis putent inclinandum eſſe judicium; nec in numero fidelium deputantes ſequaces traditionis paternæ, ſi ſuæ viderint cedere nolle ſententiæ, dicti crimina ſerere, obtrectationum venena componere, integrum Eccleſiæ corpus odiſſe, ſeditiones inſtruere, invidiam incitare, & pro obedientia, quæ in cœnobiis principatum obtinet, diſciplinæ obſtinationem pertinacis amare ſuperbiam.* Quæ omnia dici poſſunt de iis, qui temerariis & novitatibus contra Eccleſiæ conſuetudinem, & morboſis ſententiis adhærent, qui etiam vitandi ſunt propter ſcandalum, quod cauſare poſſunt. Unde addit Pontifex. *Non illos potuimus monitis, non manſuetudine, non auctoritate comprimere. In publicum uſque prodiere conventum ad concurſionem quietis circa Regum ſtatuas, & niſi fidelis populi conſtantia reſtitiſſet, per diabolicæ ſemina nefanda Zizaniæ apud illos diſſenſionem & diſcordiam commoviſſent.* Semina nefandâ appellat *novitatem contra Eccleſiæ conſuetudinem*, & quæ in re ad Religionem pertinente non invenitur in Patribus & Conciliis, quamvis alias non ſit hæreſis, aut error in fide. Quare mihi indubium, Maxentium horum Monachorum anteſignanum & ipſos Monachos non fuiſſe infectos

hæresi Eutychiana, quam ex professo rejecerunt, & expugnarunt; at in hoc fidem Catholicam sunt professi, ut clare constat ex ipso Joanne Maxentio. *in libro contra Acephalos cap.* 11. & Petro Diacono, qui Monachis patrocinabatur *lib. cit. constat.*

Fuerunt etiam proscripti, tum quia eorum nova doctrina quod *unus de trinitate passus est*, est de hæresi Thopachistarum, & Petri Gnaphei suspecta, ut dicit Hormisda Papa. *epist 76. ad Iustinum Imperatorem*, ut optime deducit Vasquez *n.* 21. 2. Quia imprudenter se gesserint, dicentes & petentes fieri illud additamentum, *unus de Trinitate passus est*, Concilio Chalcedonensi, ut hæresis Nestoriana clarius intelligeretur eversa. & forsan in hoc errarunt in fide, quia dicebant hoc esse necessario ponendum, & credendum fidelibus, in quo errabant, quia jam Nestorius in aliis Synodis expresse rejectus fuit, & sic cum nova non esset orta hæresis, quæ hoc exigeret additamentum, & evelleretur, non erat ponendum. 3. Quia falso imposuerunt Legatis Apostolicis, quod sentirent non esse concedendum, *unam de Trinitate fuisse passam*, quod est omnino falsum, ut bene Vazquez *n.* 48. *&* 49. ultimo quia scandalosa, ut Dioscorus dicit *in suggestione* quam misit *ad Hormisdam* asserens, quod etsi additamentum, quod exposcebant Monachi, non esset hæreticum, *at sanum & utile est illud non addere, quia dissensiones & scandala non mediocria nascerentur.* Quare jure optimo Summus Pontifex Hormisda hos Monachos Scythas, etsi non essent ob hoc additamentum hæretici, proscripsit; quia suspecti in fide, quia audaces in re gravissima, quia novitatum amatores & inventores contra consuetudinem Ecclesiarum, & ipsi proscripti sunt tanquam inobedientes Decretis Pontificiis.

Ecce jam perfectus unus Parallelorum circulus, in quo impie ambulabant Monachi Scythæ; alter illi per omnia æqualis est perficiendus, in quo ambulat Leodegarius Raynaudi, cujus circumferentiam vix egredietur. Disseminavit novam de novo Martyrio *charitatis* doctrinam

Raynau-

Raynaudus, *in libello de martyrio per peſtem*, qui delatus non ob hæreſim, ſed ob morboſam doctrinam ad Romanam Congreg. Eminentiſſ. Card. *de Indice*, judicatus primo fuit inter libros prohibitæ lectionis, non publicato Decreto, acceſſit Romanam curiam & interpoſitis Principibus, & magnarum in dignitate perſonarum favoribus, ut maturius deliberarent Cenſores, juſſit Urbanus VIII. ut publicatio ſuſpenderetur: habeat pro ſe aliquos ſui libelli defenſores, & propugnatores: hoc totum habuerunt Monachi Scythæ, nam interpoſuerunt ad Summum Pontificem auctoritatem *Imperatoris Iuſtini*, qui ſpeciali epiſtola pro cauſa horum Monachorum rogavit, habita fuit diſputatio coram Legatis & Imperatore, an eſſet admittenda monachorum doctrina, quæ etiam proſcripta fuit, ob quod ipſi Monachi ad pedes Apoſtolicos ſe projiciendos Romam advenere, rurſus acerrimum defenſorem, & cauſæ procuratorem (qui ut eos defenderet librum ſcripſit) Petrus Diaconus, qui liber plane aureus eſt; quamvis enim à monachis *illis* (ait Vazquez n. 69.) nimium contra Sedem Apoſtolicam contentioſis editus fuerit, nihilominus propter approbationem, quam habent Fulgentii & Epiſcoporum Africæ, magni à nobis haberi debet; & nihilominus proſcripta eſt doctrina Scytharum tanquam morboſa.

Deinde Monachi iſti, ut ſuam morboſam doctrinam ſubſcriptionibus aliorum Catholicorum probabilem eſſe oſtenderent, à Fulgentio & aliis Epiſcopis Africæ chirographa expoſtularunt, cum dolo & vulpe occultantes proſcriptionem doctrinæ, quam habuerant. Audi doctiſſimum Gabrielem Vazquez *n.* 58. *Fateor* (inquit) *Petrum Diaconum & Monachos Scythiæ non detexiſſe Fulgentio controverſiam, quam ipſi cum legatis habuerunt de illo additamento, unus ex Trinitate, nec cauſam ob quam Pontifex eis illud non conceſſit, ſi enim Fulgentio explicaſſent abſque dubio, ut erat ille vir Doctus & Pius, & ab omni ſuſpicione erroris valde alienus, monachorum ſententiam minime probaſſet. Monachi vero noluerunt Fulgentio omnia*

ſyncere

ſyncere aperire, ſed additamentum illud ſimpliciter proponere, ut doctrinæ ſuæ approbationem ab eo obtinerent, & auctoritate ipſius & aliorum Epiſcoporum ſe defenderent.

Hoc totum contigit Raynaudo, qui ut doctrinam ſuam ut morboſam proſcriptam, & cenſuratam à cenſura exſolveret, & liberaret, chirographa totius fere Europæ, ſicut Monachi totius fere Africæ ſubripuit, non aperiens ſyncere ſubſcribentibus omnia, quæ Romæ acta ſunt, diſcuſſa ſunt, reviſa ſunt, ſed ea reticens, & quod à Romana Congregatione de conſenſu Summi Pontificis proſcripta fuerit nova doctrina de vero martyrio *charitatis*, publico edito decreto, iſtorum auctoritate ſe defenderet, & intenderet Decretum etiam revocari, quæ omnia ſi Univerſitates, ſi Doctores, quos congerit ex omni fere natione ſcirent, utpote Pii, & erga Romanas Cortynas valde affecti, ſubſcriptiones illas non dediſſent.

Deinde rurſus Monachi illi, & eorum doctrina rejecta eſt, quia judicabant neceſſarium additamentum illud fieri, ut clarius fides contra Neſtorium innoteſceret, dicebant enim: *Nos Synodum Chalcedonenſem ſuſcipimus, hoc ſperamus, ut jubeatis nobis eam exponere.* Et tamen Dioſcorus dixit hoc non debere fieri, quia *neque in Sanctis Synodis dictum eſt, neque in epiſt. S. Leonis Papæ, neque in conſuetudine Eccleſiaſtica.* Et alibi: *Nulla novitas à Sede Apoſtolica ſcribatur, ſufficere debet Eccleſiæ, quod per ſexaginta annos ab Eutychete uſque modo ſuſtinuit.* Idem prorſus ſacra Congregatio *de Indice* ſub Innocentio X. poſt longam diſcuſſionem libelli, *de Martyrio per peſtem* Raynaudi, qui etſi verum Martyrium ſanguinis fateretur, tamen notionem veri martyrii ad ſuum placitum enodabat, ut verum & proprium abſolute martyrium *charitatis*, eadem & majora & potiora attributa habens in Eccleſia Dei introducere, quod neque in Synodis, neque in Epiſtolis Decretalibus, aut alio libro authentico invenitur; quare nulla novitas à Sede Apoſtolica ſcribatur, ſufficit enim Eccleſiæ, quod mille & ſexcentos annos uſque modo ſuſtinuit, in qua per tot ſæcula nullum eſt agnitum

marty-

martyrium quod ſimpliciter ſit tale vere & proprie, niſi quod morte violenta à Tyranno in odium fidei occaſionata perficitur. Quare ſanum & utile eſt, quod Eccleſiæ Paſtor per ſuam Congreg. *de Indice* ſuo Apoſtolico Decreto dixit, *ſufficit unum martyrium in Eccleſia, quod ſanguine violenter effuſo à Tyranno celebratur*, & non aliud novum quod additur, quod nec Patres, nec Synodi agnoverunt. Hoc argumentum valde efficax eſt, qui Monachi Scythæ pro ſe habebant graviſſimos Patres, qui dicebant *unus ex Trinitate paſſus eſt*, ut eſt Petrus Diaconus, qui pro defendendis Monachis ſcripſit, & illi præſentarunt Pontifici cum ſubſcriptionibus Fulgentii & Epiſcoporum Africæ, idem additamentum appoſuerunt Germanus Patriarcha, Juſtinus Imperator, quos citat Vazquez *n* 50. quos non habet Raynaudus ita diſerte loquentes, ita clare docentes verum & proprium & ſine addito martyrium *charitatis*, & tamen ſententia Monachorum proſcripta eſt, quia eam *nec Patres*, *nec Synodi agnoverunt*, ergo potioribus titulis ſententia Raynaudi, pro qua appologizat Leodegarius ſuus, proſcribenda & rejicienda eſt.

Tandem de Monachis dicit Hormiſda, quod *ſint novarum cupidi quæſtionum eo uſque tumoris elati, & ad arbitrium ſuum utriuſque Orbis putent inclinandum eſſe judicium*, docti *crimina ſerere obtrectationum, venena componere, ſeditiones inſtruere, invidiam incitare, & pro obedientia, quæ in cœnobiis principatum obtinet, diſciplinæ obſtinationem pertinacis amare ſuperbiam, quod non acquieſcunt paci, contentionum ſtudiis aſſueti, ſola certamina amantes de Religione captare, & mandata negligere.* O parallelum mirabile inter Monachos, & Raynaudi Leodegarium! quis cupidior novarum quæſtionum? quis elatior, putans ad arbitrium ſuum, utriuſque Orbis rapiendum eſſe judicium, ſuis aſtutiis, ſuis dolis? quis obtrectationem in Cardinalitiam Congregationem, in ejuſdem Cenſores, in me & alios, qui ipſum ſevere impugnant, in ſacrum Prædicatorum Ordinem, in ſuos primarios Magiſtros, qui tanquam Ovilis Eccleſiæ fideliſſimos canes

latrantes

latrantes adverſus novitates doctrinarum plura venena compoſuit, effudit, dilatavit? Quis inobedientior, quando ipſe ſpecialiori titulo Religionis obedientiſſimæ Summo Pontifici, propter quod tot privilegiis eſt condecorata, tenebatur, non ſolum Decreto formali obedire Pontificio, ſed Summi Pontificis ſimplici inſinuationi ſe ſubmittere! Quis obſtinatior, niſi hæreticus ſit, mandata & ſententiam Apoſtolicam contemnat, cum non obſtante ejus publicatione inſilit, inſultat, obſtrepit in eam, dicens quod *judices veritatem in injuſtitia detinent*, quod erat contra Legatos Apoſtolicos Monachorum proloquium, dum ipſorum querelam formarunt apud Hormiſdam?

Ultimo Hormiſda dolet, dicens. *non illos potuimus monitis, non manſuetudine, non auctoritate comprimere, in publicum prodiere conventum ad concurſionem quietis.* Quid dicis ad hæc Leodegari pro tuo Raynaudo? qui non acquievit veritati, monitis Apoſtolicis, & Cardinalium, qui ipſum curarunt ab hac novitate divertere, non manſuetudine urbana, qua detentum eſt Decretum proſcriptionis, ne in publicum exierit, eum deducere expectans in multa patientia, ut pœnitens retractaret ſententiam, in qua obſtinatus perſiſtens, nec authoritate ipſa Apoſtolica Decreti compreſſus eſt, ſed prodiit in publicum conventum, convocans tot Univerſitates, tot Doctores ad concurſionem & everſionem pacis, ut ſchiſma cauſaret inter Eccleſiam & Doctores, inter hos & Cardinalitiam Congregationem, volens hujuſmodi auctoritatem ſupprimere illorum ſubſcriptionibus? quaſi non eſſet omnibus iſtis Auctoritas Apoſtolica reſidens in ſacra Congregatione ad prohibendos libros morboſæ doctrinæ, cujus morbum omnes iſti non ſanabunt, contradicente Apoſtolica auctoritate. Paralleli ergo ſunt Monachi Scythæ & Leodegarius Raynaudi, in obſtinatione defenſionis doctrinæ morboſæ, in inobedientia Apoſtolicorum mandatorum, in elatione & temeraria præſumptione, & in eo quod illi ſub pallio pietatis novum additamentum expoſtulabant,

& Leo-

& Leodegarius, quod sub ejusdem pietatis umbra, novum martyrium verum & proprium in Ecclesia introducunt.

Ex his omnibus satis constat unum esse obsequium. Leodegarius Raynaudi intendit favere Ministris, qui charitate ferventes in ministrando infirmis peste infectis immoriuntur, dum illos decorat Martyrii proprii corona. Hoc obsequium nullatenus placet, imo summopere displicet. Etenim, ut ait Chrysologus. *serm.* 109. *quantum placet obsequium quod ratione subnixum est, tantum quod rationem non habet exacerbat. Rationabile obsequium est, quod non præsumptione turbatur, non temeritate confunditur, non violatur illicite, non simulatione, irrationabile vero obsequium quod fervor est, furor est, quod ratione non frænatur.* Et quidem quomodo non furor, fervor, obsequium, quod datur sanctis contra Decretum Apostolicum, & non servato ordine Ecclesiasticæ disciplinæ? etenim egregie Clemens Alexand. *lib. 7. stromatum cap. 9. ut in bello non est deserendus* Ordo, *quem dedit Imperator militi, ita non est deserendus* Ordo, *quem dedit Apostolica disciplina.* Hæc autem docuit ab initio nascentis Ecclesiæ, quod illi sint vere & proprie martyres, qui immoriuntur sanguine effuso à Tyranno in odium fidei. Hic est martyrum chorus distinctus à choro Virginum, & à choro Confessorum, ut semper distinxerunt PP. consilia, Summi Pontifices, Ecclesiastica officia; nam cultus hos diversos apud Deum & homines semper agnovit Magistralis cathedra Petri, nec confundendi sunt contra Patrum nostrorum venerandam canitiem, nullus enim nisi qui habet spiritum dissensionis, id faciet, qui spernens veterum magisterium, & aucupans gloriam vanam novitatibus suis se supra senes sapere gloriatur, & primas Patrum cathedras ambiens veritate spreta verborum & novitatum lenocinia, nomina à propria notione detorquet, ut nova impositione nominis id quod volunt, denotetur. egregie Alexand. Clemens ubi supra cap. 9. de his eleganter, sic loquitur.

Eligentes ea quæ dicta sunt, amigua traducunt ad pro-

prias

prias opiniones, paucas voces ſparſim capientes, non conſide-rantes quod ex ipſis ſignificatur, ſed ipſa nuda dictione uten-tes. Nam in omnibus fere dictis quæ adducunt, inveneris ipſos ſola nomina attendentes, ut qui mutent ſignificata, neque quemadmodum dicantur, agnoſcant, neque iis affe-runt allegationibus, ita ut earum natura poſtulat, utan-tur, veritas enim non invenitur in eo quod transferat ſigni-ficata, ſic enim omnem veram evertent veritatem. Neque enim volunt converti ad veritatem, ut quos pudeat depo-nere commodum ſui in ſe ipſos amoris, neque ſciunt, qua ratione poſſint ſuas ſtabilire opiniones Scripturis vim affe-rentes. Cum autem ad falſa in vulgus proferenda proceſſe-rint, cum omnibus fere Scripturis evidenter pugnantes, & ſemper à nobis, qui contra eos dicimus confutati, quod re-ſtat; nunc autem nos tanquam qui ſimus alterius naturæ non poſſe, quæ ſunt illorum propria, intelligere, calumnian-tur. Et infra: *Inani ergo ſapientiæ opinione elati perpetuo litigant, aperte oſtendentes ſe magis curare ut videantur, quam ut philoſophentur. Iam vero cum non neceſſariis re-rum utantur principiis, & humanis moti opinionibus, ut finis deinde neceſſario ſequatur, utuntur argumentis eorum, qui veram tractant Philoſophiam.* Hæc ibi: quibus cir-culi paralleli, in quibus ambulant Monachi Scythæ & Leodegarius Raynaudi uniuntur & connectuntur.

PARS ULTIMA.

Vltimus Index Leodegarii, Mimicus, Hyſtrionicus, & Theatralis eſt.

Ira accenſus Leodegarius Raynaudi, non vult cum pilis meis pacem gerere, moroſus vulſor, & depilator, & in odium veritatis *de unico martyrio fidei* novum martyrium vulſionis & depilationis, creator novorum martyrum, adinvenit, quo me torqueat, & ita oculatus exiſtit, ac cauda pavonis Indici, & tot habet manus ad depilandum, & brachia ac Briareus, & adeo crudelis Tyrannus in meos pilos ſe oſtentat, ut neque lanuginem velit relinquere, ita

curioſus

curioſus detractor exiſtit, ut ad nænias & ad philateria ſua decantanda, ea notet, quæ nec à pueris notarentur, ea obſtrepit, ea rodit, quæ nec mus famelicus; os ſuum fœtidum explicans importunis vociferationibus & anilibus exclamationibus volubiliter & præcipitanter colloquens. Ea de cauſa Therſitem caſtigavit moderatus Ulyſſes:

Immodicis verbis turbabat nam omnia ſolus,
Plurima mente ſua temere is confuſa tenebat,
Sed certo nihil ordine. ———

Terribilis eſt in exitu ſuo vir linguoſus, ſola enim lingua reſtat ad damnum, quod mihi inferre intendit; puerilia notat, quæ indigna ſunt, ut inter puerulos, qui ſub ferula tua artem loquendi & male loquendi diſcunt, enuntientur, ab homine Doctore Theologo, qui ad res ſerias, non ad ſtrophas attendere debet, non ad nænias, & nugas, ut mordeas, & *Rho* rabidi canis puerulos educere contra me edoceas, tot improperia, tot convitia, tot ineptitudinum acervum in me jacere, ut minuatur liber mei auctoris, atque illis à te impoſitis cognita veritate magis augebitur & indies creſcet.

Quod ſi in te inſurgo aliquibus ſimilibus eloquutionibus *apud Tacitum* (verba ſunt Hieronymi *lib.* 1. *Apolog. contra Ruſinum cap.* 1.) *Lectoris Iudicio purgatum me eſſe volo, & graviſſimum crimen refellere, ne prior* (graviter) *laceſſiſſe videar, qui vulneratus nequaquam contra perſecutorem tela direxi, ſed meo tantum vulneri admovi manum. Quem obſecro, ut abſque præjudicio perſonarum culpam in eum referat qui laceſſivit, nec laceſſiſſe contentus, quaſi adverſus elinguem, ſemperque taciturum tres elucubravit libros.* (Indices) & ἀρπώσεις Marcionis de meis opuſculis fabricatus eſt. Hoc eſt, ut explicat Marianus ibi num. 8. ſatis ad rem ἀρπώσεις συναγωγεῖν *colligere & congregare in unum, quas compoſitiones, & in unum congregationes diverſarum rerum* ἀρπώσεις *vocat Hieronymus, eaſque ſigillatim explicat Epiphanius, quæ nam eſſent. Incongruum autem eſt, hinc inde authoritates mutilate colligere, & in alienum torquere ſenſum, quod fit,*

cum neque ea quæ antecedunt, neque quæ consequuntur, considerantur, conqueritur vero nunc vir sanctus quod Marcionis instar Rufinus ex opusculis suis, quædam ut reprehenderet collegerat. Hæc ibi.

Queror ego, & juste queror de Leodegario Raynaudi, quod instar Marcionis Hæretici tribus indicibus ex meis libris ἀπώσεις effecerit, colligens mutilate ea, quæ impugnare possit. Primus puerilis est, secundus mendax, & operis depravator proprie ἀπώσεις, & tertius mimicus, histrionicus, & Theatralis ad movendum risum adversus inventorem. Quare ridicula ridiculis sunt rejicienda. Egregie Clemens Alexandrinus *ridendarum inactionum imitatores exigendi sunt à Rep. nostra* (Theologorum) *cum enim verba omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua emittantur ridicula, quæ non procedunt à moribus ridiculis.* Et infra. *Multo autem absurdius est studereut ipse sis ridiculus.* Sicut studet Leodegarius, dum hunc tertium indicem compingit ex rebus futilibus, habens pro arte petulantiam histrionicam, quæ solum ad nocendum comparata est, & qui ea utitur, abutitur doctrina, quæ morum dux est, eamque jurgiis, ac litibus impendit, nullumque honorem litteris & bonis studiis habet. sed ad lites, ut appareret, eruditus est. Quare ea, quæ in hac ἀπώσει aut indice rerum notabilium ponderata pondere & sanctuarii & fideli inventa sunt, non solum *minus* verum *nihil habentia.* Quare vilipendenda, utpote quia non sunt digna solutione.

Consilium Auctoris ad Leodegarium Raynaudi.

Nihil sanius & utilius recto & sano Consilio, si homo veram sapientiam consequi desiderat, juxta Solomo. *Proverb.* 19. *vers.* 20. *Audi consilium & suscipe disciplinam, ut sis sapiens novissimis tuis.* Et Aristophanes *in Nubibus vers.* 1017.

Age tu habes sonos magnificos, nunc aliquid

Novi

Novi afferas, nam bene se dedit tuus Antagonista;
Sed consiliis acutis tibi opus est adversus ipsum,
Si quidem virum vis vincere, neque obnoxium esse risui.

Crede mihi, Leodegari Raynaudi, non me vis vincere, sed virum & quidem Maximum, summum scilicet Ecclesiæ virum & judicem, qui suas vires exerit adversus te decreto suo publico, & sententia lata adversus libellum Raynaudi *de martyrio per pestem*: consiliis acutis tibi opus est adversum ipsum, ne obnoxius sis risui, neque enim sufficiunt *sales tui Attici* adversus me, ut putorem & morbositatem libelli cures, sunt enim *sales infatuati, qui ad nihilum valent ultra, nisi ut conculcentur ab hominibus.* Consiliis acutis tibi opus est si vis vincere Antagonistam. Quare si vis sapiens esse, audi consilium, & suscipe disciplinam, quam dedit S. Hieronymus Rufino, *cujus quidam liber pro defensione origenis proscriptus fuerat Romæ*; dicebat tamen fuisse S. Pamphili martyris: & D. Maximus ipsum monet *lib. 3. Apol.* ut fateatur errorem, & de eo pœnitentiam agat, *neque enim* (ait) *damnationem tuam quærimus, sed conversionem, melius est, ut tu erraveris*, quam novum & ignotum martyrium in Ecclesiam introducere, *quod Roma mordetur, & carpitur, habet contra se latratores, qui nisi invicti Pontificis baculo repellantur, latrare non cessabunt.*

Accipe in confirmationem hujus consilii Epistolam Isidori Pelusiotæ, quæ est. 180. *lib.* 1. *ad Candidanum. Quid eum injuria afficere studes, quem potius charum habere debeas, ut qui tibi quæ de te omnium existimatio ac sententia esset, aperuerit? simultationes enim ac dissidia, homines acutos ac solerti ingenio præditos persæpe correxerunt, dum ut quæ ab iis contumeliose perpetrata fecerant, sanarentur, effecerunt, quo circa si contumeliæ ducis ea, quæ audisti, cura ut per bonas actiones, te ipsum ab omni contumelia purum atque immunem custodias, nam si opera emendaveris, maledicta quoque & convitia de medio tollentur.* Lege Epistolam.

Acquiesce consilio & vives, & laudem consequeris apud Deum & homines: quod si consilium accipere nequis, audi Clem. Alexand. *lib.* 3. *Pædag. cap.* 8.

Sed qui nec per se apprehendet, nec recta mente,
Hunc alio reputat, plane est vir inutilis ille.

Quia ira & superba præsumptione temulentus, obcæcatus sua inani eruditione omnes superare ab humero & sursum judicat, & sic:

Cum ira vincit, caretque sapientia,
Soletque, lingua cum per multa fuderit,
Invitus audire, quæ volens dixit male.

Etsi enim in aliquibus bona utaris eruditione, tamen eam fœtere facis morbosa & vermiculosa doctrina. Unde sicut *bobus & asinis simul tibi est præsepe & sterquilinium.* Attende tibi Leodegari Raynaudi. Finem tibi imposui. *die* 14. *Octob.* 1656. cum incæperim contra te. *die* 28. *Augusti ejusdem anni.*

PERO-

PERORATIO

Ad D.D. Inquiſitores, ſedis Apoſtolicæ delegatos in cauſis fidei, & Religionis.

EO devenit in doctrinis calamitas, tanta crevit novitatum prurigo, gloriæ vanæ & proprii nominis exaltandi ambitio (O tempora! O mores!) ut jam novitas abierit in exemplum, quod quiſque ſibi poponit toto conatu ſequendum; rarus eſt, qui aliquem, quo utatur Magiſtro, ſibi proponit. *Quotus quiſque vel ætati alterius, vel auctoritati ut minor cedit! ſtatim ſapiunt; ſtatim ſciunt omnia, neminem verentur, atque ipſi ſibi exempla ſunt.* Magnum Reipubl. malum deplorabat Plin. lib. 8. ad Marcell. & jure quidem, cum nihil magis bono communi officiat, quam inconſtantia, & inſoliditas in doctrinis, quæ eſt fons, ex quo ſcatürit inconſtantia in dogmatibus, in moribus, & in regimine utriuſque fori, totuiſque Reipubl. unde interitus ipſius dimanare ſolet; ſunt enim novitates in doctrina *contra veritatem exercitamenta*, & ſic omnes hæreſes ex novellis doctrinis oriundæ, pacem publicam turbant, diſſenſiones generant, deorſum, ſurſumque omnia tranſvertunt, non ſolum quia hæreſes, ſed quia novitates: etenim quantum ad hoc fere pari paſſu currunt, & hæreticus & novitatum amator.

Quod lamentabilis commonſtrat experientia (multis relictis) in *Leodegario*, *Apologiſta pro Raynaudo*, in his duabus controverſiis (contra quarum venenum, duplex propino Alexipharmacum & antidotum) qui totam Europam turbavit, expiſcans ſubſcriptiones contra id, quod

Sacra Congreg. Eminentiſſimorum Card. *de Indice* conſulto ſummo Pontifice, & adhibitis qualificatoribus doctiſſimis, deciſum, & in contradictorio judicio damnatum eſt, ut morboſum, & inſanum, ut ſanum & tutum diceretur, ſpreta auctoritate, ſententia & decreto Pontificio. Quare ſi hæc audacia, & temeraria præſumptio non præcluditur, Turris firmiſſima, fideique noſtræ fortalitium Sacrum Inquiſionis Tribunal contra rebelles erectum, ſolo æquabitur, pugnantibus contra illud novitatum amatoribus, & nihilo ſententia damnationis librorum æſtimabitur, ſed quamvis tranſierit in rem judicatam, nullus illi cedet, nemo venerabitur, ſed impune contra id quod decretum eſt unuſquiſque inſurget, & tuebitur damnatam iam doctrinam.

Etenim vulpeculæ iſtæ, etſi parvæ corpore, virtute venefica efficaciſſimæ ſunt, ad florentem Eccleſiæ vineam demoliendam, in qua excolenda Antiqui Patres, & Doctores tanto conatu inſudarunt, contra quorum canitiem, contra quorum doctrinas, ex quibus uvæ dulciſſimi muſti colliguntur, ipſi labruſcas colligendas nobis proponunt, ex quibus nihil niſi acetum inutile exprimitur: igitur vulpeculæ iſtæ à vobis ſtatim capiendæ, ne deflorata *Vineæ Domini Sabaoth*, privetur fructibus, quos Eccleſia habuit à ſui plantatione uſque ad præſens, in cultu, in Theologia, & in temporali poteſtate; hæc tua, antiqua doctrina creverunt, & aucta in dies creſcent, quod ſi aliquando diminuta, à novitatibus diminutio orta eſt; quæ damnum tanto inferunt majus, quanto venenum aſtutiæ ortum difficilius cognoſcitur.

Pulchre S. Bernard. Serm. 64. in Cantica. *Vnde* (ait) *& puſillas ob hoc reor dici* (vulpes) *quia pro ſui ſubtilitate haud facile cognoſci poſſunt, & ideo nec caveri, niſi dumtaxat à perfectis & exercitatis, & qui habeant illuminatos oculos ad diſcretionem boni & mali. Et vide ne forte ob hoc ab ſponſo jubeantur, non quidem exterminari, vel abigi, vel occidi ſed capi. quod videlicet hujuſmodi doloſas beſtiolas omni vigilantia, & cautela obſervari oportet, & exa-*

minari

minari, & ſic capi, ideſt, comprehendi in aſtutia ſua. Ergo cum proditur dolus, cum fraus aperitur, cum convincitur falſitas, rectiſſime dicitur capta vulpes puſilla, quæ demoliebatur vineam. Itaque ſponſus capi jubet vulpes puſillas, quæ demoliuntur vineas, id eſt, deprehendi, convinci, prodi ſolum hoc malignitatis genus id proprium habet, ut agnitum jam minime noceat, ita ut agnoſci, ſit illi expugnari. Quis enim niſi demens comperta decipula ſciens, & prudens pedem mittit in illam? ſufficit proinde ſi capiantur, quæ ejuſmodi ſunt, hoc eſt, ſi prodas, & deducas ad medium, quippe quibus apparere, perire eſt.

His verbis Melliflui Bernardi vos interpello (judices, in cauſa fidei integerrimi) ad veſtrum Tribunal me iſto, & in medium adduco Leodegarium Apologiſtem Raynaudi (& ſimiles ſimilium novitatum nundinatores, veritatem & ſanam doctrinam cauponantes) cujus dolus, cujus doctrina, convicta falſitas, examinata à Congregat. Rom. de conſenſu ſummi Pontificis capta, & comprehenſa eſt *in aſtutia ſua*, omni vigilantia, omni deliberatione, omni ſtudio qualificatorum cenſura uſtæ, convictæ, & expugnatæ ſunt ſententiæ Raynaudi, quod ſufficiebat ut *vulpecula iſta non demoliretur vineam ſanæ doctrinæ*, ut morboſam introducat; at agnita decipula ſciens & prudens, non ſolum pedem, ſed & manus, & caput mittit in illam, curans eam evertere, & deſtruere: non ſuffecit Congregationi Romanæ illam capere, illam prodere, illam in medium orbem ducere, & publicare damnatum, ut hæc apparentia interitus ejus eſſet, & morbi ſanitas, ſed acrius & fœdius inſurrexit, ſpreto publico Pontificio ſuæ opellulæ damnationis decreto. Et cum ſint Raynaudo, *ubera arentia, & venter iteralis* (*quia non repullulat error publice confutatus, & falſitas aperta non germinat*) hujus vulpis *poſteriora magis fœtent*, quam ea, quæ prius malitioſe ſuggeſſit. Quare, ne hic fœtor inficiat aërem, extirpandus prorſus, & capienda vulpes *Hoc enim eſt cepiſſe vulpem* (ait Bernardus Serm. 65. in Cantica) *quia longe plus nocet falſus Catholicus, quam ſi verus appareret*

hæreticus. Nunquid Leodegarius Raynaudi non falſus Catholicus eſt, cum audet recalcitrare contra ſtimulum Apoſtolicum? nunquid non falſus Catholicus eſt, ſi ſententiam falſam declaratam per fas nefaſque conatur defendere, convocatis ſubreptitie Europæis Doctoribus, qui ignorantes decretum Apoſtolicum pro Raynaudo ſubſcripſere? nunquid non eſt falſus Catholicus, cum ſit inobediens ſuo ſuperiori Sacræ Congregationi *de Indice*, quæ inter libros lectionis prohibitæ poſuit librum, cujus titulus, *error vulgaris communio pro mortuis.* Et alterum. *de martyrio per peſtem?*

Vobis igitur integerrimis ſanæ doctrinæ Tutoribus, Defenſoribus & Conſervatoribus, loquitur Ennodius, Dictione 12. *A vobis radicem ſumunt inſtituta ſapientiæ, per vos infirmata referuntur. Nullus ſine vobis pectori ſapor eſt. Vos ingenui teſtimonium ſanguinis, per vos, quod cor bene dictaverit, lingua proloquitur; ad inveſtigandam juſtitiam iter vos præbetis, dum oppreſſum callem dumeris, quo expetuntur ſuperna, purgaſtis, vos triticeam de loliis ſegetem, vos facundas de ſterilitate ingeniorum glebas efficitis, & gravidas ariſtas ad ſcientiæ horrea, ne fames infantiæ poſſit prævalere, portatis, Mundæ nitorem familiæ ſervando, obſcænam proſapiam peregrina luce perfunditis; Deo proxima res eſt, veſtro infuſa beneficio, dum percurſus elucubrationis traditæ, ne optimi degenerent, & ut mali degenerent, ſalva ſtemmatum veritate, præſtatur. Vos Religionis Auctores, vos hoſtes criminum, vobis ducibus, quæ uſum ſurripiunt, dediſcuntur ſcelera, per quos bona diſcuntur, aut ad directum homines augetis propoſitum. Veſtris vulneribus nulla per calybem veſtitos ſubducit inſtructio ad penetralia illorum, & quos ferrum texerit pervenitis. Veſtris umbonibus directa ab adverſariis tela repelluntur, nec ſpiculis peritiæ veſtræ ulla Clypeorum crates opponitur.*

Vobis (Judices Fidei) ex officio competunt omnia hæc, quæ Ennodius apta deſcriptione compoſuit, & per ſe ſatis clare applicantur. Veſtris ergo umbonibus tela novi-

tatis.

tatis, etsi aucta, repellantur, & ejus spicula adversus vestrum Tribunal non prævaleant; robur enim Religionis Christianæ est securitas, non ex verisimilitudine, quæ veritati assimiletur, sed ex solidis fundamentis, & principiis dimanant, hujus verisimilitudinis & veritatis discretio juridica, non ad cujuslibet particulare judicium pertinet, sed ad publicum vestrum judicium & Tribunal, cui, qui resistit, Pontificiæ auctoritati *& Dei ordinationi resistit*. Quare coërcendus; non enim in vanum stemmata vestra ensem ex utraque parte acutum habent, vindicem in iram, ei, qui malum agit, aut damnatam doctrinam docet; illi autem, qui vobis resistunt, sibi damnationem acquirunt. Vos ergo instanter oro, ne consentiatis doctrinarum innovationem, etiam sub zelo pietatis introductarum: hæc enim & regna evertit, cultum, & Religionem turbat. Vestrum enim Magisterium à sedis Apostolicæ Magisterio dimanat, quo resistentes corriguntur, & audaces, imprudentes, qui quod distorte, & contra sanam doctrinam dixere, pertinaciter defendunt, coërcentur, nec sustinet, quod moneta adulterina falsæ doctrinæ, cum non sit in officina Petri cusa, impune currat, quod vobis ex officio impedire incumbit, cum sitis hujus officinæ, in qua probatur aurum, & argentum, Trapezitæ fideles.

FINIS.

Vox incantantis ſapienter adverſus recens venenum Aſpidis Surdæ, quod ex fonte Theophilino denuo ſcaturiit, & inſipientibus iterato propinat Leodegarius Raynaudi. Pag. 199

§. I.

Variæ transformationes Leodegarii Raynaudi, quibus ſubdole arietat ſanam doctrinam & impetit veritatem jam in Eccleſia vindicatam. 201

§. II.

Expenditur titulus opellulæ Leodegarii Raynaudi. 207

PARS I.

Eſt libellus famoſus adverſus Congreg. Eminentiſſimorum Card. de Indice, & adverſus me & Doctiſſimos Romanos Conſultores. 209

PARS II.

Non antiqua Theologia, ſed nova mataeologia quam publicat de notione veri martyrii Leodegarius Raynaudi. 213

PARS III.

Eadem καινολογία Leodegarina Raynaudi expugnatur exemplis. 220

PARS IV.

Fundamina Mataeologiæ Leodegarinæ ex ratione deſumpta. 224

PARS V.

Evaneſcunt velut fumus aut favilla. 231

PARS VI.

Argumentum ab auctore quod affert Leodegarius Raynaudi. 237

PARS VII.

Penitus everritur argumenti negociatio. 239

PARS VIII.

Auctores qui libros ſuos prælo dedere, & pro ſe adducit Leodegarius Raynaudi libra Apoſtolica pondero. 245

PARS IX.

De chirographariis quæ pro ſe congeſſit ſubrepticie Leodegarius Raynaudi. 256

PARS X.

Excuſantur Vniverſitates chirographariæ. 260

PARS XI.

Iudicium Vniverſitatum Valliſoletanæ & Granatenſis ſpecialiter examinatur. 265

PARS XII.

Eminentiſſ. Cardinalium & Illuſtriſſ. Antiſtitum ponderatur cenſura. 273

PARS XIII.

An ſit puerilis Logomachia quæſtio de vero Martyrio per peſtem? 277

§. III.

Theologia veterum Patrum de unici & veri Martyrii ſanctorum ſanguine violenter effuſo rubricati notione vindicatur oſtenſive. 284

PARS I.

Primum Patrum agmen & ordo pro unico Martyrio fidei. 285

PARS II.

Secundum agmen Patrum pro eadem antiqua veri martyrii notione tuenda. 295

PARS III.

Severe caſtigatur Leodegarius Raynaudi in eo quod dixit, quod oblatio martyrum Charitatis purior ſit quam oblatio martyrum fidei. 302

PARS

Index Titulorum.

PARS IV.

Leodegarii Buccafœtidi Raynaudi adducitur ſententia de eo quod dixit, martyres charitatis illuſtrius & expreſsius configurari Chriſto quam martyres fidei. 305

PARS V.

Rigide carpuntur iſtæ audaciſsimæ propoſitiones Buccafœtidi Leodegarii Raynaudi. 308

PARS VI.

Ea quæ effutit numero 1. 2. & 3. ponderantur. 310

PARS VII.

Ea quæ obſtrepit numeris aliis examinantur. 315

PARS VIII.

Mors curantium infirmos lue infectos non cauſat gratiam ex opere operato, ut temere autumavit Leodegarius ex Raynaudo. 323

§. IV.

Propugnantur fundamenta ſapientiſsimorum Cenſorum Romanæ Congregationis Eminentiſsimorum Cardinal. de Indice. 327

PARS I.

Propugnaculum 1. Decreti Apoſtolicæ Congregationis vindicatur. 328

PARS II.

Vindicatur propugnaculum ſecundum ædificatum à Cenſoribus Romanis. 329

PARS III.

Defenditur propugnaculum tertium Cenſorum Romanorum. 333

PARS IV.

Defenditur propugnaculum Qualificatorum Romanæ Congregationis. 339

PARS V.

Propugnaculum 5. eorundem firmatur & roboratur. 341

PARS VI.

Propugnaculum 6. Cenſorum Congregationis Romanæ ineluctabile monſtratur. 347

§. V.

Vindiciæ propriorum fundaminum, quibus καινολογίαν Leodegarii Raynaudi vaniloquium impugnavi & rejeci. 351

PARS I.

Primum fundamentum vindicatur à Calumniis Leodegarii Raynaudi. 352

PARS II.

Firmitas mei ſecundi argumenti ineluctabilis monſtratur. 361

PARS III.

Tertium fundamentum à rapacitate Leodegarii Raynaudi liberatur. 375

PARS IV.

Quartum fundamentum eruitur ab aranearum telis quibus Leodegarius Raynaudi illud irretivit falſitate contextis. 377

PARS V.

Cavillatio contra quintum fundamentum, quam ſubdole fecit Leodegarius, aperitur & propalatur. 379

PARS VI.

Apologetica diſputatio pro defenſione Decreti editi à ſacra Congreg. Eminentiſsimorum Card. de Indice contra libellum Raynaudi de martyrio per peſtem. 385

SECTIO I.

Si liber ob malam doctrinam aut quia contra bonos fidelium mores Romæ prohibetur, ubique locorum proſcriptus eſt, niſi intercedat

cedat ſupplicatio ad Sanctiſſimum. 385

SECTIO II.

Liber Raynaudi in totum eſt proſcriptus, & non ſolum aſſertio de vero martyrio per peſtem. 391

PERIODUS I.

Solutionis Leodegarinæ Raynaudi expenditur. 394

PERIODUS II.

Solutionis Leodegarii Raynaudi. 399

PERIODUS III.

Solutionis Leodegarinæ Raynaudi. 404

PERIODUS IV.

Ejuſdem ſolutionis Leodegarinæ. 411

PERIODUS VLTIMA.

Ejuſdem Leodegarinæ ſolutionis. 421

§. VI.

Protheus Leodegarius Raynaudi in Aſpidem ſurdam transformatus eſt. 423

§. VII.

Penduntur tres Appendices quas Leodegarius Buccafœtidus Raynaudi opere de vero & unico Martyrio fidei opponit. 435

PARS I.

Index Primus Puerilis eſſe monſtratur. 439

PARS II.

Hujus primi Indicis cætera expenduntur. 442

PARS III.

Secundus Index vocum Græcanicarum, quem meo operi appendit mendax & corruptor eſt operis. 453

PARS IV.

Proferuntur Indicis mendacia. 457

PARS V.

Invectiva Petri Bleſſenſis in depravatorem librorum Leodegario Raynaudi applicata. 465

PARS VI.

Paralleli in obſtinatione morboſæ Doctrinæ Monachi Scythæ & Leodegarius Raynaudi. 468

PARS VLTIMA.

Vltimus Index Leodegarii mimicus, Hyſtrionicus & Theatralis eſt. 480

Conſilium Auctoris ad Leodegarium Raynaudi. 484

Peroratio ad Inquiſitores delegatos ſedis Apoſtolicæ in cauſis fidei & Religionis. 485

FINIS.